JOANNIS LUZAC,

LECTIONES ATTICAE.

JOANNIS LUZAC

LECTIONES ATTICAE.

DE ΔΙΓΑΜΙ'Α SOCRATIS DISSERTATIO.

Libri edendi curam post mortem Auctoris
suscepit et praefatus est

JANUS OTTO SLUITER.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM et JOANNEM LUCHTMANS,
Academiae Regiae Hollandiae Typographos.
MDCCCIX.

Viro Amplissimo, Doctissimo,

MATTHIAE TEMMINCK,

variis olim, stante Republicâ,

in patriâ muneribus et honoribus perfuncto,

S. P. D.

JANUS OTTO SLUITER.

Desideranti mihi atque omnium opinione magis lugenti JOANNEM LUZACIUM, *acerbo nobis fato ereptum, etsi non defuit, quo me consolarer, plurimum tamen debeo Viris egregiis atque intimâ illi, dum vixit, familiaritate conjunctis,* CORNELIO DE GYSELAAR, JACOBO CAROLO SOUCHAY, *et quem primum nominare debueram, optimo ejus Fratri,* STEPHANO LUZAC, *quorum ipse triumvirorum fidei ac prudentiae rerum suarum filiorumque curam testamento commisit. Nam quum* Lectionum Atticarum, *quas Tibi inscribere volebat, primam partem plane perfectam* LUZACIUS *reliquisset, librum ut edendum curarem, atque Auctoris loco ad Te mitterem, mecum egerunt: quae res non exiguum mihi solatium praebuit, vel propter honorem ab amicissimis illius mihi habitum, vel quod aliquam certe gratiam Viro de me optime merito relaturum me sperabam. Quamvis autem nihil aliud a me postulari videam, nisi ut Magistri consilium declarem, librumque ejus nomine ad Te mittam, tamen et Illorum, et Tuae voluntati atque in optimum amicum amori, et officio meo ac pietati convenientius me facturum*

judico, si hac usus opportunitate excellentis omni laudis genere Viri memoriam Tecum recolam, debitamque pro singularibus erga me beneficiis gratiam ei persolvam: si forte, quem ex immaturo ejus interitu cepimus, dolorem hoc modo aliquantum mollire et cari capitis desiderium lenire possimus.

Non sum equidem nescius, VIR AMPLISSIME! *tantam Tibi fuisse cum* LUZACIO *necessitudinem, meique ingenii eam esse mediocritatem, ut nec ignota Tibi narrare, et magni Viri laudes enumerare magis quam praedicare possim. Verum tamen sperare videor, nonnullam Te in legendo percepturum voluptatem, cum ad amicissimi memoriam animum Tuum revocem: nam si caeteris rebus minus Tibi satisfaciam, amorem quidem certe erga magistrum veritatisque studium probabo. Nec vero omnia complecti, et quem ille vitae cursum tenuerit ordine narrare, sed ex infinito paene rerum numero summas et quasi capita decerpere mihi visum est, horumque recordationem renovare, quibus tantam famae celebritatem consecutus est: ingenium dico subtile atque elegans, judicium acre, copiam et varietatem eruditionis, industriam numquam languescentem, animum denique plurimis maximisque instructum et ornatum virtutibus.*

Et ingenium quidem ex aequalibus ejus me audire memini, cum dicerent tale jam in juvene eluxisse, ut omnium facile principem judicarent qualisque vir futurus esset jam tum augurarentur; nam et celeritatem ad percipiendum, et facilitatem ad discendum, et memoriam ad retinendum quae didicisset, summam in eo fuisse: Subtilitatem vero, acumen, solertiam, tum in inveniendo, tum in judicando, sensum acrem veri, venusti, sublimis, flagrans denique discendi studium atque in omnibus omnino rebus, quas ageret, mirum quemdam ardorem, quum in senescente cognoverimus, qualia tandem in juvene fuisse censemus? Hanc igitur naturae bonitatem quum in ipso perspiceret VALCKENAERIUS, *ingeniorum, si quis alius, censor acutissimus, statim juvenem complexus est sibique conciliavit, ac tanto literarum, quas profitebatur, incendit amore, ut haud difficulter magistro obsecuturus fuerit* LUZACIUS, *monenti in-*

literis sibi vitae stationem esse collocandam. Quod ex quodam ipsius sermone intellexi, quo me ad perseverandum in literarum studiis cohortabatur; quarum etsi tantum amorem in me excitaverat, nihil ut magis cuperem, quam ut in his aetatem degere mihi liceret, tamen objiciebatur interdum animo metus quidam et dolor, cogitanti exigua his studiis proposita esse praemia vitamque in ludo inter pueros consumere miserum existimanti. Hac me sollicitudine ut liberaret meumque castigaret errorem, cum saepe aliis rationibus enitebatur, vitamque illam minime fugiendam esse docebat, majorum etiam interdum praemiorum spem ostendebat, ac se neque commodo meo neque laudi umquam defuturum pollicebatur; tum in eam aliquando incidit mentionem, parum abfuisse, quin ipse adolescens admodum in Groninganâ cathedrâ collocaretur, quum LENNEPIUS *inde Franequeram discessisset.* Ego tum, *ajebat*, nondum vigesimum primum aetatis annum compleveram, Leidae et Literis et Iuri Romano ac Patrio operam dabam, ut ad forum me pararem volebant mei; quorum ego voluntati sic obtemperabam, ut Iurisprudentiae tamen Literas nostras longe anteferrem. Quod cum VALCKENAERIUM non fugeret, tentare voluit, possetne aliqua iniri ratio, quâ prorſus ad haec studia traducerer, atque hoc consilio ſuam mihi commendationem apud Groninganæ Academiae Curatores obtulit: neque dubium est quin id perfecturus fuerit, quod volebat; tanta ejus erat apud omnes auctoritas. Sed quo me tunc animo fuisſe putas, quum, quod ardentissime cuperem, conſequi per Patrem ac Patruum mihi non liceret? *Hic quum ego admirarer, et cur id illi noluissent, quaererem;* Patri, *ait ille*, viro caeteroquin optimo, Graecarum ſtudia Literarum, neſcio cur, non probabantur: Patruo, cui plurimum debebam, alia cauſa erat. Primus enim is Diarium Leidae Francice scriptum edere inſtituerat, idque inſtitutum satis jam tum luculentum et quaestuosum me cum Fratre persequi atque urgere volebat: at ne dilaberetur metuebat, si vel uterque, vel alteruter nostrûm Leidâ procul abesset, idque ne fieret, vehementer contendebat. Haec me ratio ardorem illum parumper coërcere multarumque aliarum rerum studia cum hisce Literis nostris conjungere coëgit. *Sed quid privatum hoc refero* VALCKENAERII *erga* LUZACIUM *benevolentiae testimonium, quum publica exstent complura, multorum aliorum laudibus longe*

anteponenda? quod cum Te minime latet, VIR AMPLISSIME! tum nemo nescit, nisi qui Valckenaerianas ad Theocritum Animadversiones et Diatriben ignoret Euripideam. Quale vero hoc existimandum est, quod hanc ipsam non prius ille in lucem emisit, quam discipuli sententiam exquisivisset? quod profecto non fecisset, nisi multum apud se in his etiam rebus auctoritas ejus valuisset.

LUZACIUS autem quum sibi in Literis vivendi negatam videret facultatem, Jurisprudentiae, quam jam antea adsumserat, neque leviter attigerat, impensiorem tribuit operam ac totum se addixit, aequalibusque, qui juris scientiâ excellebant, facile vel par, vel superior evasit omnibus. Obfervationes Apologeticas pro Jctis Romanis, quibus disceptatis Doctor Juris renunciatus est, quis sine laude memoravit? in his enim dubium est, majorne Antiquitatis et Literarum, an Jurisprudentiae scientia eluceat.

Perversa sane est multorum consuetudo, qui simul cum Academiâ Literas relinquunt, nec didicisse videntur, nisi ut celeriter obliviscantur. At non cadebat talis ftultitia in LUZACIUM, qui praeclare sentiret, quantum esset etiam patrono in politioribus literis praesidii: sed quum in his omnem curam atque operam collocare non liceret, tantum iis tribuit temporis, quantum labori forensi et amicorum temporibus superfuit. Id si cui minus persuasero, eos omnes citabo testes, qui Amici nostri et aetatem illam, et industriam admirabilem cognoverunt; literas proferam Hagâ Comitum ad VALCKENAERIUM ab eo datas, quibus vitae suae studiorumque rationem exponit, seque significat, quantum alii ludis tribuant ac voluptatibus, tantum sibi fumere ad haec studia recolenda, in quibus et animus a forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant.

Jam aliquot annos, tum Hagae Comitum, tum Leidae caussas in foro egerat LUZACIUS, quum fato concessit VALCKENAERIUS. Huic quem in Graecarum Literarum Professione vellent fuccedere, Leidenfis Academiae Curatoribus occurrebat continuo WYTTENBACHIUS, quem exquisitae doctrinae elegantisque in-

genii laude cum summis quibusque viris jam tum comparabant omnes. Accedebat RUHNKENII *voluntas, qui hunc unum omnium et discipulorum et amicorum plurimi faciebat, unumque sibi maxime collegam optabat. Id igitur quo gratius* RUHNKENIO *accideret, eo magis dolebat, conditionem ab illo constanter repudiari. Dolenti fit forte inter ambulandum obvius muneris socius et amicus* BAVIUS VOORDA; *rogat numquid de* WYTTENBACHIO *accepisset? Cui cum* RUHNKENIUS *respondisset, eum in sententiâ permanere, seque neminem praeter hunc habere, nec Batavorum, nec exterorum, quem valde collegam sibi cuperet;* quid? *inquit* VOORDA, Tu collegam tibi apud exteros quaeris? dum in hac ipsâ urbe habes, quo vel doctiorem, vel meliorem Virum non facile invenias? — Et quem? *rogat ille.* — LUZACIUM. — At non placebit ei conditio. — Noli id credere, *ait* VOORDA, novi animum hominis, novi Literarum amorem, taedet eum forensium rerum, quaestum negliget, accipiet conditionem: Tu modo fac ut ei offeratur. *Laetus hoc indicio* RUHNKENIUS *amico obtemperavit, suâque commendatione et adhortationibus effecit, ut et deferretur* LUZACIO *provincia, et dêlatam ut hic susciperet. An vero censemus* RUHNKENIUM *suam auctoritatem pro* LUZACIO *interponere voluisse, nisi eum hoc munere dignissimum judicasset, ac scivisset, humanitatis studia a primâ inde adolescentiâ culta, numquam ab eo intermissa ac semper aucta fuisse.* LUZACIUS *autem provinciae suscipiendae caussam nullam aliam habebat, quam amorem Literarum taediumque strepitus et laboris forensis, quibus licet ad lucrum quaestuosissimis vitae genus et munus minus turbulentum otiumque literatum praeferebat. Ex eo igitur tempore studia, curas, vigilias omnes ad Graecas Literas et Antiquitatem contulit, suaeque eruditionis, non multa quidem, sed egregia specimina edidit, plura edidisset, nisi e medio cursu repentina eum vis rapuisset.*

Nec tamen haec ita dico, ut vel Graecae Linguae peritiâ VALCKENAERIO, *vel Latinae Orationis copiâ* RUHNKENIO, *vel universae Antiquitatis scientiâ summis, qui patriam nostram ornarunt, Viris parem Amicum nostrum fuisse velim: qualem in discipulo jactationem ipse, si viveret, aegre ferret. Tantum*

dico, singulari ingenio atque incredibili industriâ minime vulgarem sibi Graecae Romanaeque Antiquitatis notitiam comparasse LUZACIUM, *Reipublicae vero Jurisque Attici et Judiciorum rationem ita tenuisse, ut eorum et caussas et vicissitudines plane perspectas cognitasque haberet. Quod si perfectis* Lectionibus Atticis, *quarum non nisi partem hanc ad Te mittimus, etiam* Institutionum Atticarum *inchoatum opus, quo universum Jus Atheniensium explicare volebat, absolvere ei licuisset, dubium nemini foret, quod Tibi haud minus quam mihi certum est ac persuasum, harum rerum neminem, post renatas in Europâ literas, similiter atque Amicum nostrum fuisse intelligentem. Jam vero quis est, qui haec plane perspici posse putet sine interiori Graecae Linguae cognitione? quam si propter unum alterumve errorem in* LUZACIO *desideremus, vereor ne parum aequi simus hominum rerumque aestimatores, neque humanae imbecillitatis rationem habeamus. Quid enim? Latine scribendo si ad* RUHNKENII *similiumque praestantiam et suavitatem non potuit accedere, eone utemur argumento, nescivisse eum Latinas Literas, aut non satis in hoc genere elaborasse? Nam quum inde ab instauratis elegantioribus Literis, in maximâ discentium multitudine, praestantissimis hominum ingeniis summisque studiis, paucissimi inveniantur, qui cum magnâ eruditione insignem Latinae Orationis facultatem conjunxerint; ideone dicemus, caeteros Latinae Linguae fuisse rudes? aut si in verbo formulâve lapsi fuerint, continuo irridebimus eos et contemnemus? quod qui superioribus adeo seculis fecerunt, nae ego hos existimem fuisse ab humanitate, ad quam nos literarum studia ducere debent, procul remotos. Videamus igitur ne multum fallamur, si vitio demus* LUZACIO, *quod multis variisque rebus implicitus atque impeditus, et eâ maxime aetate impeditus, quâ sua cuique potissimum fingitur oratio, id non sit consecutus, quod pauci eorum, qui in hac re solâ totam contriverunt aetatem, consequi potuerunt. Ille autem, sicuti sentiebat, ita etiam praedicabat, Linguarum per se infructuosam esse scientiam, sed neminem nec ad verae venustatis sensum politioremque humanitatem informari, nec ad mediocrem etiam Antiquitatis et Historiae intelligentiam pervenire posse, nisi illas perdidicisset: atque hanc ob caussam cum integros quantum posset dies ac saepe*

noctes in volvendis, legendis, tractandis Veterum libris tereret, non eos perlegisse satis habebat, sed summorum quorumque in his Literis Virorum more et exemplo singula notabat, in chartam conjiciebat suosque in locos digerebat, non tantum quae ad Antiquitatem, Historiam, Philosophiam, verum etiam quae ad Grammaticam Linguarum rationem pertinerent, idemque ut facerent, discipulos suos saepe monebat.

Non exigua Grammaticae disciplinae pars est Analogia et Etymologia, quam Philosophiam linguarum non male appellare videmur. Hujus ille studium jam in primâ adolescentiâ a magno HEMSTERHUSIO *acceperat amoremque imbiberat: ac sedulo inquirere solebat, quâ de caussâ quaeque res ita essent nominatae; quis verborum ortus, quis progressus notionum, quod vinculum, non tantum Graecorum verborum inter se, sed etiam cum Latinis: quam disciplinam Hemsterhusianam et penitus perceperat et egregie ornavit praeclarâ illâ* ad BAVIUM VOORDA Epistolâ, *et scriptis jam inchoatis amplius fuerat illustraturus, si longiorem ei vitam Deus concessisset.* Disputationis de Verbis *Λύω* et *Μύω scis jam partem typis esse descriptam; caeterorum vero, quae ad pertractandum hoc argumentum congesserat, quantum fortuna reliquum fecit, Frater ejus, Vir humanissimus, mihi concessit; unde si ea eruere potero, quibus institutum opus perficiatur, neque hoc doctrinae ejus monumentum perire patiar.*

Sed ne longius quam par est vagetur amoris impetu incitata oratio, ratione tanquam freno utendum est. Itaque nihil dicam de accuratâ Historiae, tum Civilis, tum Literariae scientiâ, nihil de criticâ facultate et acumine vel in emendandis, vel in explicandis antiquis Scriptoribus, nihil de caeteris, quae si exponère velim, justum volumen sit complendum. Neque vero quidquam video, cur plura addere oporteat: fuerit enim LUZACIUS *earum, quas dixi, rerum plus quam mediocriter peritus, ingenii acumine judiciique solertiâ excelluerit nec ne, ii judicent, quorum in manibus scripta ejus versantur.*

Tanta autem licet sit earum, quas dixi, disciplinarum amplitudo, ut, qui illis fuerit instructus, ei nihil ad eximiam laudem deesse videatur, non his tamen se finibus LUZACIUS noster continuit, sed tanquam coelesti quodam mentis impetu concitatus per eas fere omnes permeavit disciplinas, quae ad societatis vitaeque humanae utilitatem inventae sunt et excultae. Nam et Mathematicarum artium rerumque Naturalium bene fuit peritus, et Philosophiam omnium laudandarum disciplinarum dominam ac reginam summo studio coluit: mitto leviora, neque enim omnia possumus persequi: Juris vero Civilis, et Romani, et Patrii, gravissimam disciplinam praeterire non possum, cujus ille tantam sibi scientiam comparaverat, ut in summorum patronorum numero ab omnibus poneretur, ejusque domus ingenti consultorum multitudine ad extremum usque vitae tempus frequentaretur. Hac igitur famâ cum apud omnes inclaruit, tum Trajectini, quo tempore civium quorumdam suorum iniquitate et injuriâ pressus ipse se Graecarum Literarum in Leidensi Academiâ Professione abdicaverat, eum in suam urbem atque Academiam ad jus docendum conditionibus satis lautis arcessiverunt. At ille, qui patriae civitati Leidensibusque suis toto pectore esset addictus, adduci nullo modo potuit, ut Trajectum migraret, sed suâ se virtute involvens bonarumque artium studiis consolans, maluit apud suos latere, minime dubitans, quin tandem defervescentibus civilibus odiis et invidiâ, summae semper virtutis comite, faventibus bonis omnibus, in pristinum statum restitueretur.

Ad tantam autem, quantam dixi, Patrii Juris cognitionem non minorem adjungebat Historiae Patriae et Antiquitatis intelligentiam, quâ ille non modo Jureconsultum, sed ne civem quidem ullum, honesto certe loco natum, aequo animo carere posse credebat. Eorum vero inprimis reprehendebat socordiam et perversitatem, qui, cum ad rempublicam aliquando cuperent accedere, hanc negligerent omnium maxime rem necessariam. Ignorantibus enim quae juste sapienterque a majoribus essent acta et constituta periculum esse dicebat, ne saepe et injuste et imprudenter agerent. Majorum vero nostrorum (etsi perfectos homines minime eos judicabat) prudentiam, fortitudinem, constantiam, patriae

libertatis-

libertatisque amorem vehementer admirabatur, a quibus virtutibus defecisse posteros et indies magis deficere querebatur. Itaque nihil principibus in republicâ viris efficacius ad virtutem prudentiamque civilem majorum exemplis judicabat, qui praestantissimis institutis ac legibus temperatam florentemque rempublicam posteris tradidissent.

Venio nunc ad eam rem, quâ unâ maxime per totam Europam LUZACIUS *noster fuit nobilitatus; Juris publici rerumque civilium scientiam et usum: quae quidem res tanta mihi videtur, ut nihil neque ad laudem praeclarius, nec ad utilitatem uberius cogitari possit. Ea quippe ars, quae in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum civitatium versatur, longe maxima est et ad perdiscendum tractandumque difficillima. De cujus artis vi et amplitudine, quae ab ipso mecum aliquando disputata memoriâ teneo, haud ingratum me Tibi facturum arbitror, si quantum possim brevissime hoc loco exponam. Nam quum accideret aliquando, ut* magnum politicum *ex recentiorum populorum consuetudine quemdam vocarem;* Honorificum tu nomen, *ait*, magnamque laudem illi viro tribuis; satisne vero, intelligis, quem ita appellari conveniat?. — Non audeam id, *inquam*, profiteri, praesertim te audiente: arbitror autem hoc nomen in eo esse ponendum, qui noverit quaecunque ad regendam civitatem pertineant, atque ingenio valeat ad his utendum. — Non male id quidem, *ait ille*, quamquam non omnem tuâ definitione vim ejus rei complexus es; sed quaenam ea esse censes, quae ad regendarum civitatium scientiam pertineant? *Tum ego*, quid aliud esse censeam, quam ut suae quisque patriae historiam, mores, leges, instituta, vires, commoda noverit atque universe naturas hominum, resque eas, quibus maxime mentes moveantur, perspiciat? Haec fere sunt, quibus contineri eam disciplinam putem: dico autem tantum, quantum intelligo; et fortasse ne hoc quidem decuit. Quin tu igitur potius ista expone, in quo summam hujus artis scientiam agnoscunt omnes. — Utinam quidem vere! *inquit* LUZACIUS, sed istud qui dicunt, nimium mihi honorem habent. Quâ autem tu rerum intelligentiâ compleri illam artem credidisti; fuit cum in eâ satis esset ad gerendam rempubli-

cam praesidii. At nostrâ aetate qui haec tractare velit, difficile est dictu quantâ indigeat doctrinae copiâ. Vix enim credas, quam sint omnium populorum res inter se connexae et implicitae, quali inter se societatis ac necessitudinis vinculo jungantur. Quorsum hoc? Ut intelligas non posse unius cujusdam populi res et commoda perspicere, nisi qui omnium statum et conditionem perspexerit: quare consentaneum est, ut, qui res civiles tractare velit, is universam perceperit historiam, teneat quae sint singularum gentium vires, opes, ingenia, mores, religio; quo reipublicae ſtatu quâve imperii formâ utantur, et quantum quaeque ad humanitatem profecerit; neve fugiat eum quis sit cujusque regionis situs et magnitudo, quis numerus incolarum, tum universae regionis tum singularum urbium, quae in aliis terris coloniae: Praeterea nosse eundem oportet, quid quaeque regio ferat, quibus rebus abundet, quibus egeat, quam quaeque urbs faciat mercaturam, quibus artificiis maxime excellat, quorumque maximas habeat opportunitates: mercaturae quoque ipſius artiumque et artificiorum naturam et vim cognoscat, et, quandoquidem saepe bella incidunt, neque rei militaris scientiam negligat: Porro regum principumque virorum indoles atque mores cognoscendi et quid quisque vel agat, vel moliatur, sciendum est, quatenus sciri possit: quam ob caussam et linguas non paucas addiscere, et commercia cum multis habere oportet, maxime cum iis, qui rebus gerendis vel praesint vel intersint. Horum qui aliquid praetermiserit, quâ tandem ratione videbit, quid vel suae patriae, vel aliis civitatibus sit profuturum, quorumque populorum amicitiam quosque maxime colere oporteat. —— *Et ego*, admirabilem vero, *inquam*, scientiae amplitudinem, neque ab uno homine facile comprehendendam, siquidem id velle mihi videris, omnium artium ac disciplinarum, non modo majorum, verum etiam leviorum virum πολιτικὸν esse intelligentem. Sed de scientiâ antiquitatis, iisque in quibus nos versamur studiis quid existimandum? nullumne horum usum esse in hac rerum civilium disciplinâ putas? Imo vero, vel maximum, *inquit*, hinc enim et exempla et praecepta gerendae reipublicae praestantissima peti posse arbitror, ac, si quid est in me civilis prudentiae, quam nonnullorum mihi tribuit benevolentia, id certe ex hoc Antiquorum fonte fluxit. Sed quoniam omnia enumerare infinitum ſit, quale est, quod de ingenio ejus, quem quaerimus, viri dixisti? id

enim alterum erat in tuâ definitione. *Tum ego*; solertem esse volo ac perspicacem, ut quid utile sit civitatibus videat, sciat quid ex quâque re sequatur, optimam semper ingrediatur viam ad id adsequendum quod velit, neve falli se aut circumveniri patiatur; tum etiam constantem ac fortem, ne ullo impedimento ullove periculo a propositâ boni spe abducatur; omnino id, quod semel bonum judicârit, omnibus opibus viribusque perficiat. —— Recte sentis; *inquit*, is enim esse debet vir *πολιτικὸς*, qui Homerici Calchantis instar sciat *τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα*, singulorum ingenia moresque facile perspiciat, quid factu opus sit, et quâ ratione celeriter inveniat, et velut ex alto editoque loco futuros casus calamitatesque prospiciat: maxime autem in agendo et rebus gerendis prudentia ejus cernatur; et si quidem recte a te dictum est, naturas hominum vimque omnem humanitatis perspectam ei esse debere, temporum morumque rationem habeat, tum in scribendis legibus, tum in gerendâ republicâ; quod autem de constantiâ et fortitudine dixisti, id eam vim habere debet (quoniam omnibus virtutibus adjuncta esse solent vitia quaedam) ut caveat, ne vel in pervicaciam, vel in temeritatem delabatur, prudentium monitis lubenter obtemperet, neque committat, ut sibi dicendum sit;

Ἀλλ' ἐγὼ οὐ πιθόμην, ἦτ' ἂν πολὺ κέρδιον ἦεν.

hoc item prudentiae est: sed justitiae nulla est a te facta mentio, nulla integritatis, nulla humanitatis; has tu virtutes necessarias illi viro non existimas? —— *Ibi ego*, equidem, *inquam*, ita sentio, neminem esse laudabilem, neminem amore dignum, qui justitiae sit expers; at saepe tamen civilem eorum prudentiam laudari audivi, qui ab illis, quas dicis, virtutibus multum abessent, sibique Eteoclis illius Euripidei exemplum proposuisse viderentur, si violandum sit jus, regnandi gratiâ violandum praedicantis. —— Latronum, *ait ille*, ea prudentia est et tyrannorum; nam ut eos oderunt omnes atque exsecrantur, qui, ut ipsi omnibus voluptatibus perfruantur, alios libidinose vexant, exhauriunt, diripiunt, caedibus et rapinis pascuntur; ita ne hos quidem probandos censeo, qui etiam patriae augendae caussâ injuriam aliis, vel vi, vel fraude inferant, ac dum sibi civi-

busque utile sit quod sibi proposuerint; non religiose quaerant, quâ id ratione assequantur, neque de via declinare vereantur; non minus autem in civilibus rebus quam in vitâ communi, verum esse arbitror quod est a CICERONE dictum, „qui „aliis noceant, ut in alios liberales sint, eos in eâdem esse injustitiâ, ac si in „suam rem alienam convertant." Equidem Marathonio tropaeo potiorem duco justitiam Atheniensium, qui Themistoclis consilium, quod utile quidem, sed injustum judicasset Aristides, repudiarent: Contra priscos illos Romanos, quorum laudibus aures nostrae personant, quorumque prudentiam, fortitudinem, continentiam, magnitudinem animi omnes in ore habent, odio dignos eo nomine censeo, quod imperium gentium per injustitiam ac fraudes conſtituerunt. O scelestam et nefariam laudatissimi illius Catonis vocem! Carthaginem delendam nullam aliam ob caussam praecipientis, quam quia id conducere suae civitati putabat: ipse enim patriae amor, quamquam res et pia, et optima, et ad conservandas augendasque civitates necessaria, ita tamen moderandus est, ut aliorum populorum absit injuria. Tu vero cave, ne eos quos diximus, prudentes vel fortes existimes: callidi sint, astuti, audaces, at neque prudentia, neque fortitudo sine justitiâ esse ulla potest. Denique ita existimo, perfectam quidem in rebus humanis gubernandis justitiam ac prudentiam, unius esse Dei; hominum vero ut quisque eas prudentissime justissimeque administret, ita proxime ad divinae virtutis praestantiam accedere.

Non sentiebat Vir doctissimus, haec cum diceret, talem se informare τὸν πολιτικὸν, qualis ipse esset, et quasi ex se expressam imaginem fingere; quum et caeteris, quas dixisset, rebus esset instructus, et gentes plerasque ac regiones haud secus cognovisset, ac si singulas percurrisset oculisque lustravisset; et linguis, quibus cultiores Europae populi utuntur, ita esset eruditus, ut plerisque et loqueretur facile et scriberet; Francice vero ita scriberet, ut Parisiis natum atque educatum crederes. Quod eo majus illi fuit, quam caeteris, quia semel tantum, idque provectiori aetate, patriâ egressus, nec ultra Bruxellas progressus est. Mitto familiaritates, quae ei cum principibus viris et nostrae gentis et ex-

terorum fuerunt, e quibus, si nullum alium, at hunc certe fructum cepit, quod optime sciret, quid per Europam ac per totum fere terrarum orbem gereretur, caussasque rerum et eventus optime perspiceret. Accedebat huc solertia ac prudentia haud vulgaris, quibus fiebat, ut et de praesentibus verissime judicaret, et de futuris callidissime conjiceret. Tantâ denique erat ingenii, judicii, doctrinae praestantiâ, ut, quid patriae expediret, nemo, quid aliarum gentium singulis, pauci in his ipsis gentibus melius ipso viderent. Testes quis vel documenta desiderat? Una instar omnium testis est Ephemeris, quam ille Leidae per plures annos una cum Fratre curavit et edidit. Hanc quis rerum civilium vel cupidus, vel peritus ignorat? quis est cultior populus, quaeve urbs, in quam ea non pervenerit? quis eam vir bonus et prudens non diligenter lectitavit valdeque probavit? ea nimirum est hujus Diarii praestantia, ut qui ex eo justam nostrorum temporum historiam contexere et adornare velit, nihil admodum sit desideraturus. Quo magis dolendum est, LUZACII *hostes efficere potuisse, ut hujus curandi jus haereditate a Patruo acceptum publico Decreto ei eriperetur. Si quis vero roget, cur tantâ rerum civilium peritiâ et usu ad rempublicam gerendam accedere ipse, cum posset, numquam voluerit, nihil aliud caussae fuisse opinor, quam quod consiliis se et disciplinâ plus prodesse suis civibus arbitraretur, quam si honores et magistratus ipse gereret.*

Satisne declarasse videor, quanta fuerit in LUZACIO *utilissimarum rerum scientia, quanta eruditio, quam subactum excultumque ingenium? quamquam id nemo est qui negare audeat, cum tantus inde utilitatis fructus ad plurimos redundarit: quod quidem haud scio an in ipsâ doctrinae praestantiâ praestantissimum liceat dicere. Nam ut hortos eos maxime probamus, in quibus cum florum varietate descriptionisque elegantiâ conjunctam videamus fructuum ubertatem, atque ut in pratis pastus abundantia magis etiam laudatur, quam virescentis graminis amoenitas, sic etiam ingenia ea demum excellentissima videntur, quae cum elegantioris doctrinae tanquam floribus distincta sint et ornata, tum ad usum cultumque vitae humanique generis utilitatem fructus uberrimos ferant. Quod cum ita putaret* LUZACIUS*, etsi eruditione*

et ingenii cultu nihil pulchrius existimabat, nihil liberalius, nihil homine dignius; non hunc tamen solum sibi finem studiorum proponebat; sed magis etiam usum atque utilitatem spectabat. Atque ut eruditione suâ otiose frui inertiae esse credebat molestiam fugientis, aut avaritiae congestos thesauros defodientis; ita etiam doctrinae sine utilitate ostentationem, venditationem, jactationem respuebat atque oderat. Fructum autem ex doctrinâ tum demum se ferre credebat, cum ex reconditis thesauris aliquid posset depromere, quod vel ad vitam moresque suos regendos, vel ad amicos adjuvandos, vel ad civitates prudenter constituendas atque administrandas pertineret; unde non in suam tantum patriam atque urbem, sed in alias etiam gentes plurima maximaque ejus beneficia exstiterunt; quae quo magis iis praestare posset, auctoritas faciebat, quam ei prudentiae virtutisque existimatio apud primarios multos viros, cives, exteros, pepererat, et amicitiae, quas cum optimo quoque eorum junxerat. Ac cives quidem nostros, quibuscum salutaria reipublicae consilia crebro communicavit, quid enumerem? noti sunt plerisque ac nemini melius quam Tibi, Vir Amplissime! qui principem diu in amicitiâ Viri optimi locum obtinuisti, ac de republicâ, etiam difficillimis Patriae temporibus, constanter eadem atque ille sensisti. Quid ego dicam, quanto opere aliquando consilia ejus expetierint tum Leidensis urbis, tum aliarum civitatium Magistratus? quid, quam saepe ab optimis eorum, qui vel universae Reipublicae, vel Hollandiae praeessent, sententiam de maximis rebus fuerit rogatus? quid denique, quantum consilium ejus atque auctoritas apud Leidensis Academiae Senatum valuerit? nuper haec vere exposuit, qui item egregii Collegae mortem luget, vir et ingenii elegantiâ et exquisitâ doctrinâ excellens JONA GULIELMUS TE WATER, quum in Societate Literariâ Leidensi, et ipsius, et optimi KLUITII, quo erat in utrumque amore, celebravit memoriam. Id praetereundum non est, LUZACII consilium operamque fuisse expetitam, simul ac procellarum civilium fluctuumque popularium aestus aliquantum deferbuerat, et Respublica vix tandem ex iis emersura esse videbatur. Quod scimus ante hos circiter sex annos contigisse, quum rerum in patriâ commutatione factâ, singulis regionibus urbibusque nova magistratuum descriptio atque administrationis ratio esset infer-

manda. Cui rei quum in quivis regione atque urbe complures viri praeficerentur, primum Hollandi, nec diu postea Leidenses hoc in numero LUZACIUM *esse voluerunt, cui ea provincia daretur: et, quem criminati erant inimici reipublicae nocere pravisque opinionibus juventutem imbuere, ei privato, amissâ Cathedrâ, gravissimum munus legum sibi ferendarum deferre non dubitarunt. Itaque hac operâ perfunctus pristinâ dignitate non diu amplius caruit, sed mox Academiae Leidensi a Curatoribus redditus est, amplificato etiam honore et aucto stipendio. In illis autem muneribus etsi cognitum est, non injuriâ prudentiae, aequitatis usuque rerum laudem dudum ei fuisse tributam, majorem tamen inde gloriam fuisset adeptus, si liberum etiam tunc et integrum ei de omnibus praesertim Hollandiae rebus constituendis fuisset judicium et potestas.*

Quod autem modo dixi, exteris etiam populis profuisse LUZACII *nostri sapientiam, id quam late patuerit cum longum sit enarrare, non possum tamen, quin uno, sed insigni exemplo, cujusmodi fuerit ostendam. Nam quum Britannorum in Americâ Coloni Britanniae se Regis potestati subduxissent, ac libertate armis partâ, rempublicam bonis legibus temperare et firmare cuperent, principesque eorum cives, optimi prudentissimique viri, non subito, neque levi operâ tale opus perfici posse viderent, quod neque temporum injuria facile infringeret, neque malorum civium audacia everteret; non ante manus ei admovendas censuerunt, quam peritos rerum civilium viros etiam in aliis gentibus consuluissent; neque quem potius consulerent, quam* LUZACIUM, *aut in quo plus auctoritatis ponerent, habuerunt: quippe quem et prudentem virum esse noverant, et justae moderataeque libertatis amantissimum, et, quae commoda quaeque vitia foederibus liberarum civitatium inessent, exemplo tum aliarum, tum nostrae reipublicae usuque edoctum. Ad hunc igitur adierunt; hujus potissimum consilio usi sunt ad leges foederis, quo inter se tredecim jungerentur civitates atque in unam gentem coalescerent, constituendas. Equidem etsi nihil de primoribus illius gentis detractum velim, quos viros sapientissimos civesque optimos ipse noster* LUZACIUS *et judicabat et praedicabat, tamen temperare mihi non potui,*

quo minus hanc amici laudem hoc loco commemorarem, ut, si stet diu ac floreat illorum Respublica, (id, quod et humanitatis, et verae libertatis et ipsorum caussâ vehementer optamus) una cum praeclaris WASHINGTONI, ADAMII, JEFFERSONI *caeterorumque clarissimorum Virorum nominibus, qui rempublicam illam egregiis ornarunt institutis ac legibus,* LUZACII *nostri praeclare de ipsis meriti nomen celebretur ac gratâ vigeat posteritatis memoriâ. Idque eo magis nobis faciendum esse censemus, quod ipse, quum* Orationem de Socrate Cive, *plenam illam civilis prudentiae et virtutis, ad egregium virum,* JOANNEM ADAMS, *mitteret, amicitiam quidem, quae sibi cum primariis in eâ Republicâ viris esset, praedicavit, sed consilia iis a se data ne verbo quidem significavit. Nobis autem id prodere licet, qui de carissimo Magistro scribimus eoque mortuo: quem tanto in honore ipsi habuerunt, ut eum secum in Americam ducere ibidemque perpetuo retinere cuperent. His ille principum virorum amicitiis ita se affici et delectari professus est, ut vel earum caussâ vixisse non poeniteret. Ego vero vixisse* LUZACIUM *vehementer gaudeo bonique omnes gaudebunt, quamdiu virtuti suus constabit honos.*

Nam quotiescumque mentem ac cogitationem ad vitam ejus moresque converto, multarum magnarumque virtutum exemplar quoddam intueri mihi videor. Quam enim excellens in eo fuit justitia, probitas, constantia, patriae amor!

—— Huic pudor et justitiae soror
Incorrupta fides nudaque veritas
Quando ullum invenient parem?

Quis beneficentior? quis liberalior? quis ad opem ferendam promtior? quis denique iis omnibus instructior exstitit animi bonis, quibus vita hominum societasque inter se continetur, et excolitur? Horum igitur innata semina optimarum disciplinarum studiis vitaeque usu excoluerat, doctrinae vero Christianae praeceptis, quibus nihil efficacius ad virtutem veramque felicitatem judicabat, ad maturitatem perduxerat.

Et

Et justitiae quidem ab ineunte aetate ita studiosus fuit, eamque semper deinceps ita coluit, ut vitam non tantum ipse suam ad ejus praecepta exigeret ac neminem ultro laederet, sed etiam ut ab aliis injurias, quantum in se esset, propulsaret, eosque qui injuste agerent, vel libere admoneret, vel, si insanabiles judicasset, reprimeret, quoad posset. His igitur quum nec in sermonibus, nec in scriptis suis parceret, sed vehementius saepe atque asperius in eos inveheretur, quid miramur multorum in eum odia exstitisse? Ego vero etsi acerbas istas castigationes atque objurgationes non omnes prorsus probare possum, fontem tamen, unde illae manabant, justitiae studium, magnopere laudandum duco. Quodsi vere fidem incorruptam justitiae sororem HORATIUS *vocavit, mirum non est, si hac aeque excelluerit: erat enim simplex, candidus, apertus, sincerus, ab omni fraude alienus, promissorum etiam suo incommodo servantissimus. Quid de patriae amore dicam; cujus caussâ tam graves inimicitias suscepit, tamque magna accepit damna? Quid de constantiâ? quam tum in iis casibus, quibus eum fortuna vehementer exercuit, tum in sententiâ de republicâ ac de bonis malisque rebus summam semper ostendit; nec ullis unquam aut lucri illecebris ac pollicitationibus, aut malorum metu ac minis induci potuit, ut de rectâ viâ deflecteret: erat enim* LUZACIO *animus*

Rerumque prudens, et secundis
Temporibus dubiisque rectus,
Vindex avarae fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae.

Illarum autem virtutum haud scio an nullum majus exstet documentum, quam ipsae istae inimicitiae, quaeque has secutae sunt calamitates et rei familiaris detrimenta. Mirabili enim flagrabat libertatis amore, tyrannidem vero quorumcumque tandem atque impotentem dominationem qui vehementius aspernaretur, nemo fuit invenus: at libertatem amabat sapienter justeque temperatam, cujus eam esse vim credebat ac normam, ut neque patiamur, neque facia-

mus injuriam, legibus pareamus, omnem operam, curam, cogitationem ad commune omnium bonum conferamus: contra licentiâ, etsi falso libertatis nomen usurpante, nihil magis oderat, quippe in quâ inesset vis et injuria, quam qui aliis inferrent, etiamsi id libertatis tuendae gratiâ facerent, eos malos homines et injustos civesque perniciosos et veros tyrannos judicabat, ac patriae quacunque de caussâ vim inferre nefas putabat. Minime vero eos ferre poterat, qui spe lucri aut dominationis vel turbas excitarent rempublicamque everterent, vel contra caussam patriae, ubi in discrimen veniret, desererent ac proderent. Haec igitur vitia quum libere ac severe notaret, ubicumque vidisset, eorum odia effugere non potuit, qui his essent inquinati; atque hanc ob caussam ut Tibi Tuique similibus viris, qui pacem concordiamque civium suadebant et seditionibus turbisque anteferebant, quique salubrem *amabant.*

Justitiam, legesque, et apertis otia portis,

gratus erat et acceptus, ita omnes factionum duces suumque tantummodo commodum spectantes adversarios habuit et inimicos. Quamquam non est Tibi, quod scribo, hoc novum, Vir Amplissime! qui per omne illud procellarum civilium tempus amantissime conjunctissimeque cum LUZACIO *vixisti, pariter libertatis legumque constitutarum amans, pariter justitiae studiosus, pietatis, religionis, fidei, omnisque virtutis; quam ille amoris erga Te caussam, haud minus quam studiorum conjunctionem, saepe ferebat.*

Plurimum sane in his rerum civilium tanquam scruposis scopulis LUZACII *vita fuit jactata; tantum autem, quantum res postulare videbatur, plus etiam quam volueramus, oratio nostra morata est: e quibus quando enavigare licuit, reliquae contemplationis cursum teneamus: neque enim mihi verendum est, ne longus esse Tibi videar, quum amicissimi memoriam Tecum repetam. Atque hoc ipsum me amicitiae nomen earum virtutum admonet, quae amicitiam plurimum exhilarant ejusque suavissima sunt condimenta; humanitatem dico, liberalitatem, facilitatem ac suavitatem morum, quas summas in ipso fuis-*

se nemo negaverit. Procul enim et ab istâ asperitate, tristitiâ, severitate vitae aberat, quam in multis eorum, qui justitiae cultu censeri volunt, licet cernere: nec eruditione aut famâ se suâ efferebat, ut Deus sibi aliquis inter mortales esse videretur ac minus doctos prae se contemneret; a quo fastu et superbiâ ita abhorrebat, ut nulla res magis eum offenderet. Ipse contra cum universos homines benevolentiâ complectebatur, tum cives praecipuâ quâdam caritate diligebat; arctum enim naturae, arctius civitatis vinculum existimabat: amicitias autem et cum civibus, et cum exteris ita maxime junxerat, ut quemque plurimum virtute excellere arbitrabatur. Nam doctorum hominum convictu etsi mirifice delectabatur, tamen minus eruditos ab amicitiâ suâ minime repellebat, dummodo bonam indolem in iis probitatemque perspiceret, sine quâ ne praestantissimum quidem ingenio et doctrinâ in familiaritatem recipiebat. Itaque cum his se submittendo quodammodo aequabat suaeque doctrinae lumine iis praelucebat, atque omnino id potissimum spectabat, quâ ratione amicis plurimum prodesse posset. Quas autem semel probasset amicitias, has ita sancte fideliterque colebat, ut neque temporis longinquitas aut usus remissio eas solvere, neque offensiones, nisi summae exstitissent, possent disrumpere. Nullum vero humanitatis afferre majus testimonium possum, quam quod et suae aetatis familiaribus et natu majoribus semper fuerit jucundissimus, et idem jam senescens me juvene meisque aequalibus ita usus sit, ut qui carior nobis esset, haberemus neminem. Doctus quippe a SOCRATE caeterisque humanitatis magistris ἐπῳδὰς illas noverat et φίλτρα, quorum dulcedine omnes ad se alliceret: nam et blanda comitas cum dignitate erat conjuncta, et gravitate temperata hilaritas. Haec igitur nos ei conciliabant, retinebat benevolentia officiorumque diligentia, oblectabant sales et lepores in jocando, nec mediocris in doctis sermonibus vel utilitas erat vel suavitas. Beneficentiae porro ac liberalitatis erga amicos et propinquos eorumque liberos haud pauca novimus documenta, quorum memores semper ac gratos speramus fore, qui acceperint: ego vero eorum mentionem praetermitto, ne aut eos, quos ipse minime voluisset, imprudens offendam, aut beneficia mortui amici exprobrare iis videar.

Adderem, nisi notum omnibus esset, quam fuerit semper paratus ad alios vel consilio vel re adjuvandos; nec id naturâ magis quam ratione: in eâ enim erat opinione, non sibi soli se esse natum, sed partem ortus sui patriam sibi vindicare, partem amicos, partem etiam humani generis universitatem. Quo cum accederet, quod et prudentissimum justissimumque virum, et summum jureconsultum judicarent, hinc fiebat, ut nullus ei dies a consultoribus vacuus esset, quorum neminem unquam, quem juvare posset, frustra a se dimisit. Atqui earundem rerum laus efficiebat, ut complures ipsum liberorum tutorem rerumque suarum procuratorem constituerent; quae onera, quamvis negotiorum multitudo facilem ei excusationem praeberet, tamen in amicorum gratiam in se suscipere non recusavit.

Tot autem tantisque rebus, quot et quantas enumeravi, districtum et impeditum suspicari quis possit juvenum institutioni publicaeque disciplinae nihil aut parum operae ac temporis tribuere potuisse: in quo praestantissimi Viri industriam maxime mirari soleo, qui munere professorio ita fungeretur, ut nihil aliud ei agendum fuisse putares. Nam non solum scholas summâ diligentiâ summoque studio habebat, sed extra scholas etiam haud paucos, in quibus bonam indolem deprehenderat, doctrinaeque amorem excitaverat, singulos privatimque ad se discendi caussâ ventitare jussit, nec ullum unquam erat tempus, quo janua ejus discipulis non pateret. Fuit autem mirus artifex excitandi in juvenibus amoris literarum atque animos eorum ad studia Antiquitatis inflammandi. Quod vero in publicis privatisque negotiis tam multum temporis ac laboris consumsisset, id tantum abfuisse credo, ut publicae disciplinae noceret, ut nihil magis discipulis profuisse putem, iis maxime, qui rempublicam capessere, aut in foro versari cuperent: hos enim sui similes efficere studebat, μύθων τε ῥητῆρας καὶ πρακτῆρας ἔργων, suamque disciplinam ita informaverat, (quod ipse aliquo loco prodidit) ut juvenes redderet non tantum doctiores, sed et meliores, cives patriae amantiores, majorum denique nostrorum simillimos. *Quarum rerum, etsi complures ejus discipulos mors rapuit praematura, testes tamen superesse gaudemus* BRINCKI-

UM, *Academiae Harderovicenae*, ZILLESENUM, *Gymnasii Medioburgensis ornamentum, aliosque complures, etiam Theologos et Jctos, qui egregii Magistri institutione ad Literarum scientiam et amorem formati sunt.*

Sed quid alios appello testes? quum ipse mihi optimus sim testis; quid enim LUZACIO *caussae fuisse putem, cur puerum, vix nomine, vultu certe nequaquam cognitum, in suam disciplinam reciperet, ac tum reciperet, quum publico docendi munere vacaret, nisi quod etiam tunc omnibus, quantum posset, prodesse studeret? nihil enim umquam ab ullo meorum acceperat, cujus gratiam referret, neque noverat, quam sibi gratiam ipse essem habiturus. Suscepit tamen meam institutionem, eâque non segniter aut remisse functus est, sed modo solum, modo cum aliquo Sodalium, alternis plerumque diebus, per totum quadriennium, ad se venire passus est, pluresque deinceps horas Vir tot negotiis distentus, tam multis ac gravibus rebus occupatus, in id impendit, ut puero prima Graecarum Literarum elementa traderet. Deinde, quum aliquantum profecissem ad Scriptorum Graecorum intelligentiam, tum vero nec a domesticâ disciplinâ quidquam relaxavit, et auctor mihi fuit, ut non ex singulis Scriptoribus singulos locos, sed integra cujusque volumina perlegerem; ab* HOMERO *initium facerem, inde ad* HESIODUM, *tum ad reliquos deinceps Poëtas, ut quisque aetate et scribendi genere proximus esset, progrederer; cum Poëtarum lectione Historicos, Philosophos, Oratores conjungerem, idque quâ viâ et ratione agendum esset, praecepit. Hoc igitur ejus consilio ita usus sum, ut ex singulis tum quae ad Grammaticam linguae rationem et ad proprium ac peculiare cujusvis scribendi genus, tum quae ad rerum scientiam pertinerent, diligenter excerperem, peculiaribusque libellis conscriberem: eorum vero, quae ipse minus intelligerem, vel expedire non possem, explicationem ab ipso peterem, ac si quando in locis, quae corrupta viderentur, ingenii vires periclitatus essem, id cum ipso communicarem ad ejusque arbitrium referrem, nihil autem sine consilio ejus atque auctoritate agerem. Pro talibus autem ac tantis beneficiis nihil ei aliud praestare nisi amorem mihi licuit: nam non modo pecuniam, sed ne munusculum quidem, quo gratum animum*

testificarer, accipere a me voluit, quin multo id majori munere remuneraretur, maximam hanc sibi mercedem fore existimans, si verum fidumque amicum sibi compararet. Posteaquam vero industriam meam gratumque animum ei probaveram, tali me amore diligere coepit, qualis parentis erga filium esse solet: cujus quidem amoris abundantiae quidam effectum credo, ut et saepe alias in privatis sermonibus, et in hoc ipso, quem accipis, libro publice praeter modum me laudaverit. Ego vero etsi minime tantum agnosco, quantum illius amor mihi tribuebat, id tamen profiteri non vereor, operam me semper dedisse, ut, quas ille curas quemque laborem in meam institutionem impenderet, iis industria mea studiumque responderent; quae si quid ad curarum dolorumque levationem LUZACIO *profuerunt, haud levem ex iis fructum percepisse mihi videar: tantum enim ei debeo amorem, tantam pietatem, ut haec ipsa gravissima nomina leviora mihi immortalibus ejus erga me meritis esse videantur.*

Sed nimis jam de me; ad reliqua transeundum atque ad ea veniendum est, quorum acerba recordatio curam animi ac dolorem augere debet. Nam si talem LUZACIUS *vitam habuisset, ut de fortunâ non magnopere querendum ei fuisset, facilius amici mortem ejus ferremus: nunc autem ipse documentum exstitit minime certam virtutis comitem esse vitam beatam. Ego certe nullum ejus tempus cognovi, quod gravibus doloribus vulneribusque fortunae vacaret: nam quo tempore ad eum accedebam, munere pulsus, mox etiam hereditario* Diarii *jure spoliatus, ingentem rei familiaris jacturam fecerat; in quo se id aegerrime ferre dicebat, quod adeo in se laedendo ab inimicis esset violata justitia: atque ab iis se vel laesum vel proditum querebatur, de quibus optime ipse meritus esset. Neque tamen hae injuriae animum ejus frangere vel debilitare potuerunt, multoque minus id efficere, ut ad turpes se pactiones abjiceret. Meministi sane, Vir Amplissime! quâ tum animi magnitudine oblatum sibi lucrum spreverit, quae fuerit mentis securitas vultusque et sermonum hilaritas: nam nec praeteritorum conscientia eum stimulabat, nec futurorum metus angebat; tum vero, in suo malo*

ac communi, usurpatione doctrinae se consolabatur, et optimorum civium erga se voluntate ceterorumque amicorum fide ac dulci alloquio plurimum sustentabatur. Tu autem, Vir Amplissime! qui tam diligentiâ, integritate, fide, amore caussam ejus tuendam publice susceperis, dicerem hoc loco, si vel modestia Tua id me facere pateretur, vel virtus meo praeconio indigeret.

At multo eum magis domesticus luctus afflixit: etenim nihil ei erat uxore liberisque carius, neque diligentem modo patremfamilias, sed bonum etiam, placidum, mitem, amantem, patrem ac maritum semper iis se praestitit: si quid in eos commisisse existimandus est, lenitatem et indulgentiam potius, quam severitatem aut morositatem reprehendendam putem. Itaque quid ei acerbius accidere potuit, quam quod hac ipsâ temporum suorum iniquitate filium natu maximum, optimum adolescentem, in quo spem appropinquantis senectutis reponebat, morte amitteret? Unde cum summum animo dolorem caperet, ut pater, eundem tamen ut vir sapiens fortiter moderateque tulit. Neque vero austeram eorum sapientiam probabat, qui res humanas nihil ad se pertinere existimant, quique, dum omnes ex animo sapientis tollunt affectus, ipsam exstirpant humanitatem: sed cum affectus homini prudenter a naturâ datos arbitrabatur, tum divinitus concessam censebat rationem, quae illos regeret ac temperaret, et religionem, quae non satis firmae per se rationi firmamento esset et praesidio. Itaque ut dolere carissimorum morte licitum ac naturae humanae conveniens dicebat, ita consolationem et Philosophiae, et Christianae Religionis sibi adhiberi facile patiebatur, eamque multum apud se valuisse ad leniendam aegritudinem aiebat; quamquam non sine ratione dolebat et in eo se ipse saepe castigabat, quod illarum praeceptis non satis neque semper paruerat. Hoc igitur animi vulnus, quamvis tempore sanatum, tamen veluti cicatrices reliquit, corpus autem ejus ita afflixit, ut ab eo inde tempore continuâ quadam gravitate capitis ac cervicis dolore laboraret: quo cum studia numquam intermissa atque [illegible] labores accederent, tantarum molestiarum molem jam senile corpus sustinere non potuit: hinc natus oculorum, hinc nervorum morbus, qui eum tum habuerit ad

animum ejus enervandum atque frangendum, in quantas ipsum miserias conjecerit, sine lacrymis non queo dicere. Ad hos autem dolores cum veluti cumulus accessisset repentina atque inopinata carissimae amantissimaeque uxoris mors, nihil ei ad extremas miserias deesse nobis videbatur, quod et corpore et animo aeger, tum, cum sibi ipse minime prospicere posset, eâ esset destitutus, cujus in curâ et sinu conquiescere aerumnasque et sollicitudines deponere posset. At longe aliter ac nos arbitrabamur res cecidit: nam veluti subitò quis aedium ruinâ ex mortifero sopore, ita ipse ex languore animi gravissimo casu excitatus se erexit, insolitamque fortitudinem, nescio unde, vel hausit vel arripuit; ut ipsa ei summa calamitas dolores detrahere ac salutem tandem afferre videretur. Quamvis enim dilectam conjugem pro eo ac debebat pie justeque lugeret, tamen nec oculis lacrymas, neque nervis dolorem, nec animo desiderium, quominus sanitatem ac robur reciperent, obesse, ipsumque tanquam ex imo aerumnarum vortice emergere atque enatare mirabamur. Vidimus quippe eumdem, qui modo salvâ conjuge ita jacuerat, ut nullam neque curarum neque laboris partem capere vellet, tum vero ita erectum, ut medias inter lacrymas et ad rei domesticae curam et ad muneris functionem, et ad studia Literarum se referret. Jamque eo res processerat, ut hilariori interdum familiarium consuetudine sollicitam frontem explicari *sineret, neque muneris Academici quidquam intermitteret, et animum operamque ad perficienda, quae instituerat, opera traduceret; quum gaudium nostrum, ac spes, quam de salute ejus conceperamus, repente concidit, atque ipse iisdem ruinis, quas pestiferi pulveris vis in patriâ illius urbe cum ingenti civium strage edidit, est oppressus; corpus autem sexto demum post die inventum, truncum ac deformatum, ita ut vix cognosceretur, horrendum spectaculum praebuit, atque ut cum* SOPHOCLE *loquar,*

Τοιοῦτον, οἷον καὶ ξυνοῦντ᾽ ἐποικτίσαι.

Istius calamitatis infixam omnium mentibus memoriam brevi dies ipse renovabit, Vobis maxime, qui interfuistis, qui vidistis magnificas adeo domos repente eversas flammisque correptas, audivistis vulneratorum ejulatus gemitusque

per-

pereuntium; quorum ante oculos adhuc versantur planctus, lamentationes, desperatio civium, parentes, conjuges, liberos carissimos, quosque ipsis domibus obtectos atque ſepultos quaerentium ac frustra vocantium: quae mihi talia esse videntur, vix ut ulla inveniri possit oratio, quâ tam repentinae tamque luctuosae calamitatis vis et magnitudo explicetur.

Hoc igitur casu exstinctum est illud ingenii, doctrinae, virtutis lumen, cujus interitu moeret Patria, lugent sui; nec minus ipsa Civitas atque Academia in communibus miseriis hoc dolore angitur. Quanquam illius vicem non est quod doleamus, qui corporis, quod ipsum debile animi etiam robur debilitabat, vinculis solutus vitam multis miseriis aerumnisque pressam cum beatiori vitâ commutarit: sensum autem moriendi quin celeritas atque ipsa ictus vehementia abstulerint, non est dubitandum. Quam ob rem cum illo quidem non male actum est, nobiscum incommodius, qui tali amico orbati sumus. Nobis autem LUZACIUS *quamquam est subitâ morte ereptus vivit tamen, semperque vivet; non enim virtutum ejus, humanitatis, justitiae, prudentiae, beneficentiae, neque amicitiae religiose cultae memoriam aut mors exstinxit, aut ulla dies delere poterit. Ego vero etsi* LUZACIUM *mihi ademtum haud secus ac parentem lugeo, ejusque prudentiam, auctoritatem, amorem vehementer desidero, tamen haec me imprimis res consolatur, quod, quum immortalitatem ejus sperare non possem, tamdiu his perfrui mihi licuit. Equidem nihil mihi, dum vixi, fortunatius accidisse credo, quam quod talem hunc nactus sum Magistrum, qui me non modo ad Literarum amorem inflammaret, earumque fontes aperiret, sed simul virtutis studium caritatemque patriae in me, quantum posset, excitaret, omnique curâ et operâ eniteretur ut vitiorum radices cum fibris ipsis ex animo meo evelleret; quibus illius curis si non satis respondeam, non id ipsi, sed mihi tribuendum erit.*

Tibi autem, Vir amplissime, etsi multae sunt ac graves dolendi caussae, quod fidelissimo suavissimoque amico orbatus et consuetudine jucundâ et studiorum officiorumque multorum conjunctione privatus es, idque eâ aetate, quae in amici

multo usu perspecti atque probati mutuâ benevolentiâ lubentissime conquiescit, novas vero amicitias non facile probat; at eadem tamen haec aetas magna solatia afferre debet, quod et diutissime LUZACII *amicitiâ usus es, neque ducem, ut ego, atque auctorem, sed consiliarium ac socium desideras, quo ut facilius carere possis, facit senectus ipsa, usus multarum rerum, prudentia denique ac virtus monitore non egens, quam in Te mirari summam* LUZACIUS *noster solebat.*

Quod superest, Deum precor, ut diu Te servet incolumem: nec quidquam mihi optatius accidere poterit, quam si caritatis illius et benevolentiae, quâ beatum praeceptorem meum complexus es, pars quantacumque ad me, communis quondam amici amantissimum Tuique studiosissimum, redundet. Vale.

Dedi DAVENTRIA
d. 6 *Januarii* MDCCCVIII.

P R A E F A T I O.

Quod in Praefationibus facere solent, qui alienos libros edunt, ut et scriptorem et librum laudent ac commendent, ea mihi Praefationis materia esse nequit. Nam de Auctore quae dicenda videbantur, dicta sunt in Epistolâ ad praestantissimum Virum TEMMINCKIUM: Libro autem, si ipse per se non satis commendationis habeat, per meam laudationem nihil accedet. Itaque illo Praefationis genere uti non possumus: nec esset quod de Libro ipso quidquam diceremus, nisi Inscriptionis esset explicanda ratio: hanc enim qui viderit, nae is plus exspectaverit quam unam *de διγαμίᾳ Socratis Disputationem.* Neque tamen ea mens fuit LUZACIO, ut specioso titulo lectorem falleret, vel emtores venaretur; at constituerat libris *Atticarum Lectionum* locos quosdam Juris et Ἀρχαιολογίας Atheniensium illustrare, quorum primum esse voluerat de Legibus et Jure Connubiorum Disputationem conjunctam cum quaestione de διγαμίᾳ Socratis ac Peripateticis quibus-

dam, illius in virum optimum calumniae auctoribus. Hac de re quid sentiret, ante hos fere XVI. annos breviter et summatim exposuerat, quum *Exercitationum Academicarum* Alteram Partem ederet, atque egregie docto jam tum juveni sibique inprimis caro JANO TEN BRINK disceptandam daret. At proximo anno doctissimi item juvenis GUILIELMI LEONHARDI MAHNE, qui tum Amstelaedami literis operam dabat, nunc in Amisfurtensi Gymnasio easdem docet, *Diatribe* exiit *de Aristoxeno*, in quâ LUZACII sententiam in dubium revocavit, significato neque tamen nominato auctore. Huic ut responderet suamque sententiam tueretur, hanc Disputationem scribere LUZACIUS instituit, ab eâque *Lectiones Atticas* orsus est. Haec igitur, quam edimus, non est nisi particula: reliquam de Jure Connubiorum Disputationem absolvere totumque deinceps opus perficere cur ei non licuerit, nemo est qui non intelligat. Quin etiam quae ad elaborandam alteram partem congesserat, ea Civitatis Leidensis, quâ ipse fuit exstinctus, gravissimâ calamitate prorsus omnia sunt deleta. Haec de Libro dicta sunto.

Reliquum est ut de me dicam, ac de curâ, quam me in edendo Libro collocasse professus sum: quod cur mihi faciendum duxerim, rationem reddere supervacaneum est. Ignorantium enim qui sim scire nihil interest: qui vero me noverunt ac sentiunt, quae sit vis pietatis erga carissimum Praeceptorem, hos ea caussa latere nequit. Est tamen aliquid de meâ operâ dicendum, quae fuerit et qualis; quod breve est. Nihil enim aliud egi, nisi curavi, ut ultima particula typis describeretur; paucorum Capitum Elenchos confeci; Librum inscripsi TEMMINCKIO. Unum eorum caussâ addendum videtur, qui me fortasse non satis cognoverint. Nam qui positam a me operam viderit in

edendo Libro, qui non modo in quaestione, verum etiam quodammodo in lite versetur, is facile in eam veniat opinionem, velle me in controversiae societatem venire: quod est longe secus. Suum cuique, mihi meum est judicium; at multum abest ut officium meum ad cujusquam injuriam pertinere velim: nec inducar facile, ut vel suscipiam lites, vel iis me interponam:

Αἰεὶ γάρ μοι ἔρις τ' ἐχθρὴ πόλεμοίτε μάχαιτε.

At vero minime vereor ne id usu mihi venire possit: congessit enim omnia LUZACIUS, quae ad hanc rem pertinere existimabat; ea ipse disposuit: rationum et argumentorum momenta suo ipse judicio ponderavit: ipse sibi caussam suam plene egisse et, ut ita dicam, perorasse visus est. Quamobrem ne suspicor quidem, quid contra hunc Librum quis sit dicturus, cui si ipse non occurrerit LUZACIUS, a me responderi possit.

SUMMA ET DESCRIPTIO OPERIS.

PROOEMIUM. De incertâ scriptorum auctoritate, et infirmâ praesertim fide Historiae Philosophicae; cujus exemplum est Fabula de Digamiâ Socratis. De eâ in *Diatribe Aristoxeneâ* minus plene agitur. Disputationis nostrae de eodem argumento ordo traditur.

SECTIO PRIMA.

De testimoniis et argumentis, quibus FABULA *aut nititur aut oppugnatur*, DE GEMINA UXORE SOCRATIS.

§. I. Testimonia Veterum recitantur, PLUTARCHI, DIOGENIS LAËRTII, ATHENAEI, CYRILLI ALEXANDRINI, THEODORETI CYRENSIS, HIERONYMI STRIDONENSIS, item Epistolarum SOCRATICARUM, Dialogi HALCYONIS LUCIANÉI, SUIDAE, denique AULI GELLII, qui omnes vel factum adfirmant, vel etiam ejus, licet dubie, meminerunt.

§. II. Judicia recentiorum referuntur, qui Fabulae sunt adsensi, LUCAE HOLSTENII, LEONIS ALLATII, THOMAE STANLEJI, FRANCISCI VAVASSORIS, HUMFRIDI PRIDEAUX, TIBERII HEMSTERHUSII.

§. III. Judicia recentiorum laudantur, qui fabulam esse intellexerunt, CARPENTARII, JACOBI BRUCKERI, JOANNIS PEARSONI, RICHARDI BENTLEJI, JOANNIS MATTHIAE GESNERI, HARDIONII.

§. IV. Auctoritates Testium, quibus fabula probatur, incertae, interque se contrariae demonstrantur. De Auctore libelli *de Nobilitate*, qui sub ARISTOTELIS nomine fertur, sed incerto, disputatur; Aristotelem

non fuisse auctorem Fabulae de Digamiâ Socratis ostenditur. [Phrasis ἐνδόσιμον διδόναι explicatur] PLUTARCHI testimonium expenditur: [de significatione verbi συνοικεῖν agitur] primi Fabulae auctores deteguntur, HIERONYMUS RHODIUS et SATYRUS, item ARISTOXENUS Peripateticus, quem secuti sunt CYRILLUS ALEXANDRINUS et THEODORETUS CYRENSIS.

§. V. Dissensus auctorum in ipsâ re narrandâ pluribus exponitur ac RICHARDI BENTLEJI item J. M. GESNERI de hoc dissensu sententia refertur, [significatio vocis Θυγατριδῆ demonstratur] nostra opinio de totâ caussâ explicatur.

§. VI. Adseveratio Testium Peripateticorum inprimis, variis praeterea argumentis, aliunde petitis, infirmatur et eliditur: Socratis et Euripidis sapientia et σωφροσύνη: hujus de Matrimonio sententia, item de Digamiâ. Socratis praesertim continentia. Reges ac Tyranni inter Barbaros et Macedonas δίγαμοι, numquam vero Graeci.

§. VII. Argumenta contra adseverationem calumniatorum Socratis, ex silentio aliorum, atque universe, ex adjunctis et consequentibus porro urgentur et confirmantur. Silentium XENOPHONTIS, item CICERONIS, MAXIMI TYRII, THEMISTII, LIBANII ceterorumque. Argumento TIBERII HEMSTERHUSII, quod ex PLATONIS *Phaedone* desumsit, respondetur; locus iste expenditur; vox Γυνὴ non semper, neque ibi adeo *uxorem* notat; Vocis Οἰκεῖος significatio. Universus PLATONIS *Phaedo* hac in caussa consideratur, atque inde probatur, unicam tunc Socrati fuisse uxorem, quod LIBANII porro auctoritate confirmatur.

§. VIII. Alia ex silentio Scriptorum de Myrtone, Socrati superstite, argumenta proponuntur; auctoritas *Epistolarum Socraticarum* expenditur; BENTLEJI de illis judicium; *Epistolae Socraticae* ex Codice emendatae: levitas hujus Testimonii, ex fugâ Socraticorum Megara, ostenditur. Ἀπομνημονεύματα, non solius fuerunt XENOPHONTIS, sed et aliorum. Dialogi Socratici, ipsae Epistolae Socraticae pro caussâ nostrâ faciunt; earum auctoritas, neque gravissima, neque nulla: de indole Xanthippes haud prorsus malâ nonnulla ἐν παρόδῳ disputantur.

§. IX. Reliqua ex silentio Scriptorum, praesertim inimicorum Socratis, de illius διγαμίᾳ percensentur argumenta ac concluduntur. CATO

MAJOR, Socrati inimicus, de illius tamen non tantum διγαμίᾳ siluit, sed et laudavit erga unam uxorem mores; ARISTOPHANIS de διγαμίᾳ Socratis silentium, item de διγαμίᾳ Euripidis. Silentium EUPOLIDIS, TIMONIS Sillographi, denique LUCIANI.

§. X. Argumentum ex silentio Scriptorum, de Lege, quâ Διγαμία Athenis aliquando licita fuerit, proponitur, talemque legem nunquam exstitisse demonstratur; *Oratio* ISAEI *de Haereditate Philoctemonis* explicatur [VALCKENAERII egregia in Isaeo proditur emendatio]. Divortia Athenis fuerunt recepta [Emendatio SCALIGERI in *Oratione adversus Neaeram*, DEMOSTHENI tributa refellitur. Caussae frumentariae Athenis in Odéo actae.]

§. XI. Legem Διγαμίας Athenis numquam exstitisse testimonio scenae Atticae probatur; PLAUTI *Mercator* in testimonium citatur; TERENTII aeque ac PLAUTI hac in re auctoritas; TERENTII *Phormio* contra διγαμίαν Atticam testis est; ISAEI aetate διγαμία Athenis illicita; Διαβάλλων, APOLLODORI CARYSTII fabula, unde *Mercator* Plautinus desumtus est. Silentium Scriptorum de abrogatione legis.

§. XII. Διγαμίαν ne tempore quidem Belli Peloponnesiaci Athenis aut consuetam aut licitam fuisse, pluribus ostenditur; XENOPHONTIS testimonium, quin ipsius SOCRATIS, item EURIPIDIS; Comicorum silentium de Lege διγαμίας pro testimonio est: [de licentia Comicorum Atticorum.] Expressa EURIPIDIS auctoritas. *Ino* Euripidea, quando acta. [βλέπειν εις τινὰ —— *aliquem revereri.*]

§. XIII. Aliae rationes recensentur, propter quas Διγαμίαν Athenis umquam licitam fuisse, minus sit probabile. Lex suo ipsius fini adversa. Valentinianus senior an fuerit Δίγαμος; lex Διγαμίας Athenis non necessaria, quin ipsi omne jus Atticum adversum est. Juris Romani cum Jure Attico hac in re convenientia.

§. XIV. Scriptae Accusatorum probationes redarguuntur; infirmae, quin ipsis accusatoribus contrariae demonstrantur. Verba Decreti, ab HIERONYMO RHODIO prolati, exponuntur; quid in isto Decreto sit παιδοποιεῖσθαι. Nostra de Decreto sententia. Absurda ARISTOXENI narratio de inaequalibus nuptiis.

§. XV. Altera scripta auctoritas, qua Veteres utuntur Socratis Accusatores, ad examen revocatur; de Fragmento Libelli, περὶ Ἐυγενειας agitur.

agitur. Auctor Libelli incertus. Multae in Socratem calumniae ex confictis sub ARISTOTELIS nomine Libellis manarunt; lubrica ARISTOTELIS, si Libelli etiam fuerit auctor, hac in caussâ auctoritas; iste autem auctor non scripsit, Socratem duas simul Uxores habuisse. Fragmentum loci de quo quaeritur apud STOBAEUM adhuc superstes: JOANNIS SELDENI auctoritas et consensus: Fragmentum Libelli Aristotelici *de Nobilitate* ex STOBAEO adfertur, et ex Codice manuscripto corrigitur, uti et ex conjectura [Auctoris fides VICTORIO suspecta. *κενὸς*, *futilis:* locus Auctoris cum EURIPIDE comparatur, atque ex THEOGNIDE explicatur] Alterum fragmentum ejusdem Libelli ex STOBAEO descriptum, et cum locis Euripidéis comparatum, a vitiis purgatum. Sententia Auctoris Aristotelici *de Nobilitate* exponitur. Fragmentum Libelli ita emendatur, ut ex ista emendatione fons fabulae appareat. Interpretatio Latina utriusque Fragmenti adjicitur.

§ XVI. Universa de *Διγαμία* Attica, et de binis Socratis uxoribus argumentatio sub uno conspectu proponitur; alteriusque disputationis de iis, qui Socratem *διγαμίας* accusarunt, brevis descriptio exhibetur.

SECTIO SECUNDA.

De fide et auctoritate HISTORIAE PHILOSOPHICAE; *illius praesertim, quae Scriptoribus Peripateticis debetur*, ARISTOXENO *maxime*, HIERONYMO RHODIO, *et* SATYRO, *tum etiam* PORPHYRIO, *quos Patres, qui dicuntur, Ecclesiae plures sunt secuti.*

§. I. De discordiis Philosophorum mutuisque inter eos calumniis ipsi tamen Philosophiae non inputandis, sed perversis hominum moribus. AEtate praecipue Ptolemaeorum hoc calumniandi studium invaluit. Peripateticis maxime illius aetatis calumnias in Socratem deberi nostrâ disputatione ostendetur.

§. II. De origine et caussis discordiarum inter Philosophos. AEmulatio et simultas inter Socratis discipulos; Platonis indoles a vitiosâ aemulatione non aliena. Invidentia inter alios Socraticos Suppositi ARISTIPPO *Commentarii* *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς*. Antisthenis in Plato-

nem odium: nec liber ab eâdem culpâ Epicurus, item Epicuréi, reliquis Philosophis, Socrati praesertim ac Socraticis inimici.

§. III. Peripateticos in his concertationibus non postremos, erga Scholam autem Socraticam invidos maxime et cum Epicuréis ipsi Socrati minus aequos fuisse demonstratur. Peripateticorum erga praeceptorem reverentia, inimicitiae erga Academicos, in quorum fontem et caput Socratem soli ipsi cum Epicuréis fuerunt contumeliosi. Illorum in numero est DURIS SAMIUS, horum IDOMENEUS, in Socratem et Socraticos injurius.

§ IV. Alter calumniarum in Philosophos fons mutua inter ipsos et oratores offensa. Socratis in Sophistas odium. Inimicitiae Oratorum et Demagogorum cum Philosophis. Platonis simultas cum Lysia, amicitia cum Isocrate.

§. V. De inimicitiis Isocratem inter et Aristotelem, mutuoque, quod inde auctum est, Oratorum ac Philosophorum odio. Caussa illarum inimicitiarum. Schola Isocratica Aristoteli inimica: CEPHISODORI *contra Aristotelem* libri; alii item Isocratici Aristoteli inimici et Historici et Oratores; hinc tandem inter hos et Philosophos bellum apertum: [γραφαὶ ἀσεβείας an ad Areopagi tribunal pertinuerint.] Sophoclis Suméi rogatio contra Philosophos; qui Athenis ejecti, mox eodem revocati. DEMOCHARIS *contra Philosophos Oratio* multarum calumniarum fons: [THEMISTIUS emendatus.] ejusdem de Socrate dicterium. Comici Philosophis, Academiae praesertim inimici. ALEXIDIS fragmentum emendatum. [Verbi ἀφίημι constructio cum infinitivo: ejusdem et verbi αἱρεῖν usus in re nauticâ]

§. VI. Adversariorum calumnias, sive Philosophorum inter se, sive Oratorum ac Comicorum contra Philosophos, impurum fuisse fontem, qui Historiam Philosophicam infecerit, ostenditur. Judicium de DIOGENE LAËRTIO, et ATHENAEI fide in Historiâ Philosophicâ. Incerta librorum *de Vitis Philosophorum* fides. POLYCRATES Rhetor Socratem declamatione exagitavit, non magis ex animi sententiâ, quam laudavit Clytaemnestram et Busiridem.

§. VII. De πολυϊστορίᾳ saeculi Ptolemaïci corruptrice Historiae Philosophicae. Noxiae πολυϊστορίας origo ab ingenii humani infirmitate repetenda: vera de hac re HEYNII sententia. Duplex praecipue fraudum in literis aetas, altera sub Successoribus Alexandri Macedonis, altera saeculo II et III. post Christum natum: πολυϊστορία illa aevo Ptolemaïco affe-

ctata a Philosophis praesertim Alexandriae. Πολυϊστορία laudanda et vituperanda: labes inde Historiae Philosophicae illata.

§. VIII. Peripateticos πολυϊστορίαν et πολυμαθείαν maxime adfectasse, βιογραφίας vero ante omnes alios fuisse studiosos ostenditur. ARISTOTELES vere πολυμαθείας parens, quamvis pauci ante ipsum fuerint πολυμαθεῖς, in his ANTISTHENES. Aristotelem imitati discipuli THEOPHRASTUS, DEMETRIUS PHALEREUS; deinde tota Schola Peripatetica πολυμαθείας fuit studiosa: aemulatio juniorum Peripateticorum erga priores. [CICERO bis emendatus] SPEUSIPPUS inter primos ἐγκυκλοπαιδείας et περὶ βίων auctores. THEOPHRASTUS princeps in eodem genere; ejus aemulus ARISTOXENUS. Reliqui etiam Peripatetici vitarum scriptionem sectati. Demetrius Phalereus, Phanias, alii.

§. IX. Labes, quam ex male sedulâ πολυϊστορίᾳ, ex Peripateticorum inprimis πολυγραφίᾳ, Historia Philosophica contraxit, indicatur. Peripatetici a verâ Philosophiâ degenerarunt. Vanitatis Peripateticae exemplar PHORMIO. Nec alii Philosophi ab hac πολυμαθείᾳ immunes. Aulae Ptolemaïcae in talibus contagio, item levitatis Alexandrinae. Historiae Philosophicae inde labes. Exempla errorum, a Peripateticis commissorum. [HERMIPPO quod pretium ſtatuendum sit: emendatur DIOGENES LAËRTIUS.]

§. X. De labe Historiae Philosophicae ex suppositione librorum nata. Harum fraudum consortes Peripatetici. [Notantur HERACLIDES PONTICUS et ARISTO CEUS.] Duplex maxime suppositionis caussa, altera ars Sophistarum, altera inimicitiae scholarum inter se. EPICURI *Epistolae* an a DIOTIMO Stoïco fuerint conſictae, isque adeo damnatus accusante Zenone Sidonio. PHILAENIDI an suppositi libelli ἀναισχυντόγραφοι. [De aetate Philaenidis et an duae fuerint hoc nomine doctae mulieres. ATHENAEUS tentatus Scripta ASTYANASSAE, ELEPHANTINAE, LAÏDI aliisque mulieribus supposita. In moribus Philaenidis laudandis nimium BRUCKERI studium. ARCHESTRATI γαστρονομία: JUSTINUS MARTYR tentatus. AESCHRION Choliamborum auctor.] DIOSCORIDIS Epigramma de PHILAENIDE. PHILODEMUS Epicureus. Epicureorum sanctitas falso laudata. METRODORUS et ipse EPICURUS τῶν ἀφροδισίων patroni.

§. XI. Liberum de fontibus Historiae Philosophicae et de auctoritate Scriptorum, qui in eâ versati sunt, praecipue Peripateticorum, judi-

cium vindicatur atque ab omni calumniâ defenditur. Veritas potior opinionibus vulgi. BAYLII judicium de Historiâ Philosophiae. Accusatio e *Diatribe Aristoxeneâ* prolata. Accusationi respondetur. Non omnes Peripatetici fallaces. DEMETRIUS PHALEREUS Socratis defensor. PHANIAS Socraticis aequus. THEOPHRASTUS laudatur. Quatenus laudanda eruditio: Peripateticorum noxia πολυϊστορία: In fabellarum officinam corrupta Historia Philosophica.

§. XII. Ad *Diatriben Aristoxenéam* ulterior responsio. CASAUBONI de πολυμαθεία judicium. Justa ATHENAEI ac DIOGENIS LAËRTII aestimatio. Incerti Auctoris ac CASAUBONI de Athenaeo judicium. CASAUBONI aliusque viri docti de Diogene Laërtio sententia: item PETRI BAYLII et IGNATII ROSSII. Urgetur nostra defensio. Plura apud Diogenem Laërtium conficta et falsa. JUSTI JOSEPHI SCALIGERI de iis judicium, ut et RICHARDI BENTLEJI. CHRISTOPHORI MEINERSII monitum.

§. XIII. ARISTOXENI, HIERONYMI RHODII ac SATYRI, qui de Digamiâ Socraticâ testes sunt praecipui, ingenium ac fides ad examen revocantur. Juncti in testimonio Triumviri Peripatetici. De illorum πολυμαθεία: quid illa ad laudem faciat; eadem caussa errorum.

§. XIV. De SATYRO Peripatetico Philosopho et Sophista agitur. Ejus πολυμαθεία. [THEOPHILI ANTIOCHENI libris usa EUDOCIA.] *Fabulosarum Historiarum* scriptor fuit: [exempla ejus rei:] item *Vitarum.* Satyrus frigidus Sophista: ejus ex *Characteribus* fragmentum ac de eo CORAYI judicium. Satyrus in Vitis maledicus ac calumniator.

§. XV. Fama ANAXARCHI Philosophi Eudaemonici a calumniâ Peripateticorum vindicatur. [BRUCKERI error: Vera ratio nominis Εὐδαιμονικὸς exponitur. Anaxarcho τέλος ἡ εὐδαιμονία.] Satyrus in illum iniquus. Anaxarchus adulationis falso accusatus: ejus παῤῥησία. LUCIANI fides nulla. Peripatetici istius accusationis auctores. ARRIANI in historiâ fides et cautio. CURTII ab Arriano dissensus. PLUTARCHUS calumniae fontem prodit: Anaxarchi et Callisthenis Peripatetici simultas: Hermippus Peripateticus calumniae auctor. Expenditur Anaxarchi ad Alexandrum consolatio.

§. XVI. Ulterior Anaxarchi Eudaemonici contra Peripateticos defensio. Narratio ARRIANI: CURTII ab eo dissensus: PLUTARCHI silentium: Arrianus narrationi ipse suae diffidit. Ejus auctores Polyhistores Alexandrini. Nova et inaudita in Anaxarchum calumnia: Clearchus

Peripateticus istius auctor. [Anaxarchus cur a PLUTARCHO vocatus sit ἁρμονικός.]

§. XVII. SATYRI libido maledicendi aliis praeterea exemplis universe demonstratur. De Empedocle maledixit: calumniae socium habuit Scriptorem περὶ παλαιᾶς τρυφῆς. Maledixit item de Platone; Socium nactus HERMIPPUM. Pauca praeterea de Satyro cognita. [Quaedam de eo referuntur.]

§. XVIII. De HIERONYMO RHODIO Philosopho Peripatetico et Sophistâ disputatur. Quâ aetate vixerit. VOSSII et JONSII rationes conciliantur. Aristoxeni discipulus fuit et amicus: ATHENAEUS tentatur.

§. XIX. De odio HIERONYMI erga ARCESILAUM Academicum et LYCONA Peripateticum, deque ejus odii caussis. Alexandri διάδοχοι horumque ἐπίγονοι Philosophiae ac Literarum ſtudia adfectarunt; praesertim Rex Macedoniae Antigonus Gonatas, Zenonis ac Cleanthis idem amicus ac Stoae fautor. Persaeus Stoicus apud Antigonum gratiosus: [de moribus ejus.] Arcesilaus et Lyco honestatis ac libertatis amantes; ab Antigono alieniores. [DIOGENES LAËRTIUS correctus. IGNATII ROSSII error] iidem contra amici Pergami Dynastis [ARCESILAI *Epigramma* apud DIOGENEM LAËRTIUM emendatum. Ἀἶνος, *fabula*, item *proverbium*] HIERONYMUS RHODIUS Antigono gratus ideoque Arcesilao et Lyconi inimicus. [Alii item Peripatetici duobus hisce viris inimici.] HIERONYMI RHODII atque ARCESILAI errores inter se comparati.

§. XX. HIERONIMUS RHODIUS etiam in rebus ad disciplinam pertinentibus ab aliis Philosophis disjunctus. Illius cum Lycone simultatis altera caussa, disjunctio sententiarum. Arcesilai diversa ab Hieronymo ratio. Contra Socraticam Arcesilai ἐποχὴν scripsit Hieronymus, Socraticae rationis inimicus: Phaedonem censurâ vexavit. Hieronymi Rhodii cum Timone Phliasio conjunctio. Maledicus hic Sillographus in caeteros Socraticos iniquior, Peripateticis amicior.

§. XXI. Quae fuerit ARISTOXENI et HIERONYMI RHODII Philosophia. HIERONYMUS virtutem a fine bonorum segregavit: [suspicio de loco CICERONIS.] Indolentia illi summum bonum: seu volu-

ptas in stabilitate. Hieronymus Philosophi nomine indignus. ARISTOXENI Philosophia Hieronymeâ etiam pejor. Animum esse negavit: ut et socius illius DICAEARCHUS. Quae istiusmodi hominibus fides esse possit.

§. XXII. Virtutem cassum quiddam esse, ex animi sententiâ a Socratis accusatoribus ARISTOXENO et HIERONYMO RHODIO scriptum demonstratur. Luxuriosae voluptatis laudator ARISTOXENUS: virtutem an laudaverit non constat. ARISTOXENUS ἀσωτίας laudator; virtutis contemtor. HIERONYMUS RHODIUS παιδεραςίας patronus. DIOGENES Cynicus ejusdem turpitudinis osor: ab eo itidem dedecore alienus DICAEARCHUS. Aliis easdem sordes adfricuit HIERONYMUS RHODIUS: idem Euripidi et Sophocli infensus.

§. XXIII. De ingenio, auctoritate et fide historicâ HIERONYMI RHODII. Putidarum fuit fabellarum scriptor: ejus malitia insigni exemplo demonstratur: odium HIERONYMI ut Peripatetici in Isocratem: justa RICHARDI BENTLEJI in malitiosum Hieronymum suspicio. Ratio et modus fraudis Hieronymeæ. Quid de *Decreto Atheniensium*, quod protulit Hieronymus, sit sentiendum: Hieronymus Rhodius Viris Doctis parum cognitus.

§. XXIV. De doctrinâ et scriptis HIERONYMI RHODII refertur: Scriptor fuit elegans et suavis: item ARISTOXENUS. Peripatetici, praesertim Aristoxenei suavitatem sectati vim Philosophiae infregerunt: HIERONYMUS bellulae Philosophiae sectator. Theophrastum aemulatus, uti et alios Peripateticos. Scripta ejus et eruditio varia. Libri *de Poëtis* aliique historici argumenti. Quae fuerint Veterum τὰ σποράδην. HIERONYMUS Mijthologiae studiosus et variae Historiae auctor: incertam famam saepius secutus. Variae illius ac vagae scientiae alia exempla. *Commentarii* ejus *fortuiti*. Non scripsit Librum *de Mulieribus*.

§. XXV. De indole, ingenio et auctoritate ARISTOXENI disquiritur. Aristoxenus ingenio ferus et morosus. Adrasti de eo dictum. [in PROCLO vulgata lectio defensa: εἶδος de moribus: Adrastus Peripateticus.] Aristoxenus naturâ et ingenio maledicus. MEINERSII de Peripateticis Historiae Philosophicae scriptoribus sen-

tentia: ejusdem benignum de Aristoxeno judicium: nos contra judicamus.

§. XXVI Exempla maledicentiae Aristoxenéae. ARISTOXENUS de Aristotele Praeceptore suo maledixit. ARISTOCLIS fragmentum apud EUSEBIUM: fragmentum illud corrigitur. Aristoxenus invidus et maledicus in Socratem et Socraticos. Aristoxeni de Platone dicta. [DIOGENES LAËRTIUS emendatur: ἐρίζειν et ἀμφισβητεῖν quomodo differant] Habuit hoc Aristoxenus cum aliis Peripateticis commune. Platonem inter viles principum virorum parasitos numeràvit.

§. XXVII. De calumniis ARISTOXENI in Socratem. Ariſtotelis de Socrate narratio. Aristoxeni narratio ejusdem argumenti. Zopyrus Physiognomon forte idem, qui Magus atque Indus vocatur. Loca Veterum, in quibus Aristoxenus de Socrate testis appellatur: PLUTARCHI; DIOGENIS LAËRTII duo; [alter explicatur et tentatur] CYRILLI ALEXANDRINI tria; [alter et tertius tentantur] THEODORETI Cyrensis tria; [Notata Patrum Ecclesiasticorum in laudandis aliorum testimoniis licentia. De vera in Theodoreto lectione judicium.] SYNESII; SUIDAE. Fraudes dolique testium contra Socratem.

§. XXVIII. ARISTOXENUS Tarentinus auctor omnium calumniarum, quae de Socrate ad posteros, referente praesertim PORPHYRIO, sunt propagatae. Summa accusationum et opprobriorum: de singulis ostenditur, ad Aristoxenum provocari auctorem. [Suspicio de loco Theodoreti] Defensio Aristoxeni Mahniana ad examen revocatur: non videtur medium locum tenuisse, cujus nullum exstet dictum, quod ad laudem Socratis pertineat. Excusatio MEINERSII pro Aristoxeno perpenditur: nullam fuisse Aristoxeno obtrectationis aut odii in Socratem caussam, ostenditur: nec idem Spintharo suspecto testi et maligno fidem habere debuerat: Spintharus Aristoxeni pater; qui inter discipulos Socratis perperam referri videtur.

§. XXIX. Malevolentia et obtrectatio ARISTOXENI erga Socratem judiciis Veterum et Recentiorum confirmatur. Adrasti de Aristoxeno testimonium: PLUTARCHI judicium de *Vitâ Socratis*

Aristoxeneâ: CYRILLI ALEXANDRINI de Aristoxeno testimonium. CARPENTARII judicium; uti et TILLEMONTII.

§. XXX. Quae fuerit fides PORPHYRII in enarrandâ vitâ Socratis. Porphyrii de ipso Aristoxeno in caussâ Pythagoreâ judicium. PORPHYRIUS fabulas de Socrate sciens retulit; idoneos vero Auctores neglexit: [tentatur THEODORETUS:] neque Aristoxeni malevolentiam in Socratem ignoravit. [LUCAE HOLSTENII nimis benignum de Porphyrio judicium.] De sectâ Alexandrinâ Eclecticâ atque ingenio Porphyrii: hujus propositum in Historiâ Philosophiae et vitâ Socratis, ut Pythagoram extolleret, caeteros invidiâ premeret. Judicium de Historiâ Philosophicâ Porphyrianâ. PORPHYRII indoles morosa ac livida. SOCRATIS Historici judicium de odio Porphyrii in Philosophum. Recentiorum de *vita Socratis* Porphyrianâ judicium. CARPENTARII, TILLEMONTII, IO. DAVISII.

§. XXXI. De fide, quam merentur CYRILLI ALEXANDRINI et THEODORETI Cyrensis contra Socratem testimonia et judicium. Studium Patrum nonnullorum in calumniandis Graecorum Philosophis. Neque tamen omnes Patres eo animo fuerunt. ATHENAGORAS Socratem laudavit: item ORIGENES et AUGUSTINUS. A Juliani praesertim aetate incepit Patrum Ecclesiae acerbitas in Philosophos Graecos. HIERONYMI Stridonensis iniquitas et mala fides. CYRILLI ALEXANDRINI male fida ars in accusando. Alterum malae fidei in CYRILLO argumentum, mutilatus Porphyrii locus. THEODORETI levitas et parum tuta fides. Alia THEODORETI cum CYRILLO communis culpa: iidemque ipsi sibi contrarii. CYRILLUS et THEODORETUS omnem Porphyrio fidem abrogarunt ipsi; quo tamen teste in Socratem utuntur; item HIERONYMUS Stridonensis. EUSEBII modestia et fides, aliorum item Ecclesiae Patrum.

§. XXXII. De auctoritate THEODORETI universe in Historiâ Philosophicâ. THEODORETUS Cyrillo melior et doctior. Judicium de *Therapeuticis* THEODORETI, libro bonae frugis: at in quo minus exacta cura judiciique iniquitas et mala fides. THEODORETUS Platonis verbis abutitur, sibi ipse contrarius. Idem ab eo commissum in referendis Porphyrii in Socratem probris. THEODO-

RE-

RETI in Aristotelem iniquitas et mala fides. Non fuerunt Peripatetici praeter Aristoxenum Aristotelis calumniatores. LYCON Pythagoréus a Peripatetico diversus. THEODORETUS Eusebii non nominati scriptis usus. ARISTOCLES Peripateticus non accusavit, sed defendit famam Aristotelis · [CASAUBONI nimia in confutando Fr. Patricio severitas.] ARISTOCLIS locus apud Eusebium prolatus. CYRILLI et THEODORETI eadem ars minus aequa.

§. XXXIII. Parum tuta Patrum Ecclesiasticorum fides in Historiâ Philosophicâ, praesertim in caussâ Socraticâ, novo exemplo demonstratur. Inter fontes Historiae Philosophicae Patres Ecclesiae merito censendi. Patres Ecclesiae saeculo IV in Philosophos Graecos fuerunt iniquiores; ante illos pauci ex hoc Scriptorum ordine, inter quos TERTULLIANUS: exemplum ex ejus *Apologia*; [qui locus tentatur conjecturâ.] Exemplo Tertulliani accedit SALVIANUS, a quo aucta etiam est et exaggerata Tertulliani calumnia [etiam in Catonem, quem insigni errore Censorium credunt: Cato Uticensis Marciam uxorem, auctoritate soceri Philippi, Hortensio concessit, facto justo cum eâ divortio: Judicium de hoc ejus facto.] Fons calumniae in Socratem error et male fida memoria. Errori ansam praebuit PLATO, qui tum de caeteris, tum de conjugio suas sententias Socrati affinxit: [tentatur DIOGENIS LAËRTII locus:] hinc joci in Socratem Lucianéi. Sententia de matrimonio Platonica pluribus Philosophis probata. [IGNATII ROSSII in DIOGENE LAËRTIO minus probabilis conjectura.] Socratem propter splendorem nominis potissimum petierunt Ecclesiae Patres. AGATHIAE error et IO. TAYLORI: probum BRUCKERI de fontibus Philosophiae Socraticae judicium. RITTERSHUSII error. Fons Tertullianeae in Socratem calumniae male intellectus ARISTOXENI locus: [notio vocis κοινός.]

§. XXXIV. Conclusio disputationis de auctoritate Historiae Philosophicae, praesertim in caussâ Socraticâ. Descriptio Tertiae Partis hujus disputationis: sententia de διγαμία Athenis nunquam li-

******

citâ; Decreto Atheniensium prolato ab Hieronymo Rhodio, hujusque artificio in pervertendâ Decreti sententiâ; item de duplici Socratis matrimonio, sed non simultaneo, breviter proponitur.

IOANNIS LUZAC LECTIONES ATTICÆ.

DE ΔΙΓΑΜΙ'Α SOCRATIS DISSERTATIO.

Nemo facile veteris Historiae studiosus reperitur, cui Antiquitatis memoriam recolenti non accidat saepius, quod de se testatur Historicorum fidissimus, et in explorandâ veritate diligentissimus, THUCYDIDES (1), " ut prisci res temporis tales illi appareant, quibus, post consideratas singularum rationes, fidem adjungere serio nequeat, quamvis certam illam ipsa vetustas fecisse videatur." Nimirum, ut vere idem ait, " ita homines a naturâ sumus comparati, ut, quae tradita ab aliis accepimus, prioribus saeculis acta gestave, illa statim, nullo instituto examine, pro veris habeamus, aliisque vicissim tradamus de manu in manum. -- Quippe apud plerosque ipsa veri investigatio laboris adeo est impatiens, ut ad ea, quae sunt in promtu, libentius se convertant, difficilem vero longamque fastidiant disquisitionem." PROOEMIUM.

Neque hoc vulgi tantum est vitium, ut credulitas communem opinionem sequatur. Ipsi plerumque Historici, rerum suarum securi, *quasi nulla ad verum via inquirentes ferret, famâ rerum standum* (2) existimant, seu laboriosa *Infirma Historicorum fides.*

(1) Lib. I. Cap. 20. τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα εὗρον, χαλεπὰ ὄντα παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι. οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται. -- οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται.

(2) LIVIUS Lib. VII. Cap. 6.

PROOEMIUM. investigandi et perscrutandi aerumna fessos deterreat; seu (quod olim LIVIUS (3) fatebatur) *scribentium animi nimis ferme inclinent in vanum;* seu denique domesticae gloriae cupido, Patriae amor, hostium odium, in aemulos aut adversarios invidia, alii denique qui imbecillitati humanae proprii sunt errores, illos transversos agant, ita ut, *posthabitis veris, divulgata atque incredibilia* (4) *avide accipiantur.* — *Tanta componentium vetusta rerum monumenta vel securitas est, vel par huic vitium credulitas*, CURTIUS ait (5), — idem ille Curtius, qui paulo ante *plura se transscribere* dixerat *quam credere, quod nec adfirmare sustineret, de quibus dubitaret, nec subducere quae acceperat.* At vero severior, quà Philosophus, ARRIANUS (6), eundem Alexandri apud Indos casum enarrans, indignabatur, " famam mendacia, quae a prioribus „ falsae narrationis auctoribus acceperat, ad suam usque aetatem propa- „ gasse, mox eadem ad posteros, futuris ordine saeculis, transmissuram, „ nisi isto suo commentario tandem mentientibus modum imponeret."

Ex isto fonte derivatae sunt *innumerabiles*, de quibus jam olim conquestus est CICERO (7), *fabulae*, non apud Herodotum tantum aut Diodorum Siculum, apud Livium, Vellejum Paterculum, aut reliquos rerum Graecarum Romanarumque Scriptores, sed apud eos praesertim, qui veterum dicta factave singulari studio collegerunt, CORNELIUM NEPOTEM ajo, PLUTARCHUM, POLYAENUM, ATHENAEUM, AELIANUM, SUETONIUM, VALERIUM MAXIMUM, FRONTINUM, AULUM GELLIUM, MACROBIUM, Scriptores qui dicuntur HISTORIAE AUGUSTAE, caeteros, ita ut, si Thucydides, divulgatam apud vulgus Atheniensium famam de occiso a conjuratis Hipparcho, si alios suae aetatis errores revincere studuerit; si Dionysius Halicarnassensis tum plures, quas Romanorum superbia pepererat, fictas commentitiasque fabulas, tum narrationem inprimis de trecentis Fabiis ad Cremeram caesis, uno relicto puero impubere, jure ac merito reprehenderit, — operae pretium facturus videatur, si quis, quod BEAUFORTIUS de quinque prioribus post Urbem conditam saeculis egit, idem in universum praestaret, sumtis ex omni Historiâ veteri exemplis, quibus demonstraret,

(3) Lib. XXII. Cap. 7.

(4) TACITUS *Annal.* Lib. IV. Cap. 11.

(5) Lib. IX. Cap. 5. §. 21.

(6) *De Exped. Alex. Magni* Lib. VI. Cap. 11. pag. 247. ed. Gronov. Καὶ ἡ φήμη, παραδεξαμένη αὐτὰ κατὰ τοὺς πρώτους ψευσαμένους, ἔτι καὶ εἰς ἡμᾶς διασώζει. οὐδὲ ἀφήσει παραδιδοῦσα καὶ ἐφεξῆς ἄλλοις τὰ ψεύδη, εἰ μὴ ὑπὸ τῆς δε τῆς ξυγγραφῆς παύσεται.

(7) *de Legibus* Lib. I. Cap. 1.

quam temere incertis rumoribus, quos prisca credulitas et miraculis gavisa simplicitas pro certis verisque venditavit, nunc etiam fides habeatur. PROOEMIUM.

Neque tamen est, quod queramur, factum id omnino nondum fuisse. Unus est, quem in hac eruditionis parte, quae minima non est Artis Criticae provincia, reliquis, si non anteponere, aequiparare saltem, audeo, JACOBUS PERIZONIUS: Nam, quemadmodum hic vir literatissimus tanto cum studio in exquirendâ totius Antiquitatis memoriâ versatus est, ut cum CAROLO-ANDREA DUKERO, PETRO WESSELINGIO, ac LUDOVICO-CASPARO VALCKENAERIO, istam quoque laudem praecipuam Batavis nostris vindicasse videatur, sic *Animadversionum Historicarum* liber luculenter demonstravit, quâ ipse diligentiâ, in literis accuratissimâ, quâ etiam ingenii solertiâ valeret, tum quam multa sint, quae cauta et attenta veri indagatio deprehendat, Antiquitatis auctoritate communita, talia tamen ut non tantum in dubium ea vocari, sed et pro falsis commentitiisque debeant haberi.

Infirma praesertim Historiae Philosophicae fides.

Hoc vero si de Historiâ in universum adfirmar possumus, praecipuo tamen jure querimur de illâ Historiae parte, quae in enarrandis hominum, sapientiâ vel eruditione apud veteres illustrium, moribus, opinionibus, fatisque versatur, quaeque *Historia Philosophica et Literaria Antiqua* dici solet. Quotus enim quisque nostrûm Vitas Pythagorae, Empedoclis, Democriti, Heracliti, vel quae de sectâ Pythagoreorum in Italiâ et apud Siculos, de scholâ item Thaletis et Anaxagorae Ionicâ narrantur, -- quin Vitas ipsius Socratis, Platonis, Aristotelis, -- quis nostrûm, inquam, illas Vitas sine praejudicatâ opinione perlegens non agnoscat, complura esse ab omni similitudine veri aliena, male cohaerentia, inter se contraria, et absurda, quae denique perspicuis temporum rationibus refellantur. Apud ipsos jam Veteres fuerunt, qui istiusmodi *fabulas*, quas *translatitias* dicere liceat, argumentis convellerent, et popularem opinionem minime sequendam esse probarent, TIMAEUS, ERATOSTHENES, PANAETIUS, alii. -- Graecorum exemplo, apud quos *multa* talia essent *errata communia*, se excusat CICERO. -- *Quis enim* (8) *non dixit* Εὔπολιν τὸν τῆς Ἀρχαίας *ab Alcibiade, navigante in Siciliam, dejectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes. Adfert enim quas ille post id tempus Fabulas docuerit: Num idcirco Duris Samius, homo in Historiâ diligens, quod cum multis erravit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? Num igitur jacet Theophrastus, si id a Timaeo, tuo familiari, reprehensum est?*

(8) *Ad Atticum* Lib. VI. Ep. 1. pag. 589. ed. Graev.

PROOEMIUM. Quantum autem in hac etiam parte agendum sit, exemplo docuerunt Duumviri egregii, quos, ferax initio praeteriti saeculi summorum Virorum, Britannia protulit, JOANNES PEARSONUS et RICHARDUS BENTLEJUS, -- ille in *Vindiciis Ignatianis*, quae limatum et subtile in probandis scriptoribus acumen eximie demonstrant, -- hic in *Dissertationibus*, quibus controversia *de Epistolis Phalarideis* ortum dedit; ea, nimirum, controversia, quam, secus ac de plerisque aliis contingit, inter Magnos Viros natam fuisse nobis gratulamur, quippe quae ingenium Bentlejanum, consummatâ doctrinâ instructissimum, et universae Antiquitatis cognitione uberrimum, tanto opere inflammavit, ut, me quidem judice (si JOSEPHI SCALIGERI contra Robertum Titium *Animadversa* forte excipiamus) nullum sit istiusmodi scriptum, in quo facultas critica, cum summâ eruditione conjuncta, splendidius eluceat, et unde Literarum Cultori magis sit proficiendum.

Fabula de Digamiâ Socratis. Igitur jucundus mihi fuit utriusque summi Viri consensus in rejiciendâ Fabulâ, quae ex tanto earum numero, quas longinqua credulitas ad posteros propagavit, mihi semper visa est omnium luculentissimum istius credulitatis documentum; -- Fabula, nempe, *de duabus Uxoribus, quas Socrates uno eodemque habuerit tempore.* Nunquam profecto de illâ re Veterum ego testimonia legi Recentiorumve judicia, confidentiaeque plenas narrationes, quin vehementer indignatus sim, tam facile, et tam turpiter tamen, doctissimis praesentis futurique saeculi Viris illudi potuisse; tam felices saepius pessimorum hominum esse fraudes, easque quidem fraudes, quae manifestae sint, et ab unoquoque, qui animum adverterit, haud difficulter deprehendantur. Commotus autem sum eo magis, quod foedissima inde labes adspersa sit Viro, ex totâ Antiquitate sapientissimo, integerrimo. PRIDEAUXII, -- (quam vellem pereximio Operi talem non inesse maculam!) -- PRIDEAUXII quis acrem acerbamque in Socratem audiat censuram, (quod primus, scilicet! Athenis duabus simul Uxoribus sit usus,) neque iracundiâ et stomacho exardescat, secum reputans, tam indecorum tamque ridiculum pariter crimen impingi in hominem, cujus omnis vivendi ratio, omnis conditio, mores, praecepta, sermones, accusationem refellant; impingi vero contra omnem veteris Historiae fidem, contra leges atque instituta Graeciae, contra id etiam, quod *probabile* modo dici queat. Neque tantum indignatus sum, sed et saepius miratus, fieri potuisse, ut, per bis millenos annos, nemo repertus sit, qui veritatem non in puteo latentem, sed cuivis, Historiae Atticae non plane imperito, obviam, nullâque fere operâ reperiundam deprehenderit; nemo etiam, qui unicum, quo tota Fabula superstructa esse ab ipsis ejus apud Anti-

quos auctoribus dicitur, Testimonium nunc quoque superstes esse animadverterit, cognitumque observaverit, ad examen revocaverit, et, adhibitâ Arte Criticâ emendatum, demonstraverit ejusmodi esse, ut vel sola istius Testimonii recitatio mendacium redarguat, et pessimam Aristotelicorum falsa de Socrate narrantium fidem fuisse probet. PROOEMIUM.

Etenim, ut in ipso harum *Lectionum* limine meae indicium sententiae faciam, Lex ista Attica seu Decretum, quod Hieronymus Rhodius protulit, ut, scilicet! geminarum eodem tempore nuptiarum licentíam, Peloponnesiaco bello, ab Atheniensibus admissam ostenderet, atque ita Fabulae, ab Aristoxeno propagatae, fidem faceret, — Decretum igitur istud vere conditum est, neque tamen geminam *uxorem legitimam*, eodem tempore domi habendam, civibus Atticis unquam permisit; quin aliam plane caussam, alium finem habuit, ac qui ipsi vulgo tribuitur. Tum porro, praeter Xanthippen, Socrati Filiam Aristidis Myrtonem conjugem fuisse, atque adeo duas illum habuisse uxores, ab Auctore scriptum est Libelli *de Nobilitate*, seu vere is Aristoteles fuerit, seu hujus nomen mentitus: Neque tamen scripsit ille, utramque uxorem *eodem tempore in matrimonio* cum Socrate vixisse, aut Philosophum geminum lectum genialem habuisse domi: Quod ut erat falsissimum, sic in Libello περὶ Εὐγενείας id neque Satyrus legerat, neque alter Peripateticus, haud minus mendax, Hieronymus Rhodius, ut cuivis, Fragmentum legenti, quod apud STOBAEUM superstes, sed manu criticâ sanandum est, perspicue et facillime patebit.

Fateor, postquam praecipua certissimae demonstrationis capita cum nonnullis disciplinae meae in Academiâ Batavâ alumnis olim communicassem, et publice defendendam hanc sententiam proposuissem, — " fallacem Peripateticorum „ auctoritatem scriptoribus Historiae Philosophicae imposuisse; atque inter „ illorum mendacia insignem esse Fabulam, cujus Aristoxenum auctorem „ tulit PORPHYRIUS, de *geminâ uxore*, quam *eodem tempore* habuerit „ Socrates; hanc quippe in Virum sapientissimum accusationem meram esse „ calumniam, ut et similem, quam in Euripidem memorat GELLIUS;" — fateor, postquam haec scripsissem, repertum esse (9), " qui DIFFICILEM (ut „ ipsi videbatur) *locum* occuparet *tractandum*, de *duabus Socratis Uxoribus*, quas eum unà habuisse *tam multi* referunt scriptores:" Sed, quamquam sunt in istâ Disputatione, de quibus omnino cum Auctore *Diatribes* sit sentiendum, ejusmodi tamen est illa, ut nihil prorsus definiat, nihil nos *Diatribe Aristoxenea.*

(9) Auctor *Diatribes de* ARISTOXENO, *Philosopho Peripatetico*, quae nomen fert GUILIELMI-LEONARDI MAHNE, *Ill. Athenaei Amstelodam. civis. Amstel.* 1793. Cap. III. §. 21. pag. 76.

PROOEMIUM. novi doceat, quin plura omittat, quae ante sexaginta - tres annos et plenius scripta erant et acutius, quaeque mihi, postquam quid veri esset conjecturâ eram adsecutus, haud parum profuerunt ad opinionem meam ita confirmandam, ut, quin vera sit sententia, jam nequeam dubitare.

Itaque, quum famam Socratis, tam *facile* ab injuriâ vindicandam, minime tamen vindicatam ab illis reperirem, qui cognitione Historiae Philosophicae praecipue cupiunt censeri, adjecta etiam essent nonnulla seu pro Aristoxeno, seu pro Peripateticis universis, quae non sine stomacho quodam de adsertione nostrâ, velut de temerariâ aliquâ et minus probabili sententiâ, scripta viderentur; — constitui *primum* LECTIONUM mearum ATTICARUM *Librum* huic disputationi impendere; — constitui autem eo lubentius, quod illa disputatio ab argumento earum praecipuo minime erit aliena, quippe quod (ut ante hos paucos annos in me suscepi) versari debeat in exponendis nonnullis *Archaeologiae Atticae* partibus, quae ad formam Reip. Atticae spectant, ejusque mutationes mutationumque caussas, tum ad Magistratus, Judicia, Tribunalia, quaeque aut perperam tradi solent, aut non satis sunt enucleatae: Quippe, dum Socratem a calumniâ liberabo, fontesque hujus calumniae Aristoxenéae et Peripateticae aperiam, eâdem operâ *de Jure Connubiorum* apud Athenienses ita agam, ut a propriâ *Lectionum* mearum *Atticarum* materiâ discessisse minime videar. Tractationis autem hic erit ordo.

Ordo sequentis disputationis. Primum, Veterum loca adducam in medium, qui duas Socrati unâ fuisse Uxores tradiderunt, aut ab aliis id traditum narrarunt. Addam etiam Recentiores, qui mihi quidem innotuerunt, eandem opinionem secutos. Mox subjungam alios, qui Fabulam esse intellexerunt, vel saltem idoneas dubitandi caussas proposuerunt.

Deinceps rationes in utramque partem expendam: Et, dum adfirmantium probationes aut testimonia nequaquam dissimulabo, recitatis illis omnibus, negantium dubitantiumve argumenta sic confirmabo, ut priorum rationes simul redarguantur.

Denique, postquam ostensum erit, quorsum recidat omnis adfirmantium auctoritas, demonstrabitur, quam lubrica illa sit non tantum, sed et quam falsa: Ac lubrica quidem, quantum attinet ad Testes, propter Polyhistorum, Peripateticorum praesertim, errores, vitia, fidem dubiam, imo fidem nimis frequenter malam. Atque, istâ in parte tractationis dum versabimur, quando ad judicium hominum doctorum provocatum est de *hac nostrâ erga Peripateticos injuriâ*, — erga Peripateticos potissimum, qui post aetatem Alexandri Magni et sub Ptolemaeis floruerunt, nonnulla disputationi intermiscebimus,

quae non adeo temere illa ante hos novem annos a nobis scripta fuisse Prooemium.
demonstrent: De Aristoxeno praesertim agam, deque illo qui Aristoxeni malitiam imitando expressit, de calumniatore, inquam, Socratis, Porphyrio; de Cyrillo denique Alexandrino et Theodoreto, Scriptoribus Christianis, quibus ab officio viri boni non abhorrere visum est, absurdissimas illius hominis repetere calumnias, quem in caussâ ipsi suâ tanquam calumniatorem traducant et repudient: Calumniam autem Aristoxeni, Satyri, ac Hieronymi Peripatetici fuisse, tutius adfirmabimus, probato ante falsam esse ipsam illam, quam adferunt illi Testes, auctoritatem Aristotelis, et prolato ipso loco Libelli περὶ Εὐγενείας, qui hodie apud Stobaeum superstes est, sed corruptus: Illum locum emendabimus, emendationemque confirmabimus.

At vero, praeter Testes, scriptam quoque probationem Accusatores Socratis in medium attulerunt, Decretum Atheniensium ab Hieronymo Rhodio recitatum. Igitur ostendemus, id Decretum nihil ad rem facere, atque ex illo minime constare, licitum unquam Athenis fuisse, geminam uxorem legitimam habere domi: Cui argumento ut stabilem firmamque magis fidem adjungamus, conditi Decreti tempus, veram certamque caussam, et vices in clarâ luce collocabimus; quorsum illud pertinuerit, qua aetate fuerit abrogatum, declarabimus; *jura connubiorum*, diversâ Reip. Atticae aetate, enarrabimus: Et, quando jam patebit, quam apte nostra Decreti interpretatio conveniat cum ratione temporum factorumque, facile inde unusquisque, conclusionis loco, colliget, *difficilem* illum, ut videbatur, *de duabus Uxoribus* Socratis, *locum* talem nequaquam videri potuisse illi, qui in Historiâ Reip. Atticae diligenter, atque ut oportet, sit versatus; illum etiam, qui omnia consideraverit atque inter se comparaverit ac conjunxerit, *haud difficulter* (10) statuere posse, " unde haec traditio *de duabus Socratis Uxoribus* orta sit," -- ex merâ nimirum erga Virum sapientissimum *calumniâ*, ab Aristoxeno praesertim aliisque Polyhistoribus Peripateticis, mox a mendaci Porphyrio, denique a nonnullis Scriptoribus Christianis, animo suo indulgentibus, post Porphyrium propagatâ. Tu, Lector, qui veri studiosus es, vera dicenti fave, et, quum ad Te provocatum sit, judica.

(10) *Diatribe* de Aristoxeno Mahniana pag. 87. « Caeterum unde haec ipsa traditio „ *de duabus Socratis Uxoribus* sit orta, hoc diserte statuere non audeo; nam quo „ jure nuper scripserit *Vir quidam doctus, hanc in Virum sapientissimum accusa-* „ *tionem meram esse calumniam, Peripateticorum auctoritatem fallacem, ipsosque* „ πολυϊστορίαν *affectantes*, de eo alii judicent."

Sectio I. §. I.

SECTIO PRIMA;

de testimoniis et argumentis, quibus FABULA *aut nititur, aut oppugnatur,* DE GEMINÂ UXORE SOCRATIS.

Testimonia Veterum recitantur.

§. I. *Testimonia Veterum recitantur.*

Antiquissimus e Graecis Scriptoribus, quorum libri, nostrâ aetate superstites, *de geminâ Uxore Socratis* memoriam ad posteros propagarunt, est PLUTARCHUS (11), talis tamen testis, qui accusationem infirmet potius et convellat, quam aut adornet aut probet. En illius verba.

PLUTARCHUS.

Καὶ μέντοι καὶ τάφος ἐστὶν αὐτοῦ Φαληροῖ δεικνύμενος, ὅν φασι κατασκευάσαι τὴν πόλιν αὐτῷ, μηδ' ἐντάφια καταλιπόντι· καὶ τὰς μὲν θυγατέρας [Ἀριστείδου] ἱστοροῦσιν ἐκ τοῦ Πρυτανείου τοῖς νυμφίοις ἐκδεθῆναι δημοσίᾳ τῆς πολέως τὸν γάμον ἐγγυώσης, καὶ προῖκα τρισχιλίας δραχμὰς ἑκατέρᾳ ψηφισαμένης. Λυσιμάχῳ δὲ τῷ υἱῷ μνᾶς μὲν ἑκατὸν ἀργυρίου, καὶ γῆς τεσαῦτα πλέθρα πεφυτευμένης ἔδωκεν ὁ δῆμος, ἄλλας δὲ δραχμὰς τέσσαρας εἰς ἡμέραν ἑκάστην ἀπέταξεν, Ἀλκιβιάδου τὸ ψήφισμα γράψαντος, ἔτι δὲ Λυσιμάχου θυγατέρα Πολυκρίτην ἀπολιπόντος, ὡς Καλλισθένης φησὶ, καὶ ταύτῃ σίτησιν ὅσην καὶ τοῖς Ὀλυμπιονίκαις ὁ δῆμος ἐψηφίσατο. Δημήτριος δ' ὁ Φαληρεὺς, καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος, καὶ Ἀριστόξενος ὁ Μουσικὸς, καὶ Ἀριστοτέλης, εἰ δὴ τὸ περὶ Εὐγενείας βιβλίον ἐν τοῖς γνησίοις Ἀριστοτέλους θετέον, ἱστοροῦσι, Μυρτὼ θυγατριδῆν Ἀριστείδου Σωκράτει τῷ σοφῷ συνοικῆσαι, γυναῖκα μὲν ἑτέραν ἔχοντι, ταύτην δ' ἀναλαβόντι χηρεύουσαν διὰ πενίαν καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεομένην. Πρὸς μὲν οὖν τούτους ἱκανῶς ὁ Παναίτιος ἐν τοῖς περὶ Σωκράτους ἀντείρηκεν· ὁ δὲ Φαληρεὺς ἐν τῷ Σωκράτει φησὶ κ. τ. λ.

Plutarcho succedant duo alii, ad eandem ambo fere aetatem referendi, DIOGENES LAERTIUS et ATHENAEUS, quorum prior (12) haec scripsit.

DIOGENES LAERTIUS.

Φησὶ δ' Ἀριστοτέλης δύο γυναῖκας αὐτὸν ἀγαγέσθαι, προτέραν μὲν Ξανθίππην, ἐξ ἧς αὐτῷ γενέσθαι Λαμπροκλέα· δευτέραν δὲ Μυρτὼ, τὴν Ἀριστείδου τοῦ Δικαίου θυγατέρα, ἣν καὶ ἄπροικον λαβεῖν, ἐξ ἧς γενέσθαι Σωφρονίσκον καὶ Μενέξενον· οἱ δὲ προτέραν γῆμαι τὴν Μυρτὼ φασίν· ἔνιοι δὲ, καὶ ἀμφοτέρας ἔχειν ὁμοῦ, ὧν ἐστι Σάτυρός τε καὶ Ἱερώνυμος Ῥόδιος· φασὶ γὰρ βουληθέντας Ἀθηναίους, διὰ τοῦ λειπανδρεῖν, συναυξῆσαι τὸ πλῆθος, ψηφίσασθαι, γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας, ὅθεν τοῦτο ποιῆσαι καὶ Σωκράτην· ἦν δ' ἱκανὸς καὶ τῶν σκωπτόντων αὐτὸν ὑπερορᾶν. κ. τ. λ.

ATHENAEI

(11) In vitâ Aristidis Tomo I. Opp. pag. 335. C.

(12) Lib. II. Segm. 26.

Athenaei locus omnium maxime est insignis, eo praesertim nomine, quod majorem illius fidem declaret rerumque scientiam, quam quae fuit Diogeni Laertio: Hic nimirum, licet in describendis Philosophorum Vitis singulare studium professus, de Panaetio silet, qui fabulae contradixerit: Panaetii tamen ignorasse vel celasse sententiam illum non oportuerat, qui datâ id agebat operâ, quod Plutarchus et Athenaeus, in diverso argumento versati, cursim tantum memorarunt, de totâ se re, de ipso etiam Decreto, dubitare, satis aperte significantes: Sed haec alias: Nunc Athenaei (13) verba adponamus.

Sectio I. §. 1. Athenaeus.

Ἐν δὲ Ἀθήναις πρῶτος Κέκροψ μίαν ἑνὶ ἔζευξεν, ἀνέδην τὸ πρότερον οὐσῶν τῶν συνόδων, καὶ κοινογαμίαν ὄντων· διὸ καὶ ἔδοξέ τισι διφυὴς νομισθῆναι, οὐκ εἰδότων τῶν πρότερον διὰ τὸ πλῆθος τὸν πατέρα. ἐκ τούτων οὖν τις ὁρμώμενος μέμψαιτ' ἂν τοὺς περιτιθέντας Σωκράτει δύο γαμετὰς γυναῖκας, Ξανθίππην καὶ τὴν Ἀριστείδου Μυρτὼ, οὐ τοῦ Δικαίου καλουμένου (οἱ χρόνοι γὰρ οὐ συγχωροῦσιν) ἀλλὰ τοῦ τρίτου ἀπ' ἐκείνου. εἰσὶ δὲ Καλλισθένης, Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς, Σάτυρος ὁ Περιπατητικὸς, Ἀριστόξενος· οἷς τὸ ἐνδόσιμον Ἀριστοτέλης ἔδωκεν, ἱστορῶν τοῦτο ἐν τῷ Περὶ εὐγενείας (*)· εἰ μὴ ἄρα συγκεχωρημένον κατὰ ψήφισμα τοῦτο ἐγένετο τότε διὰ σπάνιν ἀνθρώπων, ὥστ' ἐξεῖναι καὶ δύο ἔχειν γυναῖκας τὸν βουλόμενον· ὅθεν καὶ τοὺς τῆς κωμῳδίας ποιητὰς ἀποσιωπῆσαι τοῦτο, πολλάκις τοῦ Σωκράτους μνημονεύοντας. Παρέθετο δὲ περὶ τῶν γυναικῶν ψήφισμα Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος, ὅπερ σοι διαπέμψομαι εὐπορήσας τοῦ βιβλίου· ἀντεῖπε δὲ τοῖς λέγουσι περὶ τῶν Σωκράτους γυναικῶν Παναίτιος ὁ Ῥόδιος.

Triumviris hisce in nostrâ caussâ praecipuis geminum adjungamus Scriptorem Christianum Graecum, cui fictum istud *διγαμίας* crimen ansam dedit vehementer suo more in Socratem invehendi. Prior est Vir animi acerbitate et male dicendi studio notior etiam quam variarum rerum, divinarum praesertim, scientiâ, Cyrillus Alexandrinus. Is, postquam multa de iracundiâ Socratis, atque impotentiâ animi, cui Philosophus indulgere solitus esset, in medium attulisset, adhibitis Porphyrii verbis in Libris *de Vitis Philosophorum*, qui ipse Aristoxenum *in Vitâ Socratis* descripserat, haec paulo post, iisdem dictorum auctoribus, addit (14).

Cyrillus Alexandrinus.

(13) Lib. XIII. pag. 555. D.

(*) Cum olim scriptum fuisset Περὶ συγγενείας emendandum Περὶ εὐγενείας, jam olim ad Diogenem Laertium Isaacus Casaubonus animadverterat; quod, postea in libris scriptis inventum, recte adeo correxit, et in suam Athenaei editionem recepit.

(14) *Contra Julianum* Lib. VI. pag. 186. C. D. ed. Spanh.

Sectio I. §. 1.

Ἆρ᾽ οὖν ἠρρώστησε μὲν ὁ Σωκράτης τὸ δριμὺ πρὸς ὀργὰς, ἠμοιρηκότα δὲ τῶν ἑτέρων εὑρήσομεν, αἷ ταῖς ἐσχάτως αὐτὸν ἐνήσει διαβολαῖς; οὐμενοῦν· γέγονε γὰρ οὕτω γυναικομανὴς, καὶ ταῖς ἐς τοῦτο ῥοπαῖς ὁλοψύχως συνηρτασμένος, ὡς οὐδὲν ἡγεῖσθαι τὸ ἄμεινον αὐτοῦ· γέγραφε γὰρ ὡδὶ πάλιν περὶ αὐτοῦ Πορφύριος. “ Ἐν δὲ τοῖς περὶ τὸν βίον τὰ μὲν ἄλλα „ εὔκολον, καὶ μικρᾶς δεόμενον παρασκευῆς εἰς τὰ καθ᾽ ἡμέραν γεγενῆσθαι· πρὸς δὲ τὴν „ τῶν ἀφροδισίων χρῆσιν σφοδρότερον μὲν εἶναι· ἀδικίαν δὲ μὴ προσεῖναι. ἢ γὰρ ταῖς „ γαμεταῖς, ἢ ταῖς κοιναῖς χρῆσθαι μόναις· δύο δὲ σχεῖν γυναῖκας ἅμα, Ξανθίππην μὲν „ πολῖτιν, καὶ κοινοτέραν πως, Μυρτὼ δὲ Ἀριστείδου θυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου· καὶ „ τὴν μὲν Ξανθίππην περιπλακεῖσαν λαβεῖν, ἐξ ἧς ἑαυτῷ Λαμπροκλῆς ἐγένετο· τὴν δὲ „ Μυρτὼ γάμῳ, ἐξ ἧς Σωφρονίσκος καὶ Μενέξενος.” Εἶτα τί πρὸς τοῦτο φαίη ἂν ὁ τὸν Σωκράτην τεθαυμακὼς; καθὰ μὲν γὰρ αὐτοί φασιν, σφοδρότερος ἦν περὶ τὰ ἀφροδίσια, καταφωρᾶται δὲ δι᾽ αὐτῶν τῶν πραγμάτων, ὡς εἴη τις ἄγαν λάγνος τε καὶ ἀκρατὴς, καὶ κόρον εἰδὼς οὐδένα τὸν ἐπί γε ταῖς οὕτω βδελυρωτάταις ἡδοναῖς, ὅς γε δυοῖν αὐτῷ γαμεταῖν, οὐδὲ ἐν κόσμῳ τάχα που συνηρμοσμέναιν, συνεπλέκετο καὶ ἄλλαις, αἰσχροῖς δηλονότι καὶ μισθαρνοῦσι γυναίοις, καὶ τὴν τοῦ σώματος ὥραν ὤνιον προθεῖσι τοῖς ἐρασταῖς. Καί τοι πῶς οὐκ ἀλλότρια ταυτὶ πολιτείας τῆς ἐμφιλοσόφου καὶ πρακτικῆς ἀρετῆς; ἆρ᾽ οὖν ἐπετίμα τοῖς νέοις, εἰ ζῆν ἕλοιντο παρὰ τὸ εἰκὸς; εἶτα ποῖος ἂν αὐτῷ πρὸς ἐκείνους εὖ ἐπεποιητο λόγος, ὅτε λευκῇ πολιᾷ κατηνθισμένος, τοῖς οὕτω μυσαρωτάτοις ἐγχειρήμασιν οὐχ ἁλόντα μόνον, ἀλλὰ γάρ ἤδη καὶ τυραννούμενον νοῦν ἔχων ἀκοντὶ διεφαίνετο; κ. τ. λ.

Theodoretus Cyrensis.

Alter Scriptor Christianus, ex quo notissimus hanc in rem locus nobis describendus est, Theodoretus Cyrensis est Episcopus, cujus quamvis non ita cognita sit in rebus Theologicis acerbitas naturae et quaedam velut malevolentia, facile tamen demonstrabimus, haud multo meliorem illius esse fidem quam Archi-episcopi Alexandrini; quin in rebus Socraticis ea, quae Cyrillus temere ex Porphyrio, Aristoxeneas calumnias recoquenti, repetierat atque exornaverat, a Theodoreto in suos fuisse libros translata non tantum sed adaucta et amplificata. Scilicet, post descripta propemodum ad verbum, quae, auctoribus Aristoxeno atque Porphyrio, Cyrillus Alexandrinus pariter narraverat de Socrate ad iram prono et de impotenti Philosophi animo, si quando levi exardesceret injuriâ aliquâ et inflammaretur, sic porro infit Cyrensis Episcopus (15).

(15) Θεραπ. Ἑλλ. παθ. sive *ad Graecos infideles* Serm. XII. pag. 174. 175. ed. Sylburg. Quae inter Cyrillum ac Theodoretum, in loco Porphyriano, lectionis est varietas, alibi forsitan notabitur.

Sectio I. §. 1.

Καὶ ἄλλα δὲ τοιαῦτα διεξελθὼν, δείκνυσιν αὐτὸν [ὁ Πορφύριος Ἀριστοξένῳ *μάρτυρι κεχρημένος*] *καὶ ταῖς ἡδυπαθείαις δεδουλωμένον· λέγει δὲ οὕτως.* " Πρὸς δὲ τὴν τῶν *ἀφροδισίων*
„ *χρῆσιν σφοδρότερον μὲν εἶναι, ἀδικίαν δὲ μὴ προσεῖναι· ἢ γὰρ ταῖς γαμεταῖς, ἢ ταῖς*
„ *κοιναῖς χρῆσθαι μόναις. δύο δὲ ἔχειν γυναῖκας ἅμα· Ξανθίππην μὲν πολίτην, καὶ κοινοτέραν*
„ *πῶς·* Μυρτὼ *δὲ* Ἀριστείδου *θυγατριδῆν τοῦ* Λυσιμάχου*· καὶ τὴν μὲν Ξανθίππην*
„ *προσπλακεῖσαν λαβεῖν.* [Leg. ex Cyrillo, *περιπλακεῖσαν λαθεῖν·*] *ἐξ ἧς ὁ Λαμπροκλῆς*
„ *ἐγένετο· τὴν δὲ* Μυρτὼ, *γαμηθεῖσαν, ἐξ ἧς Σωφρονίσκος καὶ* Μενέξενος*. αὗται δὲ,*
„ *συνάπτουσαι μάχην πρὸς ἀλλήλας, ἐπειδὰν παύσαιντο, ἐπὶ τὸν Σωκράτην ὥρμουν,*
„ *διὰ τὸ μηδέποτε αὐτὰς μαχομένας διακωλύειν, γελᾷν δὲ, καὶ ἀλλήλαις καὶ αὐτῷ*
„ *μαχομένας ὁρῶντα.*"

Hieronymus Stridonensis.

A Theodoreti aetate haud multum distat aut illam etiam paululum superat Theologus Latinus, Hieronymus Stridonensis, qui etiamsi Auctores non laudat suos, quin eosdem tamen habuerit, quos Theodoretus, nemo dubitabit, qui utriusque narrationem inter se comparaverit. Hieronymi locus est in primo *adversus Jovinianum* Libro (16).

" Socrates Xanthippen et Myrton, neptem Aristidis, duas habebat uxores:
„ Quae quum crebro inter se jurgarentur, et ille eas irridere esset solitus, quod propter se, foedissimum hominem, simis naribus, recalvâ fronte, pilosis humeris, et repandis cruribus, disceptarent, novissime verterunt in eum impetum, et male mulctatum fugientemque diu persecutae sunt. Quodam autem tempore quum infinita convicia ex superiori loco ingerenti Xanthippae restitisset, aquâ perfusus immundâ, nihil amplius respondit, quam, capite deterso, *sciebam*, inquit, *futurum, ut ista tonitrua imber sequeretur.*"

Ridicula sunt ista, quae, nisi et vera reperiantur, Veterum horumce Theologorum fidem magis onerant quam Socratis famam: Neque intra has calumnias substitit illorum sociorumque (Tertullianum dico aliosque) -- non substitit, inquam, intra has calumnias veterum Scriptorum Christianorum seu credulitas seu levitas: Sed, uti fit, ex mendaciis mendacia conficta sunt, quae tamen quum geminum Socratis torum magis ponant ut rem nemini dubiam, quam consilio de illo loquantur, alias pluribus ista recensebimus. Nunc, in rem praesentem venientes, post Scriptores, qui aperte et plane *de duabus Socratis Uxoribus* memoriae prodiderunt, duos alios in medium

(16) Tomo IV. ed. Parisinae pag. 190.

Sectio I. §. 1. adducamus, incertae tamen eo magis fidei testes, quod vel nullo vel simulato nomine in judicium prodeant, et datâ potius aut per jocum quaesitâ occasione, quam serio et ut homines graves oportet, quaestionem nostram attingant. Prior incedat personatus Aristippus, qualem confinxit Epistolarum Socraticarum Auctor. Is (17) nimirum filiam Areten, (si credere fas est) hortatur, ut, se mortuo, proficiscatur Athenas, et unà cum Myrtò et Xanthippe, Uxoribus Socratis, degat.

Epistolae Socraticae.

Εἰ δέ μου διαλυθέντος ὑπὸ τῆς Φύσεως ϛῆσαι (18) ἐμὸν βούλημα ζητεῖς, ὡς ὅτι κράτιϛα παιδεύσασα τὸν Ἀρίϛιππον, Ἀθήναζε χώρει Ξανθίππην τε καὶ Μυρτὼ πρὸ παντὸς ποιουμένη, αἵ με πολλάκις ἐλιπάρουν ἐπὶ μυϛήριά σε ἄγειν. τὸ οὖν ἡδὺ βιότευμα μετὰ τούτων ἔχουσα, κατάλιπε τοῖς ἐν Κυρήνῃ ἐπισκόποις ὅ, τι ποτ' ἂν ἐθέλωσιν ἀδικεῖν· σὲ γὰρ οὐκ εἰς τὸ Φυσικὸν τέλος ἀδικήσουσιν. πειρῶ δὲ μετὰ Ξανθίππης καὶ Μυρτοῦς ζῆν, ὡς ἐμοὶ Φίλον μετὰ Σωκράτους, πλέον τῆς ἐκείνων Φιλίας σεαυτὴν ϛέλλουσα· κεῖθε τὸ σοβαρὸν οὐκ ἐπιχώριον· εἰ δ' ἔλθοι θᾶττον Λαμπροκλῆς εἰς Κυρήνην ὁ Σωκράτους, ὃς ἐν Μεγάροις ὡμίλει μοι, ποιήσεις ἄριϛα κοινουμένη τὸν βίον αὐτῷ, καὶ μηδὲν διαφορώτερον τοῦ τέκνου τιμῶσα.

Halcyonis Dialogus Lucianéus. Alter Pseudonymus est Dialogi Halcyonis, inter Lucianéos, Scriptor, sive Libelli Auctor vere fuerit Leo Philosophus Academicus, sive ineptior aliquis et frigidus magis Platonis imitator, -- incertus saltem incertaeque adeo fidei testis: Is, dum Socratico more personatum agit Socratem, cum Chaerephonte Naturae miracula celebrantem, (a lectione Nubium Aristophanearum forte recens) hanc Philosopho nostro adfingit *προσφώνησιν* (19) ad Avem conjugis amantissimam.

Κλέος δὲ μύθων, οἷον παρέδοσαν πατέρες, τοιοῦτο καὶ παισὶν ἐμοῖς, ὦ ὄρνι θρήνων μελῳδὲ, παραδώσω τῶν σῶν ὕμνων πέρι. καί σου τὸν εὐσεβῆ καὶ Φίλανδρον ἔρωτα πολλάκις ὑμνήσω, γυναιξί τ' ἐμαῖς, Ξανθίππῃ τε καὶ Μυρτοῖ, λέγων τά τ' ἄλλα, πρὸς δὲ, καὶ τιμῆς οἵας ἔτυχες παρὰ θεῶν. ἆρά γε καὶ σὺ ποίησεις τι τοιοῦτον, ὦ ΧαιρεΦῶν;

Suidas. Nescio, an descriptis jam Veterum locis Suidam adjungamus: Hic enim neque novam ipse per se auctoritatem facit, neque duas eodem tempore

(17) Epist. Socrat. XXVII. pag. 56. 57.

(18) Vix est, ut ista *ϛῆσαι ἐμὸν βούλημα* sana arbitremur: *Γνῶναι, εἰδέναι*, vel simile quid requiri videtur.

(19) Cap. 8. (Tomo I. Opp. pag. 184. in fine)

Socrati fuisse Uxores diserte tradit, quamvis Porphyrii *Historiam Philosophicam*, vel saltem eundem Porphyrii locum, unde sua hauserunt Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus, cum ista scriberet, ob oculos habuisse videatur. En illius verba (20). Sectio I. §. 1.

> *Ἀριστόξενος δὲ Ἀρχελάου πρῶτον αὐτὸν [Σωκράτην] διακοῦσαι λέγει. γεγονέναι δὲ αὐτοῦ καὶ παιδικὰ, σφοδρότατόν τε περὶ τὰ ἀφροδίσια, ἀλλὰ ἀδικήματος χωρὶς, ὡς Πορφύριος ἐν τῇ Φιλοσόφῳ Ἱστορίᾳ φησίν· — καὶ γαμεταῖς δὲ συνῴκησε δύο, Ξανθίππῃ, ἀφ᾽ ἧς ἔσχεν υἱὸν Λαμπροκλέα, καὶ δευτέρᾳ Μυρτοῖ, τῇ Ἀριστείδου τοῦ Δικαίου θυγατρὶ, ἐξ ἧς ἐγένετο Σωφρονίσκος, καὶ Μενέδημος ἢ Μενέξενος, ὥς τισι δοκεῖ.*

Ex Latinis Scriptoribus antiquis, ex iis etiam qui post Caesarum vixerunt aetatem, (si unum alterumve Scriptorem Christianum excipiamus) ne unus quidem est, (quantum noverim) qui geminam Socrati eodem tempore Conjugem fuisse dixerit, vel istam Fabulam verbo tantum memoraverit: Quod cum argumentum haud leve sit, ut eam falsi accusemus, mox paulo amplius isti observationi insistemus. Unus, ut praesens institutum persequamur, reperitur, qui de illâ inaudivisse, sed memoriae vitio lapsus, forsitan videatur: Ad stabiliendam tamen Legis fidem, quae *διγαμίαν* in civitatem Atticam admiserit, testis adpellari solet. Gellius is est, qui haec de Euripide in *Noctes* (21) suas *Atticas* retulit. A. Gellius.

> " *Mulieres fere omnes in majorem modum exosus fuisse* (Euripides) *dicitur; sive quod naturâ abhorrùit a mulierum coetu, sive quod duas simul uxores habuerit, quum id decreto ab Atheniensibus facto jus esset; quarum matrimonii pertaedebat.*"

En igitur par ex omni Antiquitate maxime egregium Virorum, amicitiâ et sapientiae studio conjunctissimorum! en severissimos hos Duumviros, ex universo Atheniensium numero solos, quorum quidem ad nos memoria pervenerit, ridiculâ et a gravibus Viris alienissimâ Legis veniâ usos, ut duplicem sibi domi torum sternerent, ex duplici matrimonio liberos procrearent, duplices sibi quotidie molestias contraherent! Proh! rem sanequam miram et incredibilem! -- Tanta, scilicet, Aristoxeni fuit auctoritas, tanta Porphyrii fides, ut quod absurdissimum et veri dissimillimum nobis videretur, si

(20) V. Σωκράτης, Tomo III. pag. 351.
(21) Lib. XV. Cap. 20.

Sectio I. §. 1.

rem oculis ipsi nostris praesentes cerneremus, id jam verum, certum, indubitatum habeatur! Profecto, cum facilitatem istam in adhibendâ fide, a qua facilitate summi etiam Viri sibi non satis caverunt, maximopere miror, prudens Polybii (22) monitum animo obversatur: *Ἵνα μὴ πρὸς τὴν ἐπιγραφὴν, ἀλλὰ πρὸς τὰ πράγματα βλέπωμεν· — ἔνιοι γὰρ οὐκ ἐπὶ τὰ λεγόμενα συνεπιστήσαντες, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ αὐτὸν τὸν λέγοντα, καὶ λαβόντες ἐν νῷ, διότι κατὰ τοὺς καιροὺς ὁ γράφων γέγονε, — πᾶν εὐθέως ἡγοῦνται τὸ λεγόμενον ὑπὸ τούτου πιστόν· ἐγὼ δὲ φημὶ μὲν δεῖν, οὐκ ἐν μικρῷ προσλαμβάνεσθαι τὴν τοῦ συγγραφέως πίστιν, οὐκ αὐτοτελῆ δὲ κρίνειν. τὸ δὲ πλεῖον, ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι τοὺς ἀναγινώσκοντας τὰς δοκιμασίας.*

Sectio I. §. 2.

§. II. *Judicia recentiorum referuntur, qui Fabulae sunt adsensi.*

Recentiores fabulae adsentientes.

Et certe, ut jam transeamus ad doctos recentioris seculi Viros, quos falsa Aristoxeni, Hieronymi Rhodii, Porphyrii auctoritas induxit in errorem, illa a Polybio vere reprehensa ratio, -- *λαβόντες ἐν νῷ, διότι κατὰ τοὺς καιροὺς ὁ γράφων γέγονε,* — *πᾶν εὐθέως ἡγοῦνται τὸ λεγόμενον ὑπὸ τούτου πιστὸν,* — praejudicata, inquam, illa opinio, quaecunque ab Auctore scripta sint, qui rem gestam aetate proxime attigit, certa esse et indubitata, nimium quantum valuit etiam in confirmandâ Fabulâ *de geminâ Uxore Socratis.* -- Duumvirorum, qui uterque initio seculi decimi sexti eruditam Romam doctrinâ, Vaticanam Bibliothecam operâ suâ ornarunt et industriâ, Leo Allatius ac Lucas Holstenius, hic quidem in Dissertatione de *Vitâ et Scriptis Porphyrii* (1), quam caeteroquin meritis laudibus cumulavit Cl. Ruhnkenius (2), minus cogitate sequentia scripsisse reperitur.

Lucas Holstenius.

" Atque utinam tam facile esset in caeteris Porphyrii caussam tueri, quam
,, nullo negotio hujus *Historïae (Philosophicae)* fides contra Socratis
,, (in *Hist. Eccl.*) objectionem a calumniae ac detrectationis crimine
,, defenditur. Ea enim quae malevole contra Socratem Philosophum
,, scripta fuisse reprehendit Lib. III. Cap. 23. *Hist. Eccles.* nequaquam de
,, suo confinxit Porphyrius, nec propriâ fide asseruit, sed *Aristoxeni,*
,, *gravissimi ac celeberrimi Scriptoris, auctoritate:* Quod videre est
,, Theodoreti Sermone XII. *Graecarum affectionum,* ubi ea leguntur,

(22) Lib. III. Cap. 9.

(1) Cap. VIII. (in Fabricii *Bibliothecâ Graecâ*, Vol. IV. pag. 256.)

(2) Diss. *de Vitâ et Scriptis Longini* §. 1.

,, quae Porphyrius ex dicto Auctore de Socratis iracundiâ ac libidine ,, in tertio hujus Operis libro retulerat. Taceo enim, quod Socrates ipse ,, Zopyri de se judicium proprio testimonio comprobarit."

SECTIO I. §. 2.

LEO ALLATIUS.

Alter Duumvirorum, quos dicebamus, LEO ALLATIUS, Diogenis Laertii fidem simpliciter sequitur (3), non dissimulato tamen Panaetio, a quo Fabulam idoneis rationibus confutatam Plutarchus memoraverat. Erat sane, quod illa auctoritas aliquem scrupulum et dubitationem Allatio injiceret: Sed nimirum, quì fidem Laertio denegasset, nec dubitasset tamen de legitimis *Epistolarum Socraticarum* natalibus, quas primus prodebat in lucem? -- Quicunque animum non attendit, sed ὡς ἐν παρέδῳ quaestionem nostram attingit solummodo, illi etiam facilius ignoscitur: Quos inter summus noster est HUGO GROTIUS (4). At vero *Historiae Philosophicae* Scriptorem oportet cuncta accuratius perpendere, neque omnia, quae a Veteribus tradita sunt, ut probata et extra omne dubium posita, sine discrimine recipere atque ad credulos posteros propagare. Ea tamen in re THOMAE STANLEJI, Viri alias de literis optime meriti, aliqua esse videtur culpa, qui, quas in Socratem temere vulgatas repererat, calumnias non collegit tantum, sed novis, quos a tali tantoque Viro (5) non exspectares, erroribus cumulavit, unam tamen addens observationem, qua istam facilitatis suae culpam facile redemit, quamque, ut praecipuum hujus disputationis argumentum, postea pluribus confirmabimus. "Verum et *Aristoxeni* et *Porphyrii* (inquit) a ,, quibus istae originem *calumniae* ducunt, notior apud omnes malignitas est, ,, quam ut ullam ab iis relata auctoritatem mereantur." Stanlejus vero ipsi de *διγαμίᾳ* Socraticâ fabulae parum diffisus esse videtur. "Duas (inquit) uxores ,, duxit, priorem Xanthippen, civis Atheniensis, ut THEODORITO affirmatum, filiam, qui addit, pudicitiae parum integrae eam, antequam So- ,, crati nuberet, fuisse, quam non ipsi tantum sed et aliis prostituisset. ,, Relatum et ATHENAEO, eam, sibi jam nuptam, amico commodasse So- ,, cratem, Alcibiadem quoque ejus commercio esse usum." Quae postrema, de commodatâ a Socrate uxore suâ, quam falsa sint, quam vitio affinia; cuivis, Athenaeum (6) inspicienti, facile patebit: Neque enim Athenaei, de amore Socratis erga Alcibiadem illic tantum agentis, fide nituntur; sed.

HUGO GROTIUS.

THOMAS STANLEJUS.

(3) Ad *Epist. Socr.* pag. 230.

(4) *De Jure Belli et Pacis* Lib. II. Cap. 5. §. 9.

(5) *Hist. Philos.* Parte III. Cap. 16. pag. 186.

(6) Lib. V. pag. 219. B.

Sectio I. §. 2. TERTULLIANUM (7), hujusque vestigia legentem SALVIANUM (8), Scriptores Christianos, LUCIANI (9) jocis forte abusos, auctores habent, uti deinceps pluribus demonstrabitur.

Dolendum profecto est in re, quae mihi quidem quam maxime seria videtur, in enarrandâ nempe vitâ ac victûs consuetudine Viri, sapientiae famâ supra omnes alios conspicui, fabulas sic fabulis augeri: Quo in genere si quis peccavit, is certe FRANCISCUS est VAVASSOR, qui, cum *ludicram Dictionem* damnandam esse docet, ipse saepius, nescio quid, *ludicrum* in eleganti caeteroquin Libello adfectavit. Talia saltem sunt, quae lepide de Socrate narrasse VAVASSOR sibi visus (10) est, Hieronymum, Stridonensem Theologum, auctorem secutus.

Franciscus Vavassor.

" Quamobrem non eos modo Socrates lusit, quibuscum dissereret, sed se
,, quoque saepissime: Neque tunc solum, cum se omnium disciplina-
,, rum inscium fingebat et rudem; sed multo jocosius, cum pravitates
,, membrorum suas simpliciter et vere commemorabat. Qua de re illud
,, ab Hieronymo festivum ac prope scurrile profertur. Zelotypia labora-
,, bant, atque, ut fit, rixabantur inter se Socratis uxores duae, Xan-
,, thippe et Myrto. Harum jurgio Socrates interveniens, et suspicans,
,, id quod erat, litem exortam suâ caussâ, *Miror,* inquit, *vestra*
,, *ista rivalitas quid sibi velit, aut cur aemulae sitis propter virum:*
,, *At quem virum, et quâ formâ? calvum, simum, hirsutis humeris,*
,, *distortis cruribus?* Qua irrisione communi quasi amiciores factae subito
,, verterunt in irrisorem iracundiam et manus, atque etiam diu perse-
,, cutae sunt fugientem."

Ludicra sunt ista et joco affinia, facilius adeo ferenda: Sed Theologo Gallo severior, uti oportebat, Theologus fuit Anglus, Vir cujus erga Historiam veterem egregia sunt merita, verum idem aliquando credulus nimis et communis famae atque opinionis tenax. Vide, quam dura HUMFREDI PRIDEAUXII (11) in Socratem sit censura, propter duplex scilicet cubile, a Philosopho,

Humfredus Prideaux.

(7) In *Apologetico* Cap. XXXIX. pag. 329. ed. Haverc.

(8) *De Gubernat. Dei* Lib. VII. pag. 299. ed. Rittersh.

(9) *In Vit. Auctione* Tom. I. Opp. pag. 556.

(10) *De Ludicrâ Dictione* Cap. 2. pag. 33. ed. Kappii.

(11) *Hist. Jud.* Lib. VI. ad annum ante C. N. 426. Editionem Gallicam secutus sum Tomo II. pag. 382. cujus Interpres merito nimiam Auctoris sui reprehendit severitatem, neque Panaetii obliviscitur, qui, teste Plutarcho, fabulam esse demonstraverit.

a Philosopho, qui temperantiae ac continentiae exemplar esse debuerat, usurpatum. Sectio I. §. 2.

" Sexto (ait) belli Peloponnesiaci anno novas Athenis strages pestis edidit, ,, et funera funeribus cumulavit. Cum vero clades, quaeque jam praecesserant, numerum civium valde minuissent, ut is iterum augeretur, ,, Lex scripta est, quae *Viro geminas habere Uxores permisit.* À ,, Cecropis inde aetate, qui primus Atticam incolis frequentaverat, Athenasque condiderat, de πολυγαμίᾳ nunquam injecta fuerat mentio, et nunquam marito venia data, ut plures unâ uxores habere liceret. Lex ac ,, consuetudo, ne id cuiquam concessum esset, consentiebant. At vero ,, post illam pestem admissa est πολυγαμία; et Socrates, -- Socrates ille ,, Philosophus, -- inter primos fuit istâ veniâ usos. Annos tum erat ,, natus quadraginta-tres, quippe qui primam lucem adspexerat postremo ,, anno Olympiados 77. anno 469. ante Christum. Prior illi uxor erat ,, Xanthippe, morositate quae suâ satis innotuit; altera, quam tunc ,, duxit, Myrto. Quod duplici hoc matrimonio lucratus est, id solum ,, fuit, ut perversi moris duas haberet uxores pro unâ, quo ad patientiam et obsequium magis se exerceret. Cum discordes inter se agerent, rixarum erat perpetuitas. Ambae istae feminae diem consumebant altercando, clamando, pugnando. Sin inter se consentirent, ,, consensus hic in miseri Socratis caput recidebat; saepiusque, postquam *linguae verbera* ab iis esset expertus, alapis in eum pugnisque ,, invehebantur; et pessime mulctabatur infelix Philosophus. Sed sanequam ,, haud praeter meritum patiebatur malum, quod ipse sibi intriverat, ,, qui exempli sui auctoritatem praestiterat consuetudini, quae Naturae ,, adeo adversatur, et hominum Societati tam est perniciosa. Etenim res ,, est rationibus et subductis calculis certissima, numerum marium, qui ,, quotannis in genere humano nascantur, semper numero feminarum ,, paulo esse majorem: Quo constet Numini, qui conditor est hujus ,, Universi, propositum nunquam fuisse, ut unus vir plures unâ haberet uxores: Nullumque adeo est dubium, quin contra Naturae Divinasque agat Leges, qui duas pluresve sibi conjuges simul societ. ,, Etiamsi supremus illarum auctor aliquando progeniem Israëlis iis ,, Legibus solverit, veniâ ad id perspicue datâ, haud recte tamen alii ,, illo se exemplo defendant. —"

Sectio I. §. 2.

Atque haec quidem Humfridus Prideaux, vir minime contemnendus, cujus tamen censurae si auctorem quaeramus, erit, quod miremur, non laudatum pariter, praeter recitata Athenaei et Diogenis Laërtii loca, dubitantis post Panaetium Plutarchi testimonium fuisse; atque eà certe in re Prideauxii candorem desideramus: Sed nimirum praecipuus illi testis est Porphyrius apud Theodoretum, qui idem Porphyrius Aristoxenum auctorem habuit. Neque meliori usus est Franciscus Vavassor; quemadmodum et eosdem testes exhibuerit, necesse est, Fridericus Menzius in Dissertatione, a Bruckero quoque (12) memoratà, *de Socrate nec officioso marito, nec bono Patrefamilias*, quam *eruditissimam* vocat Ioannes-Erhardus Kappius (13), mihi nunquam visam.

Tiberius Hemsterhusius.

At vero, si vel centeni alii, nullo judicio usi, quo ficta ac prava a sinceris rectisque discernerent, id egissent unice, ut eorum scriptorum exemplo, qui Ecclesiae Christianae dicuntur Patres, Socratem calumniis onerarent, Veterum sic Philosophiam rectius se feliciusque opprimere rati, non adeo haec Accusatorum turba caussae nostrae adversa mihi videretur, quam unius Tiberii Hemsterhusii suffragium, quem summum Praeceptorem meum, acris ingenii emunctaeque naris (si quis unquam) Virum, miror Fabulae non tantum habuisse fidem, sed et illi se praestitisse patronum ac defensorem. Etenim, cum Moyses Solanus in Notis (14) ad *Halcyonis* Dialogum, qui *Lucianëus* dicitur, adsensum prudentius sustinet, Hemsterhusius *Epistolarum Socraticarum* ac *Porphyrii* apud *Cyrillum* fidem non tantum ibi sequitur; sed et, aliquo interjecto tempore (15), nova argumenta addidit, quibus ex ipso *Platonis Phaedone* conficere sibi visus est, utramque uxorem, Myrtûm et Xanthippen, Socrati fuisse superstites. Quando vero haec argumenta mox a nobis ad examen erunt revocanda, Magni Viri hic verba referre supersedeo; et enumerandarum adsensionum, quas ad nostram usque aetatem fabula tulit, finem facio.

(12) *Hist. Philos.* Tomo I. pag. 523.

(13) Ad Vavassorem *de Lud. Dict.* pag. 33.

(14) *Ad* Lucianum Tomo I. pag. 184.

(15) In *Addendis* post Praef. ad Luciani Tom. I. pag. 33.

Sectio I. §. 3. Recentiores fabulae diffidentes.

§. III. *Judicia Recentiorum laudantur, qui Fabulam esse intellexerunt.*

Sunt revera, (fatemur enim) complures alii, communem opinionem secuti, illi quoque, qui *res Socraticas*, datâ operâ enarrantes (1), majori cum curâ atque etiam cautione singula testimonia et argumenta debuissent perpendere, quorum in numero non inelegantem *Socraticae Vitae* Scriptorem, CARPENTARIUM (2), illubentes censemus, et laboriosum *Historiae Philosophicae* Auctorem, JACOBUM BRUCKERUM. Hic tamen, quem mala Aristoxeni ac Porphyrii fides alias non latuit, subdubitans (3) addit: " Si *vera sunt*, ,, quae de Socratis conjugio Veteres perhibent." At enimvero ita agitur in rebus humanis; famae facile creditur, dummodo vulgaris illa sit et pervagata. Nec tamen semper desunt Viri, eruditione et acumine insignes, quorum labor in perspicientiâ veri solertiâque libenter versatur: Neque in nostrâ etiam defuerunt caussâ, etsi numero longe inferiores caeteris. IOANNEM PEARSONUM et RICHARDUM BENTLEJUM, egregium Anglorum par, jam supra memoravimus. Et ille quidem (4), dum in *Epistolis Socraticorum* fidem temporis violatam ostendit, atque adeo germanos non esse foetus eorum, qui illas scripsisse feruntur, luculenter probat, Epistolam pariter XXVII^mam ad censuram vocat, qua Aristippus filiam Areten monere fingitur, ut Athenas proficiscatur, et cum Myrtô ac Xanthippe sanctam vitam colat: " Quasi ,, (inquit PEARSONUS) tot annis post necem Socratis illae duae uxores in ,, eâdem domo viverent, et feminas Philosophice instituerent, cum Myrto, ,, *si unquam Socratis uxor fuerit,* ante ipsum mortua sit."

Mr. Charpentier. J. Bruckerus. Ioannes Pearsonus et Richardus Bentlejus.

(1) Inter hos, qui res Socraticas datâ operâ enarrarunt, certe non est Magnus VALCKENAERIUS, quamquam communem opinionem videtur sequi in *Adnot. ad Mem. Socr.* Lib. II. Cap. 2. §. 1. ed. Ern. Quid Vir perspicacissimus sensisset, si id egisset, ut quaestionem hanc nostram penitus exploraret, facile intelligitur ex iis, quae scripsit ad HERODOT. Lib. V. Cap. 39. " *Quidquid nonnulli nobis narrent, nusquam in Graeciâ florente licuit,* ,, *duas simul uxores habere.*" Sed diserte magis in nostram quoque sententiam inclinare videtur JAC. PERIZ. *ad* AEL. *V. Hist.* Lib. XIII. Cap. 10. uti et JACOBUS MORELLIUS, Venetus, ad LIBANII Declamationem *pro Socrate,* editam Venetiis anno 1785. pag. 219. ubi Xanthippen Socratis vocat *uxorem et quidem unicam;* quemadmodum et in iis, quae, secundum Diogenem Laertium, Aristoteles ait de tribus Socratis filiis ex geminâ uxore susceptis, par esse ait, *illi neque fidem prorsus adhibere, neque omnino denegare.*

(2) *La Vie de Socrate par Mr.* CHARPENTIER, pag. 25.

(3) *Hist. Phil.* Tomo I. pag. 528.

(4) In *Vindiciis Ignatianis*, Parte II. Cap. 1. (*Patr. Apost.* Tomo II. pag. 361.)

Sectio I. §. 3. Quod paucis verbis Episcopus Cestriensis, id pluribus egit Richardus Bentlejus, cujus de Phalarideis reliquisque Pseudonymorum Epistolis talis semper mihi visa est Dissertatio, ut nullum equidem scriptum noverim, quod tam brevi spatio tot egregia argumenta, tot observationes non nisi ab eximio Critico exspectandas complectatur. Singulas Bentleji rationes mox latius persecuturi, summam judicii, quod in nostrâ caussâ pronunciavit, hîc tantum adscribemus: " Quod me attinet (interprete (5) inquit, Lennepio) equidem ,, in sententiâ tam excellentium Virorum, Panaetii et Plutarchi, acquiescere ,, non dubito, et solâ eorum auctoritate epistolam hanc commentitiam pro-,, nunciare :" Et, post longiorem disputationem, haec denique addit: --- " Quocirca *calumniam* esse, suspicatus est Athenaeus, imprimis quum Aristophanes reliquique Comici, qui sales suos amaros abunde in Socratem effu-,, derunt, nunquam ei de uxore exprobraverint: sed, utcunque id est, de ,, Xenophontis subdolo animo quid existimandum? Equidem integris talium ,, Epistolarum plaustris carere, quam talem de tanto viro opinionem ha-,, bere, malo."

I. M. Gesnerus. Bentleji maxime vestigia secutus est Ioannes-Matthias Gesnerus, Vir Clarissimus, in Commentatione, quam Societati Göttingensi, ante hos quadraginta novem annos, praelegit, cuique *Socratis Sancti Paederastae* titulum fecit, mihi quidem minus probatum. Gesnerus vero, in ipsâ Dissertatione dubius aliquantisper haerens, et Hieronymo Rhodio plus tribuens quam oportuerat, neque perspiciens, quantum interesset inter ipsa Decreti verba, ab Hieronymo relata, facultatemque duas unâ habendi uxores legitimas, deinde tamen ad suam ipse sententiam sequentia adjecit (6).

" Sine ulla dubitatione subscriberem Viris doctis, [*Bentlejo* et *Hardionio*] ,, nisi provocaret Athenaeus ad Decretum, ab Hieronymo Rhodio conser-,, vatum, Aristotelis discipulo, Philosopho eodem et Historico. Sed, ,, cum hodie *ne conjecturae quidem via de illius ingenio ac fide super-,, sit;* cum quae pro libri, quem citat Athenaeus, vel ingenuitate, ,, vel νοθείᾳ, disputare, alicui in mentem venire possit, ejusdem, hoc ,, est, nullius momenti sint; illud de maritali Lege negare non ausim ,, equidem: *Socratem* vero *unius Xanthippae maritum fuisse,* priscorum ,, de Myrtô, Aristidis progenie, silentio, et Panaetio neganti, *creden-,, dum arbitror.*"

(5) Diss. *de Epist. Socr.* §. XIII. pag. 74. seqq. ed. Lennep.

(6) In notâ ad §. ult. d. Dissert. pag. 54. ed. Traject.

Alter denique est, qui Bentleji vestigia pressisse videri posset, nisi illius de magno Viro silentium, ignoratam ab eo crisin fuisse Bentlejanam, redderet credibile. Quidquid sit, eandem sententiam nonnullis iisdem, novis tamen etiam, argumentis stabilivit ac communivit tam praeclare, ut haud parum illi me debere profitear: Nam, quum ipse sponte meâ fundum Fabulae in Historiâ Atticâ reperisse mihi visus essem, adeo vir ille, eleganti eruditione insignis, me confirmavit dubitantemque erexit, ut jam nullus verear in publicum prodire, et quid verum certumque sit demonstrare. -- HARDIONIUS is est, praecipuus mihi in constituendâ hac controversiâ dux, jam antequam illius quoque indicium a Gesnero cognovissem. Anno nimirum 1730. in Academiâ Literarum Parisinâ, cujus erat Socius, *Observationes Criticas* praelegit (7) *Historicasque, in Chorum Andromachae Euripideae:* Atque ibi, propositum investigans, quo Euripides civibus suis in scenâ exhibuisset turbas domesticas in familiâ Neoptolemi inde natas, quod, post sociatam sibi pellicem Andromachen, Hermionen insuper, uxorem legitimam, duxisset domum, perite ostendit, nullam unquam Legem Athenis fuisse conditam, ut geminam conjugem, quae legitima foret, uno tempore quis haberet, falsaque adeo esse, quae, hoc Decreto male intellecto subnixa, de Socrate, duas simul uxores habente, vulgo narrari soleant. Argumenta, quibus usus est, deinceps a nobis ita recensebuntur, ut debita laus maneat ingenio atque industriae Viri docti et intelligentis, cujus si Dissertationem cognovisset eruditus *Diatribes de Aristoxeno* Scriptor, operâ, quam disceptandae huic controversiae impendit, facile potuisset supersedere. Nos vero, dum Bentleji et Hardionii rationes latius explicamus, id nobis praecipue vindicabimus, ut, producto ante omnium oculos Fragmento Libelli περὶ Εὐγενείας, quod, corruptum uti apud STOBAEUM erat, caeteros, qui hanc nostram attigerunt quaestionem, latuerat adhuc, tum expositâ caussâ atque origine Decreti, cujus verba in medium adferuntur, innocentiam Socratis a turpissimo διγαμίας crimine, quae incerta ad hanc usque diem fuerat et dubia, in clarissimâ et apertissimâ luce collocemus.

SECTIO I. §. 3.

HARDIONIUS.

(7) *Mémoires de l'Acad. des Inscr.* Tomo VIII. pag. 276. Hardionii, nondum editâ licet Dissertatione, auctoritatem tamen adhibet ROLLIN *Hist. Ancienne* Tomo IV. pag. 292. ipse breviter demonstrans, duplex Socratis matrimonium et Legem de licitâ διγαμίᾳ Atticam facta esse commentitia et falsa. BARTHELEMIUS in *Anacharsi*, quum vitam ac Philosophiam Socraticam Cap. LXVII. eleganter enarrat, rem controversam silentio, uti solet, evitavit.

Sectio I.
§. 4.
Auctoritates testium convelluntur.

§. IV. *Auctoritates Testium, quibus Fabula probatur, incertae interque se contrariae demonstrantur.*

In omni accusatione primum est, ut fidem atque auctoritatem Testium exploremus, et quis sit Testimoniorum inter se consensus, quod dissidium, quae pugna, perpendamus; deinceps, priore hoc examine instituto, ut videamus, an asseveratio Testium, in caussâ dubiâ, tum silentio aliorum elevetur, tum universâ illius, quem onerant, vitâ, moribus, scriptis refellatur; uno verbo, an praecedentia, adjuncta, et consequentia ejusmodi sint, ut judicis animus certâ satis probabilitate contra reum percutiatur; denique, an testificatio, qualiscunque illa sit, crimen probet, factaque, quae pro certis haberi possint, ejusmodi sint, ut culpam admissam in se contineant, et re ipsâ demonstrent.

Igitur dispiciendum primo esset, qui qualesque sint, quorum fidem in arguendo Socrate Veteres Recentioresque sequuntur: Verum, quum hoc argumentum conjunctum sit cum exceptione doli et calumniae, qua contra eosdem illos Fabulae auctores ita sumus usuri, ut pro accusatoribus rei evadant fraudisque crimine convincantur, omissâ paulisper hac defensionis nostrae parte, in praesenti planum faciemus, quam ipsi inter se testimoniis dissideant et auctoritatibus.

Ac primum quidem, si quaeramus, quis demum, Socrati aetate aequalis ejusve tempora attingens, *διγαμίαν* illius memoraverit, ARISTOTELES ab omnibus auctor memorabitur, vel is saltem, qui sub Philosophi Stagiritae nomine Libellum DE NOBILITATE conscripsit: Qua in re equidem animadversione haud indignum censeo, tale accusationis esse initium, qualis totius caussae tenor, ut scilicet, quae accusatio nullâ probabilitate se commendet, quin contra totius Antiquitatis mores peccet atque leges, teste haec nitatur illo Scriptore, qui an is vere sit, quem se esse ferat, an personatus aliquis Planus et Impostor, nesciamus. --- Quis talem, in caussâ hominis privati etiam minimâ, testem admittat, qui cujas sit, et an vero nomine productus, an sub ementitâ personâ latens, adfirmare non sustineas? --- Quod si Libelli *περὶ Εὐγενείας* parens Aristoteles non fuerit, sed, mendaci titulo emtores sibi aut lectores quaerens, Scriptor aliquis de vulgo, cujus ne aetatem quidem definire queant Fabulae patroni, quae demum illius est auctoritas, quae fides? -- sed huic reprobationi Testis incerti mox validius insistemus. Fuerit vero Libelli parens Aristoteles, nec ne, altera mox quaestio existit, illumne,

ut principem in hac caussâ Auctorem, omnes illi ex Veteribus advocent, qui *Socratem duas eodem tempore habuisse uxores* prodiderunt: Quippe, si id certum esset atque indubitatum, haberent saltem, quo famam suam fidemque tuerentur. Atqui hac etiam parte, quae tamen testificationis primaria esse debet et velut fundamentum, discordes inter se et contrarii reperiuntur: Nam DIOGENES LAERTIUS diserte scribit, " Aristotelem non fuisse inter eos, qui ,, *duas eodem tempore uxores Socratem habuisse* tradiderunt, sed priori ,, matrimonio Xanthippen duxisse domum, secundis dein nuptiis Myrtô Aristi- ,, dis filiam." *Φησὶ δ' Ἀριστοτέλης δύο γυναῖκας αὐτὸν ἀγαγέσθαι, προτέραν μὲν Ξανθίππην, — δευτέραν δὲ Μυρτώ· — ἔνιοι δὲ καὶ ἀμφοτέρας ἔχειν ὁμοῦ.* -- Igitur Diogenes Aristotelem culpae hujus absolvit. Neque Athenaeus Laertio diserte contrarius est, etiamsi haec inter eos pugna dictorum fidem convelleret magis quam confirmaret: Sed reliquis *occasionem* Athenaeus dixit dedisse Aristotelem, seu *ansam praebuisse* et *initium*, unde narrationem porro contexerent atque propagarent: *Οἷς τὸ ἐνδόσιμον Ἀριστοτέλης ἔδωκεν, ἱστορῶν τοῦτο ἐν τῷ Περὶ εὐγενείας·* Nam *ἐνδόσιμον διδόναι*, ut vere scribit in *Thesauro* (1) HENRICUS STEPHANUS, primâ significatione est *occasionem dare alicujus rei velut in manus traditam* seu *ansam*: Convenitque ferme cum alterâ phrasi *ἀφορμὴν διδόναι*. -- Jam autem, qui *ἐνδόσιμον*, *ἀφορμὴν*, vel *ansam* dat narrationi alicui, non is *eam ipse refert*, sed velut semina praebet, unde mox narratio succrescat, aut stamen subjicit, cui sub-

SECTIO I. §. 4.

(1) Tomo I. col. 996. -- Locutionis ratio haud melius intelligitur quam ex DIOGENE LAERTIO, Lib. VI. segm. 35. ubi Diogenes Cynicus de se ipso refertur dixisse, se *chori magistros imitari, qui tonum ultra modum intenderent*, seu *a majori tono concentum inciperent, ut sic reliqui tonum, qui conveniret, melius caperent aut assequerentur.* *Μιμεῖσθαι ἔλεγε τοὺς χοροδιδασκάλους· καὶ γὰρ ἐκείνους ὑπὲρ τόνον ἐνδιδόναι, ἕνεκα τοῦ τοὺς λοιποὺς ἅψασθαι τοῦ προσήκοντος τόνου.* Locum adfert TH. GATAKERUS *Adv. Misc. Posth.* Cap. 19. col. 635. ubi more suo, id est, exquisitâ doctrinae copiâ docet, *ἐνδιδόναι* (quod alias *remittere* significat,) vel *ἐνδόσιμον ᾄδειν*, saepe notare *canticum exordiri*, atque hinc *ἐνδόσιμον* in Musicis esse *exordium* sive *suscitabulum*. Recte adeo, Gatakerum secutus, MAHNIUS pag. 79. *ἐνδόσιμον τινὶ διδόναι* dictionem ait translatam a *Musices arte*, de magistro qui signum dat; hinc deinde ad alia transferri et *incitandi vim* habere. Praeter notata ad *M. Anton.* Lib. XI. §. 20. pag. 336. et 337. A. vid. quae idem Gatakerus collegit de *τῷ ἀνακλητικῷ* ad Lib. III. §. 5. ubi illud componit ad *τὸ ἐνδόσιμον*. Hujus vocis vis et elegantia pluribus adhibita est, PLUTARCHO inter alios, Tomo II. pag. 704. E. *αὐτὸς ὁ Καλλίστρατος ὥσπερ ἐνδόσιμον παρέσχε, τοιαῦτά τινα διαλεχθείς.* CLEM. ALEX. *quis dives salv.* Tomo II. Opp. pag. 939. 20. *κληθεὶς δὲ ἀγαθὸς, ἀπ' αὐτοῦ πρώτου τοῦ ῥήματος τούτου τὸ ἐνδόσιμον λαβὼν, ἐντεῦθεν καὶ τῆς διδασκαλίας ἄρχεται.* LUCIANUS Tomo II. pag. 226. *ἐκεῖθεν οὖν τὸ ἐνδόσιμον λαβὼν ὁ Ἀλέξανδρος προλέγει πᾶσι τοῖς ἀφικομένοις, ὡς μαντεύσεται ὁ θεὸς, ῥητήν τινα ἡμέραν προειπών.*

SECTIO I. §. 4. teminis fila inserant juniores. Illa Athenaeo cive potius, quem auctorem secutus est, sententia et esse debuit et fuit: Etenim, (quo magis ista observatio hoc loco facienda est,) in Libello *de Nobilitate* talia, seu ab Aristotele, seu ab alio, Aristotelem mentito, scripta reperiebantur, quae si quis male intelligeret aut explicaret, re verà videri poterant Fabulae *ἐνδόσιμον δεδωκέναι*, neutiquam autem ipsam posteris Fabulam prodidisse, uti deinceps ostendemus.

Solus restat igitur Plutarchus, secundum quem ipse Aristoteles, seu quisquis Scriptor fuerit *τοῦ περὶ Εὐγενείας βιβλίου*, retulerit Myrtô Aristidis neptem cum sapiente Socrate consuevisse, aliam licet uxorem habente; illam vero domi suae ab ipso receptam, cum vidua esset paupercula, et quae rebus ad vitam necessariis indigeret. — *Δημήτριος δ᾽ ὁ Φαληρεὺς, καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος, καὶ Ἀριστόξενος ὁ Μουσικὸς, καὶ Ἀριστοτέλης, εἰ δὴ τὸ περὶ Εὐγενείας βιβλίον ἐν τοῖς γνησίοις Ἀριστοτέλους θετέον, ἱστοροῦσι, Μυρτὼ θυγατριδῆν Ἀριστείδου Σωκράτει τῷ σοφῷ συνοικῆσαι, γυναῖκα μὲν ἑτέραν ἔχοντι, ταύτην δ᾽ ἀναλαβόντι χηρεύουσαν διὰ πενίαν καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεομένην.* — Atque hic iterum vide, quam parum Plutarcho cum reliquis conveniat: Neque enim *geminum* eodem tempore Socrati *torum* scribit fuisse domi, neque Philosophum *justis nuptiis* Myrtô *duxisse*, sed tantum *illam cum Socrate habitasse*, sive ista *συνοίκησις* simpliciter referenda sit ad *victum* atque *cultum*, quos suo sub tecto, paupertatis misericordiâ commotus, illustri feminae Socrates suppeditaverit, sive usitato *consuescendi* sensu verbum *συνοικεῖν* sit accipiendum, quod verbum, etsi *matrimonium* quoque *legitimum* saepius significat, aeque tamen proprie de *nuptiis minus justis* seu de *contubernio feminae* frequentatum (2) reperitur. Idcirco Plutarchus *τὸ βιβλίον περὶ Εὐγενείας*

(2) Negari nequit *συνοικεῖν* frequenter de *matrimonio* adhiberi, etiam apud Scriptores vetustissimos; e. gr. apud HERODOT. Lib. I. Cap. 93. ubi Lydorum puellae, corpore quaestum facientes, dotem sibi inde colligere dicuntur, *συλλέγουσαί σφισι φερνὰς, ἐς ὃ ἂν συνοικήσουσι τοῦτο ποιέουσαι*, *usque dum nuptiarum conditionem inveniant, id facientes.* Quapropter POLLUX Onomast. Lib. III. Segm. 44. *ὁ δὲ γάμος καλοῖτ᾽ ἂν καὶ συνδυασμὸς καὶ σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς, καὶ συνοίκησις, καὶ γαμέτης μὲν ὁ γήμας, — καὶ ὁ συνοικῶν, — ἡ δὲ νύμφη, — γαμετὴ, καὶ γυνὴ, καὶ συνοικοῦσα.* Vid. AEG. MENAG. ad *Diog. Laert.* Lib. I. segm. 56. Quandoquidem vero *συνοικεῖν*, ex ipsà verbi origine, aliquando etiam simpliciter refertur ad *habitationem eodem in loco* sive *sub eodem tecto*, unde locutiones metaphoricae et poëticae *ἀμαθίᾳ συνοικεῖν, ὀδύνῃ, πενίᾳ συνοικεῖν*, (vid. ABRESCH. *Dilucid. Thucyd.* pag. 211.) hinc haud raro dubium est, quae significatio huic aut illi loco sit tribuenda. E. gr. ad *habitationem* sive *domicilium*, magis quam ad *conjugium*, referam EURIP. *Androm.* v. 18.

——— *ἵν᾽ ἡ θαλάσσια*
Πηλεῖ ξυνῴκει χωρὶς ἀνθρώπων Θέτις,
Φεύγουσ᾽ ὅμιλον.

Sed,

Εὐγενείας testem non laudavit, quo *duas unâ uxores* Socrati fuisse constet: Et vero, si laudasset, Libellum a Plutarcho inspectum fuisse negarem, multaeque lectionis virum malâ aliorum fide deceptum crederem, quandoquidem ille saltem scriptoris *de Nobilitate* locus, ad nostram usque aetatem servatus, in quo Myrto a Socrate ducta memoratur, in aliam plane sententiam est accipiendus. Sed, Diogene Laërtio atque Athenaeo sagacior doctiorque, Plutarchus de vero Libelli Auctore dubitavit jure optimo, ac Panaetium libentius secutus est, qui istam personati dubiique Scriptoris et Aristoxeni, haud minus quam Demetrii Phalérei (si hujus aliquod fuit illâ in caussâ testimonium) atque Hieronymi Rhodii, auctoritatem lubricam, fallacem, quin omnino falsam esse et calumniae adfinem probaverat. SECTIO I. §. 4.

Primi Fabulae auctores. Nusquam ergo apparet, Aristotelem διγαμίας Socraticae fuisse testem. Videamus, quid porro de primis illius rumoris auctoribus scripserint Plutarchus, Diogenes Laërtius, et Athenaeus: Et posteriores quidem duo Satyrum Peripateticum atque Hieronymum Rhodium sic nominant, ut nullum dubium sit, quin egregium hoc impostorum Peripateticorum par veritatem Fabulae strenue adseruerint ac defenderint, ita ut, quum horum alter ad incitas esset redactus ab iis, qui duplices Athenis nuptias unquam licitas vere negarent, hominem non puduerit Decretum proferre, quo ista venia ab Atheniensibus fuerit data, propter paucitatem civium scilicet, quos inter Bellum pestisque maximas ediderant strages. Praeter Hieronymum Rhodium Plutarchus testes quoque citat Demetrium Phaléreum et Aristoxenum, me-

Sed, universe, si de *viro* ac *feminâ* sermo sit, potius est, ut ad *consuetudinem* referatur, qua de re pluribus egit Tho. Gatakerus *de St. N. Test.* Cap. XI. Tomo I. Opp. col. 75. ita tamen ut magis ad ipsam συνουσίαν ἀφροδισίαν quam ad *jus* hujus consuetudinis respiciatur: Quare et in Legibus Atticis, de quibus agunt Gatakerus et Menagius, ἐαν ἡ ξένη τῷ ἀστῷ συνοικῇ, et vicissim ἐὰν ξένος ἀστῇ συνοικῇ, eo minus de *legitimo matrimonio* agitur, quod illas inter personas nullum erat jus connubii: Quemadmodum Lysias idem verbum συνοικεῖν, quin et γῆμαι, usurpavit de turpissimis duorum virorum, Alcibiadis et Axiochi, cum unâ eâdemque puellâ, eodem tempore, communibus nuptiis, si tam libidinosa consortia nuptiae sint dicendae: Fragmentum Lysiae exstat apud Athenaeum Lib. XII. pag. 535. A. ubi, cum pro unâ muliere duas Librarii effinxissent, Μεδοντίδα τὴν Ἀβυδηνὴν καὶ Ξυνωκεί-πην, istam portenti similem Xynoccipen Io. Taylorus *in Fragm. Lysiae* pag. 620. et Frid. Ludov. Abreschius *Dilucid. Thucyd.* pag. 575. verbo ξυνοικεῖν reddiderunt hoc pacto: Ἐκπλεύσαντες γὰρ κοινῇ Ἀξίοχος καὶ Ἀλκιβιάδης εἰς Ἑλλήσποντον ἔγημαν ἐν Ἀβύδῳ δύο ὄντε Μεδοντιάδα (vel potius Μεδοντίδα, uti apud eundem Athenaeum pag. 574. E) τὴν Ἀβυδηνὴν καὶ ξυνῳκείτην. Apud Diod. Sic. Lib. XII. Cap. 18. Lex est Charondae: Ἐξέστω τῇ γυναικὶ ἀπολύειν τὸν ἄνδρα καὶ συνοικεῖν ᾧ ἂν βούληται.

Sectio I. §. 4. moratos pariter Athenaeo, cui locum Plutarchi fuisse obversatum, non unum est indicium, id etiam quod Callisthenis nomen, aberrante oculo, dum Plutarchum legeret, ex propinquo arripuerit, et cum reliquis testem fecerit ejus rei, de qua Callisthenem quidpiam memoriae prodidisse caeteris plane est indictum; indictum autem non fuisset, si cum aliis Sectae suae Philosophis in istam narrationem Callisthenes consensisset: Quapropter, quum conjectura haec MAHNIANA (3) admodum probabilis et tantum non certa mihi videatur, Callisthenem, quando reliquorum testium fides ad examen vocabitur, silentio praeteribimus, et quodcunque hac in parte peccatum est, illius calumniae primum et praecipuum auctorem Ἀριστόξενον τὸν Μουσικὸν ex Cyrillo et Theodoreto Cyrensi monstrabimus, quippe qui Porphyrium, quem ipsi sequuntur, non alio nisi Aristoxeno auctore usum, planissime testentur.

§. 5. *Dissensus Auctorum exponitur.*

§. V. *Dissensus Auctorum in ipsâ re narrandâ exponitur.*

Uti autem in hac nostrâ caussâ nihil minus certum est et sine dubio, quam Aristotelis auctoritas, qua tamen maxime nituntur recentiores Fabulae Patroni, sic in ipso facto referendo contrarie scripta et discordia reperiuntur omnia: Nam primum, quando hic legitimum utriusque feminae eodem tempore fuisse matrimonium contendit, alter unam post alterius mortem ductam adfirmat: Alter deinceps posteriorem non justae uxoris sed pellicis loco fuisse tradit, illamque pellicem hic Myrtò vocat, ille Xanthippen. Legitimum contra utriusque eodem tempore fuisse conjugium, Hieronymus Rhodius sic adseveravit, ut Atheniensium, quo id licuerit, scilicet! protulerit Decretum. — Aristoteles, seu περὶ Εὐγενείας Scriptor, unam, alterâ mortuâ, Socrati demum nupsisse, secundum Diogenem Laërtium, testis est: Alteram justam conjugem, alteram pellicem fuisse, ad posteros propagavit Aristoxenus et, Aristoxeno auctore, Porphyrius; ita quidem ut Myrto legitima conjux, Xanthippe clandestina pellex fuerit et velut concubina; --- *δύο δὲ σχεῖν γυναῖκας ἅμα, Ξανθίππην μὲν πολῖτιν, καὶ κοινοτέραν πως, Μυρτὼ δὲ Ἀριστείδου θυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου· Καὶ τὴν μὲν Ξανθίππην περιπλακεῖσαν (4) λαβεῖν, — τὴν δὲ Μυρτὼ γάμῳ.* —

(3) *Diatribes de Aristoxeno*, pag. 86.

(4) Cum apud Theodoretum pro istâ lectione, quam Cyrillus habet, legatur προσπλακεῖσαν λαβεῖν, I. M. GESNERUS in *Sancto Paeder.* §. 41. existimat, diversa et hunc et illum tradidisse: Mihi quidem nullum est dubium, quin posterius ex priori corruptum et Theodoretus ex Cyrillo sit corrigendus.

Jam autem quae, malum! *περιπλακεῖσα* poterat *λαθεῖν*, nisi *pellex* aut *concubina*, ita ut, qui ex Lege geminum domi torum habere Satyro Peripatetico et Hieronymo Rhodio videbatur, jam adulter fuerit et clam amaverit? — Aristoxenus porro, si ulla Porphyrio est fides, pellicatûs crimen Xanthippae tribuit, *ἡ περιπλακεῖσα ἔλαθε*, dum Myrto justis nuptiis materfamilias erat, *ἡ δὲ Μυρτὼ γάμῳ*. -- Alii vero, referente Plutarcho, scripserunt, Xanthippen Socrati legitimam lecti sociam jam tunc fuisse, cum pauperculam Myrtûm, misericordiâ ductus, domi reciperet suae, vel priori succidaneam adjungeret aut vicariam: — *ἱςοροῦσι, Μυρτὼ θυγατριδῆν Ἀριςείδου Σωκράτει τῷ σοφῷ συνοικῆσαι, γυναῖκα μὲν ἑτέραν ἔχοντι, ταύτην δ' ἀναλαβόντι χηρεύουσαν διὰ πενίαν καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεομένην.* — Neque minus, qui ambas legitimo matrimonio ductas putarunt, sententiis inter se discrepaverunt: Nam Aristoteles, auctore Diogene Laërtio, retulit *δύο γυναῖκας αὐτὸν ἀγαγέσθαι, προτέραν μὲν Ξανθίππην, — δευτέραν δὲ Μυρτὼ, τὴν Ἀριςείδου τοῦ Δικαίου θυγατέρα, ἣν καὶ ἄπροικον λαβεῖν.* — Addit vero Laërtius: --- *οἱ δὲ προτέραν γῆμαι τὴν Μυρτὼ φασί.* --- Posterior haec quidem sententia, Myrtò primis nuptiis a Socrate juniore sine dote ductam, post illius e vitâ decessum sine liberis alteram a Philosopho, aetate jam provectiori, legitimo matrimonio sibi junctam Xanthippen, ex eâque tres filios susceptos, --- haec, inquam, sententia unice probanda nobis videtur. Sin autem vere scripserint Aristoxenus caeterique, Sophroniscum ac Menexenum Socrati ex Myrtone natos fuisse, sententia illa hoc habet incommodi, ut Lamprocles, quamvis prior natu, secundis nuptiis genitus; juniores vero, quique, cum pater cicutam biberet, infantes adhuc erant, Sophroniscus ac Menexenus, priore fuerint matrimonio prognati: Etenim, Lamproclem Xanthippae filium fuisse, nimis perspicuo constabat XENOPHONTIS (5) testimonio, quam ut in dubium id vocari posset. In hac igitur pugnâ, et ne secundi matrimonii proles major natu esset liberis ex priore genitis, quo nihil absurdius poterat cogitari, necesse habuit Aristoxenus, cum reliquis illum secutis, filiam vel neptem Aristidis secundam Philosopho conjugem tribuere, quamvis Xanthippen marito, in carcere cum esset, ultimum dixisse vale, et tanquam justam conjugem cum liberis adfuisse, ex PLATONIS *Phaedone* esset pervulgatum.

SECTIO I. §. 5.

Neque ista Aristoxenum inter et reliquos discrepantia alios ante me effugit, qui de totâ hac caussâ dubitarunt, GESNERUM (6) praesertim, summumque, qui Gesnero facem praetulit, RICHARDUM BENTLEJUM (7), quo nemo

R. Bentleji et I. M. Gesneri. sententia.

(5) *Mem. Socr.* Lib. II. pag. 431. 30. ed. Steph. (Cap. 2. ed. Ernest.)

(6) Dissert. *de Socrate sancto Paederastâ*, §§. 41. 42.

(7) d. l. pag. 74.

SECTIO I. §. 5. brevius et acutius omnes has discordias unâ velut tabellâ complexus est aut complecti queat, ne omisso quidem illo, quem hactenus non memoravimus, dissensu, ut alius Myrtô Aristidis filiam fuisse velit, neptem alius, alius proneptem. Post Bentlejum idem argumentum plenius exposuit MAHNIUS (8), non tamen sine insigni errore aliquo. Nimirum, si Diogeni Laërtio, quem Suidas sequitur, fides est, Aristoteles scripsit, *alteram a Socrate uxorem ductam Myrtô, Aristidis Justi filiam:* Sed, auctore Plutarcho, " praeter Aristotelem in Libello *de* ,, *Nobilitate*, (si hic Libellus inter germanos Aristotelis foetus numerandus est,) ,, tradiderunt Demetrius Phalereus, Hieronymus Rhodius, et Aristoxenus Musi- ,, cus, *Myrtô, Aristidis ex filiâ neptem, cum sapiente Socrate habitasse,* ,, *alteram quidem habente uxorem, sed qui illam viduam domi receperit* ,, *propter paupertatem, et quod rebus ad vitam necessariis indigeret.*" Ac revera, quantum quidem ad Aristoxenum attinet, sua Plutarcho non dubia constat fides; ex Porphyrii enim Libro, quem adhibuerunt Cyrillus, Theodoretus Cyrensis, et Hieronymus Stridonensis, manifesta est ARISTOXENI narratio de Socrate, qui, *praeter Xanthippen, alteram simul tori sociam ha-*

(8) Ait enim Scriptor *Diatribes de Aristoxeno* §. XXII. pag. 86. « Porphyrium, qui auctorem ,, hujus narrationis fert Aristoxenum, *adsentiri* sententiae Diogenis Laërtii et Suidae, qui ,, Myrtonem Ἀριστείδου τοῦ Δικαίου θυγατέρα dixerunt:" Sed Porphyrius ex Aristoxeno, tum apud Cyrillum, tum apud Theodoretum, Μυρτώ, dixit, Ἀριστείδου θυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου, quae verba Mahnius paulo ante ipse retulerat. Anne igitur θυγάτηρ et θυγατριδῆ Mahnio idem valent? Equidem θυγατριδῆν intellexerim *neptem ex filiâ:* Tantumque adeo abest, ut Porphyrius sententiae Diogenis Laërtii et Suidae *adsentiatur,* ut contra iisdem verbis usus sit, quibus ab illis dissentiens Plutarchus: Μυρτώ, inquit hic, θυγατριδῆν Ἀριστείδου Σωκράτει τῷ σοφῷ συνοικῆσαι. Irrita igitur sunt, quaecunque deinceps Mahnius ratiocinatur, quasi Aristoxenus scripserit, *Myrtonem fuisse Aristidis filiam* (quod nunquam scripsit profecto, neque scripsisse fertur. Irrita pariter Mahniana suspicio, Porphyrium scriptum reliquisse, Μυρτὼ δὲ Λυσιμάχου, θυγατριδῆν τοῦ Ἀριστείδου, quasi Myrto neptis fuerit Aristidis *ex filio* Lysimacho. « More enim Graecorum (inquit Mahnius) saepe ,, accipiebat nepos avitum nomen, qui mos etiam in familiâ Aristidis valuit, quippe ipsius ,, et pater et filius vocabantur Lysimachus." Res notissima, uti Sophroniscus Socratis vocabatur et pater et filiorum unus. At vero, Aristidis *ex filio* Lysimacho neptis, an illa ejus erat θυγατριδῆ? Tum certe, si vera conjecisset Mahnius, Myrto υἱωνὴ τοῦ Ἀριστείδου vel Attice υἱιδῆ fuerat dicenda. POLLUX consulatur Onomast. Lib. III. §. 17. ἡ δὲ υἱοῦ θυγάτηρ, υἱιδῆ, — ὥσπερ ἡ τῆς θυγατρὸς θυγάτηρ, θυγατριδῆ. — Vid. PIERSON ad *Moer. Att.* pag. 379. THOM. MAG. pag. 850. Inversa scilicet vocum collocatio obfuit, ne Aristoxenum sive Porphyrium Mahnius intelligeret. Μυρτὼ δὲ Ἀριστείδου θυγατριδῆν, τοῦ Λυσιμάχου. Sed istiusmodi inversionum pleni sunt Veterum libri, qui et nonnullam in eâ elegantiam quaesivisse videntur.

buerit Myrtò, *Aristidis*, *qui Lysimachi erat filius*, [seu *Justi*,] *ex filiâ neptem*. Quum tamen antiquior et pervulgata magis sententia esset, Myrtò Aristidis fuisse *filiam*, non *ex filiâ neptem*, neque vero temporum id rationem sinere putarent, quandoquidem Aristides Socratem aetate nimium antecedebat, quam ut hic ex illius filiâ liberos suscipere potuisset, dubium injectum est, quod ut solverent nonnulli (quos sequitur Athenaeus) Myrtò Aristidis quidem dixerunt *filiam*, sed illius Aristidis, qui *τοῦ Δικαίου* erat nepos. -- Quid mihi videatur, paucis habe. SECTIO I. §. 5.

Nostra opinio.

Aristoteles seu potius Auctor *περὶ τῆς Εὐγενείας* vere scripserat, *Σωκράτην διὰ τὴν Ἀριστείδου ἀρετὴν τὴν θυγατέρα αὐτοῦ γεγαμηκέναι*. Et, ne dubitemus, verba etiamnum reperiuntur in Fragmento ipsiusmet Libelli, quod nobis STOBAEUS feliciter servavit. Hunc Libellum Diogenes Laërtius secutus est, et (quantum quidem ad succedentes alteras alteris nuptias) fide optimâ: Nam, tametsi judicium *καὶ κριτικήν τινα δύναμιν*, magis quam diligentiam, huic Historiae Philosophicae auctori defuisse, Casaubono haud illubentior adsentiar quam Mahnius, majorem tamen illius, praesenti quidem documento, quam Aristoxeni, Satyri, Hieronymi Rhodii, atque Porphyrii fidem fuisse reperio. *Κριτικὴ* vero *δύναμις*, nostrâ in caussâ, eatenus ipsi defuit, quod (praeter illa, quae de liberis ex utrâvis uxore natis temere addidit,) Aristotelem simpliciter testem laudaverit, qui Libelli *περὶ Εὐγενείας* Scriptor, *Aristoteles an alius*, erat vocandus, uti diligentior et magis perspicax fecit Plutarchus. Sed Laërtio, scilicet, acutiores, quos modo dicebamus, Peripatetici facile intellexerunt, quam sibi temporum obstarent rationes, si ex *filiâ* Aristidis susceptos Socrati dicerent Sophroniscum et Menexenum, qui, cum pater, ultra septuagesimum aetatis annum provectus, cicutam biberet, infantiam vix dum erant egressi. Igitur, quam Scriptor *περὶ Εὐγενείας* planissime perhibuerat *Ἀριστείδου θυγατέρα*, illi, in re minimâ fidem neglexisse a Philosophi personâ haud alienum existimantes, dummodo caussae ipsi suae inservirent, *θυγατριδῆν* appellarunt, quamvis Aristotelis auctoritate unice se tuerentur, Libellumque *de Nobilitate* prae oculis haberent. Ita quippe noverant in rebus humanis fieri solere, ut, auctoribus adscriptis, etiam non inspectis, facile credatur. Quemadmodum autem Diogenes Laërtius Libelli verba fideliter erat secutus, sic Athenaeo etiam haud incognitum fuisse videtur, Myrtò ibi dici Aristidis *θυγατέρα*, non *θυγατριδῆν*. Quum vero temporum rationi, si quidem liberos illa Socrati peperisset, id minime congrueret, (*οἱ χρόνοι γὰρ οὐ συγχωροῦσι*,) cum Aristoxeno quidem aut Hieronymo Rhodio non fecit Athenaeus: Sed, in dubio haerenti, eo ipsi deveniendum fuit, ut hunc Aristidem, cujus Myrto filia

Sectio I. §. 5. erat, non antiquam illum Δίκαιον existimaret, verum juniorem aliquem priorisque nepotem, parum memori difficultatum, quibus et ista sententia, magis etiam quam altera, quam repudiabat, perspicue implicaretur. — Idcirco, si ex tot testimoniis atque auctoritatibus inter se pugnantibus ac contrariis, nonnullis etiam aperte contortis, falsis, et mendacibus, conficiamus, discrepantibus inter se et contraria adseverantibus testibus non credendum, nihil nobis vindicasse videbimur, quod sine injuriâ possit negari.

§. 6. *Testimonia Adversariorum infirmantur.*

§. VI. *Adseveratio Testium, Peripateticorum inprimis, variis praeterea argumentis, aliunde petitis, infirmatur et eliditur.*

Postquam quod dissidium, quae sit pugna inter testes de διγαμίᾳ Socratis, pluribus et pro rei dignitate ostendimus, proximum est, ut videamus, an praecedentia, adjuncta, et consequentia ejusmodi sint, ut probabili aliquâ reus conjecturâ oneretur, an vero talia, ut, argumentis ex scriptis, moribus, vitâque illius petitis, crimen aut elevetur aut etiam refellatur. Quod dum agimus, unâ operâ Euripidem a societate liberabimus ejusdem flagitii ac dedecoris, in quam parum fida Gellii memoria castissimum Tragicum pertraxisse videtur. Et sane, ad Ciceronem haud injuriâ scripserit licet Cornelius Nepos, referente Lactantio (1), *magnam partem eorum, qui in scholâ de pudore et continentiâ praecipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere*, tamen mihi persuasissimum est, id nec de Socrate, nec de Euripide, in scenâ Philosopho, jure dici potuisse.

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης,
Ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος·

Socratis et Euripidis sapientia. Quod seu vere datum ab Apolline fuerit oraculum, seu ab amicis Socratis (2) ac discipulis confictum, dubium tamen nemini est, qui iniquo Socratis odio non ducatur, quin sapientiae famâ seu arte vitae recte agendae inter cives suos et per universam Graeciam fuerit celebratus. Euripidem autem, cujus tot testimonia Cicero numerabat quot versus, quis σοφὸν negaverit, sive *ita moratum, ita animo et vitâ constitutum, ut ratio* (3) *postulat:* Cujus si quis superstites etiamnum Tragoedias legerit, tanquam illius, *qui in iis*,

(1) *Div. Inst.* Lib. III. Cap. 15. §. 10.

(2) Vid. Bruckeri *Hist. Philos.* Tomo I. pag. 534.

(3) Cic. *Tusc. Quaest.* Lib. II. Cap. 4.

quae a sapientibus tradita sunt, (4) *paene ipsis par erat*, nae is, ut omnium virtutum, sic castitatis quoque et continentiae praecepta ad intimas sibi sentiet medullas penetrasse, lubensque cum optimo Tragico votum faciet: *Sectio I. §. 6.*

Οἱ (5) δ' εἰς τὸ σῶφρον ἐπ' ἀρετήν τ' ἄγων Ἔρως
Ζηλωτὸς ἀνθρώποισιν, ὧν εἴην ἐγώ!

Calumniis itaque suis Euripidem, idem qui Socratem, Hieronymus Rhodius (6) appetat, ingenio frui Peripateticum suo sinemus, et

— τὸν σκοτίης Κύπριδος ἀλλότριον

talem fuisse opinabimur, qui non in Tragoediis tantum castus videri, sed et in cubili esse voluerit (7). Quin, si aliqua parte Euripidem peccasse fateamur, illud certe erit, quod impotentiam artesque feminarum, maritorum sub duro conjugis imperio miserias, *dotemque uxoriam lites*, nimis saepe in scenam induxerit, atque in Medeâ, Hippolyto, Melanippe, Oedipo, aliisque Dramatibus, omnem in mulieribus insectandis modum excesserit μισογύνης, cui erat: *Euripidis de matrimonio sententia.*

Ἄλγιστον — θῆλυ μισηθὲν γένος (8);
Ἄλλων τε πάντων δυσμαχώτατον γυνή (9)·

ita ut seu filiorum Melanippes unum, seu quemvis alium, impia facientem vota fingeret, dicentemque (10),

Πλὴν τῆς τεκούσης θῆλυ πᾶν μισῶ γένος.

Atque is, qui sic de universo sentiebat genere feminarum, duas domum duxisset uxores, scilicet! ut miserias sibi et sollicitudines duplicaret; — is, cui vel unum et simplex matrimonium *magna tyrannis* videbatur;

Μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή (11)·

(4) Quinctilian. I. O. Lib. X. Cap. 1.
(5) Inter *Fragm.* Euripid. *ex Oedipo* N°. XV.
(6) Apud Athenaeum Lib. XIII. pag. 604. d.
(7) Vide Barnesium *in Vitâ Euripidis* §. XXIV.
(8) *Melanippe* Fragm. XXVI.
(9) *Oedipo* Fragm. X.
(10) *Melanippe* Fragm. XI.
(11) *Oedipo* Fragm. IX.

SECTIO I. §. 6. — is; qui maritos, infaustis nuptiis, ipsâ quoque vitâ periclitari monens; *γαμεῖτε ingeminaverat* (in re tragicâ tragico verbo uti liceat,)

> *Γαμεῖτε νῦν, γαμεῖτε, κᾆτα θνήσκετε*
> *Ἢ φαρμάκοισιν ἐκ γυναικὸς, ἢ δόλοις* (12).

— is, qui; venenum aut dolos ab uno jam conjugio metuens, mulierum noverat animos nullâ magis re incendi, quam cum sibi pellicem, liberis novercam induci vident, cujusque adeo Medéa, talem a conjuge injuriam passa, haec in scenâ pronunciaverat (13):

> *— Γυνὴ γὰρ τἄλλα μὲν φόβου πλέα,*
> *Κακή δ' ἐς ἀλκὴν καὶ σίδηρον εἰσορᾷν·*
> *Ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,*
> *Οὐκ ἔςιν ἄλλη φρὴν μιαιφονώτερα·*

— is denique, qui Andromachen, Neoptolemi priorem, pellicis instar, bello captam tori sociam, in scenâ depinxerat, inductae alteris nuptiis Hermiones acerbissimo odio pressam, hujusque furores,

item de Digamiâ.

> *Οἵ σε καὶ Ἑρμιόνα ἔριδι ςυγερᾷ συνεκλῄσαν,*
> *Τλάμον', ἀμφὶ λέκτρων*
> *Διδύμων ἐπίκοινον*
> *Ἐοῦσαν, ἀμφὶ παῖδ' Ἀχιλλέως* (14)·

quique adeo, dum istas Hermiones furias, Andromaches lacrymas ac sollicitudines, cum fletu et miseratione omnium exhiberet, sub prioris personâ dixerat (15);

> *— — οὐδὲ γὰρ καλὸν,*
> *Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν·*
> *Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν*
> *Στέργουσιν, ὅςις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει.*

elegantius

(12) *Cressis* Fragm. IV.
(13) *Medea* v. 266. Vid. BERN. MARTIN. *Var. Lect.* Lib. IV. Cap. 11.
(14) *Andromache* v. 120. seqq.
(15) ibid. v. 176. Postea Orestes in eâdem Tragoediâ v. 464.
Κακὸν γ' ἔλεξας, ἕν' ἄνδρα δίσσ' ἔχειν λέχη.

elegantius etiam, adhibitis aliarum rerum exemplis similibus, Chorum canentem fecerat (16), -- Chorum, cujus est *salubrem justitiam laudare legesque,* Sectio I. §. 6.

Οὐδέποτ' ἂν δίδυμα
Λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν,
Οὐδ' ἀμφιμάτορας κόρους,
Ἔριδας τ' οἴκων,
Δυσμενεῖς τε λύπας.
Τὴν μίαν μοι στεργέτω πόσις γάμοις
Ἀκοινώνητον εὐνάν.

Οὐδὲ γὰρ ἐν πόλεσι
Δίπτυχοι τυραννίδες
Μιᾶς ἀμείνονες φέρειν·
Ἄχθος ἐπ' ἄχθει,
Καὶ στάσις πολίταις, κ. τ. λ.

Quin non tantum peregrinos mores, geminandis unâ uxoribus, vituperabat Euripides et aspernabatur, sed et secundas nuptias, quae unae post alteras contraherentur, si esset ex prioribus proles, haud sine periculo atque odio fore arbitrabatur (17).

Ὄντων δὲ παίδων καὶ πεφυκότος γένους,
Καινοὺς φυτεῦσαι παῖδας ἐν δόμοις θέλεις,
Ἔχθραν μεγίστην σοῖσι συμβάλλων τέκνοις;

Haec itaque et talia quam plurima saepissime quum inculcaret Tragicus noster, quis hominem tulisset adeo sui impotentem libidinisque servum, ut *disertus in convicium suum* fuisse *videretur?* -- Quis illi non suum ipsius dictum, majori jure quam id Alexander Macedo Callistheni Philosopho (18), in os ingessisset (19),

(16) ibid. v. 464. seqq.
(17) *Dictye* Fragm. IX.
(18) Plut. *in Alexandro* Tomo I. Opp. pag. 695. c.
(19) Cic. *ad Div.* Lib. XIII. Ep. 15. Lucianus *Apol. pro Mercede conductis* Tomo I. Opp. pag. 712. ibique M. du Soul.

Sectio I. §. 6.

Μισῶ σοφιςὴν, ὅςις οὐχ αὑτῷ σοφός;

aut, Pacuvio interprete (20),

Ego odi homines ignavá operá et Philosophá sententiá?

Sed abfuit a Tragico, in scenâ Philosopho, — abfuit certissime a Socratis amico et sodali ista turpitudo, ut adversus se ipse gravis esset censor et accusator acerrimus.

Socratis continentia. Neque in laudandis Euripidis sententiis tam copiosi fuimus et abundantes, nisi ut unâ eâdemque operâ demonstraremus, quam absurda quoque ejusmodi sit calumnia contra Tragici familiarem et in scribendis Fabulis, non operâ quidem aut stilo, sed adhortationibus et consiliis adjutorem. Amabat Euripidem Socrates, propter viri sapientiam, et quam in scenâ docebat virtutem (21). Quam diversus vero fuisset ab illo, si ipsi, *in scholá virtutis adsertori, continentiaeque magistro, libidinibus* (22) interim *ardenti*, pulchrum fuisset visum ac decorum,

Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν;

Sed enim non ita sentiebat Euripides, non ita Socrates, *tantae vir temperantiae, tantae continentiae, ut quod jucundum esset voluptatique inserviret, nunquam praetulerit honestiori eive, quod virtuti magis consentaneum videretur,* -- ἐγκρατὴς δὲ οὕτως, ὥςε (23) μηδέποτε προαιρεῖσθαι τὸ ἥδιον ἀντὶ τοῦ βελτίονος. -- Quid duas, si Diis placet, unâ habuisset uxores, duplexque sibi sic intrivisset malum, qui *ab adolescentulo quodam consultus* (Valerii Maximi verbis utor) *uxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret, respondit, utrum eorum fecisset, acturum poenitentiam,* -- quandoquidem in matrimonio inessent *perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, adfinium grave supercilium, garrula socrûs lingua, subsessor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus* (24)? -- Qui *purgandae bonis moribus vitae censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus ani-*

(20) Apud Gellium N. Att. Lib. XIII. Cap. 8.

(21) Aelianus *Var. Hist.* Lib. II. Cap. 13.

(22) Lactantius *Div. Inst.* Lib. V. Cap. 2. §. 3.

(23) Xenoph. *Mem.* Lib. IV. in f.

(24) Val. Max. Lib. VII. Cap. 2. Ex. ex. 1. Brevius Diog. Laërt. Lib. II. §. 33. ἐρωτηθεὶς, πότερον γῆμαι ἢ μὴ, ἔφη, Ὃ ἂν αὐτῶν ποιήσῃς, μεταγνώσῃ, ubi conf. Menagium.

mus naturali (25) *vigore in aeterna se tolleret*, is certe, quum universa Graecia *μονογαμίαν* et laudaret et servaret; — quum Athenis nemo duas unâ uxores habuisse, praeter Socratem Euripidemque, feratur, sed *barbarorum* (26) existimaretur, ut vir unus suum alternis vicibus lectum cum pluribus conjugibus communicaret; — is, inquam, primus civibus suis tantae incontinentiae intemperantiaeque, cum summâ levitate conjunctae, exemplum neque dedit neque dare potuit, ut, violatâ Naturae Lege, proculcato Cecropis instituto celebratissimo, Chremetem Terentianum ageret, cui sexagenario nunc haec, nunc illa exprobraret uxor, ne (27) *senectutem quidem verecundos facere.* Profecto, si meminerimus (qua de re postea pluribus erit agendum) ex omni Antiquitate nullos, (quod equidem sciam) memorari *διγάμους* nisi Reges ac Tyrannos, Barbaros (28), Macedonas, aut ex Macedoniâ Aegyptios (29), unumque inter Graecos, ab Ephoris coactum, Lacedaemoniorum Regem Anaxandriden (30); inter Graecos vero Colonos, aut in civitate Graecis moribus usâ, Dionysium Majorem, Siciliae Tyrannum, qui duas simul uxores habuerit, Dorida Locrensem et (31) Aristomachen Syracusiam; — si noverimus, duplex tale conjugium tam *tyrannicum* fuisse visum, ut, flagrante bello jam Peloponnesio, Euripides palam in scenâ dicentem fecerit Andromachen (32):

SECTIO I. §. 6.

Τύραννον ἔσχες ἄνδρ', ὃς ἐν μέρει λέχος
Δίδωσι πολλαῖς εἷς ἀνὴρ κοινούμενος·

(25) Talis Socrates visus est AUGUSTINO *de Civ. Dei* Lib. VIII. Cap. 3.

(26) *Οὐ βαρβάρων νόμοισιν οἰκοῦμεν πόλιν.* *Androm.* v. 242. conf. v. 215. et 216. ATHENAEUM *Deipn.* Lib. XIII. initio. I. TAYLOR *Elements of the Civil Law*, pag. 343.

(27) TERENT. *Phorm.* A. V. Sc. 8. v. 34.

(28) *Μήδεια δὲ, καί περ εἰδυῖα τὸ ἔθος, ὅτι ἐςὶ βαρβαρικὸν, οὐ φέρει οὐδὲ αὐτὴ τὸν Γλαύκης γάμον, ἤδη εἰς τὰ ἀμείνω καὶ Ἑλληνικὰ ἐκδεδιῃτημένη. Καὶ ἡ Κλυταιμνήςρα δὲ περιπαθὴς γενομένη τὴν Κασάνδραν σὺν αὐτῷ Ἀγαμέμνονι ἀποκτείνει, ἣν εἰς τὴν Ἑλλάδα ὁ κρείων ἐπηγάγετο, ἐν ἔθει γενόμενος βαρβαρικῶν γάμων.* ATHEN. Lib. XIII. pag. 556. c.

(29) PLUT. *in vitâ M. Antonii* Tomo I. Opp. pag. 957. A. *Δημήτριος μὲν οὐ κεκωλυμένος, ἀλλ' ἀπὸ Φιλίππου καὶ Ἀλεξάνδρου γεγονὼς, ἐν ἔθει τοῖς Μακεδόνων βασιλεῦσι, ἐγάμει γάμους πλείονας, ὥσπερ Λυσίμαχος καὶ Πτολεμαῖος.*

(30) HERODOTUS Lib. V. Cap. 40.

(31) CIC. *Tusc. Disp.* Lib. V. Cap. 20. DIOD. SIC. Lib. XIV. Cap. 44. et qui plures laudantur a BOSIO ad CORN. NEP. in *Dione* Cap. 1. praesertim vero AELIAN. *V. Hist.* Lib. XIII. Cap. 10. ibique PERIZ. ut et I. DAVIS. ad *Cicer.* d. l.

(32) Andromache v. 215. ubi *πολλαῖς* — *κοινουμέναις* melius forsan legatur.

Sectio I. §. 6. —— si ista omnia in mentem revocamus, fieri nequit, quin indignemur, tantum valuisse calumniandi insaniam et credendi facilitatem, ut cum homine impurissimo et crudelissimo, qui oppressam servitute tenuit patriam, *διγαμίας* societatem duo viri inter universos Graecos sanctissimi contraxisse jam vulgo ferantur; — ferantur autem, dum de tantâ tamque incredibili turpitudine silent, qui familiarissime cum illis vixerunt atque amicissime. — Imo, quid familiares appellamus et amicos? — dum silent ipsi illorum adversarii et inimici capitales. — Quamquam hic locus jam ab aliis uberrime tractatus est et propemodum exhaustus, non sinit tamen instituti nostri ratio, qui vindicationem Socratis omni ex parte explicare cupimus, ut argumentum, quod in hac caussâ palmarium est, taciti omittamus.

§. 7. *Silentium SS. Vett. de Digamiâ Socraticâ.*

§. VII. *Argumenta contra adseverationem Calumniatorum Socratis ex silentio aliorum, atque universe ex adjunctis et consequentibus, porro urgentur et confirmantur.* Platonis Phaedo *explicatur.*

Igitur argumenta, quae tum ex silentio Scriptorum, qui eâdem aut proximâ vixerunt aetate, tum ex reliquâ *περιςάσει* seu rebus circumstantibus, aut jam ab aliis ante nos petita sunt, aut nova etiamnum colligi possunt, hîc ob oculos ponemus. Silentium autem cum dicimus, duplex illud seu de duplici facto intelligimus; primum, quatenus ad *διγαμίαν* Socratis, deinceps quatenus pertinet ad abrogationem instituti Cecropii per conscriptam expresse Legem, quae lata fuerit bello flagrante Peloponnesio. Duplicem hunc locum, suo quemque ordine, ad examen revocemus.

Et primum quidem de silentio tum amicorum Socratis, tum inimicorum, aetate aequalium aut illam aetatem attingentium, quorum ne unus quidem vel verbum sive de ipsâ *διγαμίᾳ* Socratis, sive de Myrtô illius conjuge aut amicâ memoravit, — hunc, inquam, locum, post Bentlejum, sic tractarunt Hardionius, Gesnerus, Mahnius, ut pauca tantum adjicienda videantur. — " Nemo de amicis Socratis, neque Plato, neque Xenophon, ,, verbum dixit de hac Myrtô. Primum, qui fecerit ejus mentionem, Aristo- ,, telem videmus; sed Librum istum commentitium suspicatur Plutarchus; ,, ut hoc omne acceptum referendum sit homini fraudulento, qui nomen ,, Aristotelis mentiretur." Sic, Lennepio interprete, Bentlejus, et vere: Vere etiam silentio Socraticorum, qui *hodieque supersunt*, Mahnius silentium

item addit *eorum, qui perierunt, e quibus*, nimirum, *nihil tale memoratum feratur;* — nam, (quod ipsi Mahnianae Diatribes Auctori suspicionem, de fide Peripateticorum bonâ in hac διγαμίας fabulâ narrandâ, movere debuisset,) nemo unus Veterum praeter illos, qui ex Peripateticâ disciplinâ prodierunt, sive de istâ fabulâ, sive de Myrtô, Socratis uxore, quidquam memoriae prodidit; — ne verbum quidem illi Scriptores, qui tam multa retulerunt de colloquiis et familiaritate Socratis cum Aspasiâ, cum Diotimâ, cum Theodotâ, cum Alcibiade; — ne verbum quidem Xenophon, cui tam frequens Xanthippe in ore est, — Xanthippe, mulierum quae erant, quae fuerant, aut nascerentur unquam, una omnium molestissima. Mirum profecto silentium! sive perpetui cum difficili conjuge jurgii caussa fuerint partita tori gaudia, pellicis illecebrae, et, *ubi ad legitimam uxorem ventum erat*, *maritus illico factus senex*, quod Aristoxeno et Porphyrio tam libenter, tam benevole crediderunt Theodoretus, Tertullianus, Hieronymus, qui Ecclesiae dicuntur Patres; — sive rixarum lenimen et solatium Philosopho fuerit contubernii cum Aristidis nepte suavitas; nam, si eidem Aristoxeno caeterisque fides est, ex Myrtone Socrates filios suscepit Sophroniscum et Menexenum, qui, cum pater ad mortem damnaretur, pueruli erant vixdum infantiam egressi. Igitur hanc Aristidis neptem, in domo Praeceptoris tum etiam superstitem, novisse debuit non Xenophon tantum, sed et praesertim Plato: Et tamen neque hic neque ille eâ de re mutivit quidem. Quumque tot Scriptores de postremis Philosophi fatis memoriae prodiderunt, nullus, plane nullus est, cui inde occasio nata fuerit, de alterâ hac conjuge vel hilum dicendi, de Xanthippe tamen tam diserte agentibus. Nec Cicero, qui tam avide et frequenter opportunitate utitur, ut suam veteris Historiae, Philosophicae praesertim, peritiam ostentet, severioresque de virtute et summo bono disceptationes hoc narrationum velut sale et lepóre condiat; — nec Seneca, cui vita Socratis toties in testimonio est; — néc Maximus Tyrius, Themistius, Libanius, rerum Socraticarum tam amantes, tam pleni, — aut διγαμίας meminerunt Socraticae, aut de Myrtone dixerunt quidquam. — Mirum, iterum inquam, silentium! Una morituro jamjam marito Xanthippe in carcere adfuit, alterumque ex natu minimis puerulis in gremio habens, juxta eum consedit moerens, — (*τὴν δὲ Ξανθίππην*, inquit PLATO (1), *κατελαμβάνομεν ἔχουσάν τε τὸ παιδίον αὐτοῦ καὶ παρακαθημένην.*). Una immeritam viri sortem defle- SECTIO I. §. 7.

(1) In *Phaedone* pag. 60. A. Tomi I. ed. Steph. pag. 375. D. ed. Lugd.

Sectio I. §. 7. vit conjux querula quidem et morosa, sed eadem officiosa (2), mariti liberorumque amans. " Cum Atheniensium scelerata dementia (3) tristem de ,, capite Socratis sententiam tulisset, fortique animo et constanti vultu potio- ,, nem veneni e manu carnificis accepisset, admoto jam labris poculo, uxori ,, Xanthippae, inter fletum et lamentationem vociferanti, innocentem eum ,, perire: *Quid ergo*, inquit, *nocenti mihi mori satius esse duxisti?*" Miram, certe, ac ferme incredibilem morum insolentiam! Acerba conjux et loquaciter litigiosa virum in ipsis vinculis non deserit, innocentiam ejus coram omnibus profitetur, Deûm hominumque, ne innocentem interimant, obtestatur fidem. Silet altera, si praesens est; — si absens, periclitantem maritum fugit: Et quae illa? Aristidis progenies, quam propter sanguinis nobilitatem generososque justissimi parentis spiritus, quos filiae vel nepti adhuc inesse speraverat, Socrates duxerat uxorem! — Miram, (mirari etenim non desino) — miram, profecto, morum voluntatisque commutationem! . . . .

Quid respondeant, qui absentem tunc temporis fuisse Myrtonem concedunt, equidem ignoro: Sed enim sunt, qui praesentem in carcere cum Xanthippe fuisse adfirment, quando Socrates jam in eo erat, ut poculum exhauriret, quique Platonis testimonio ad hanc rem utantur vel abutantur. Praecipuus inter eos est, (quod, nescio, demirer magis an doleam,) vir, si

Hemsterhusio *respondetur*. quis alius, judicio et doctrinâ summus, Tiberius Hemsterhusius (4), ita quidem ut ex Platonis *Phaedone clarum* esse arbitraretur, *utramque marito superstitem vixisse uxorem*. Verba, quae adfert, Platonis haec sunt:

Platonis *locus expenditur.* " Quando jam tempus (5) instaret educendi poculi cicutâ mixti, *ἠνέχθη* ,, *παρ' αὐτὸν τὰ παιδία· δύο γὰρ αὐτῷ υἱεῖς σμικροὶ ἦσαν, εἷς δὲ μέγας, καὶ αἱ οἰκεῖαι* ,, *γυναῖκες ἀφίκοντο.* Et mox: *τὰς μὲν γυναῖκας καὶ τὰ παιδία ἀπιέναι ἐκέλευσεν*: Tum, ,, ad finem Dialogi (6): — *ἐγὼ μέν τοι οὐχ ἥκιστα τούτου ἕνεκα τὰς γυναῖκας ἀπέπεμψα.*" Ex quibus conficit Hemsterhusius, narrationem de duabus Socratis uxoribus auctoritate niti Platonis, " ad quam convellendam quibus Panaetius

(2) Plura pro Xanthippe disputavit Christianus-Augustus Heumannus, quae refert Bruckerus *Hist. Philosoph.* Tomo I. pag. 528.

(3) Ita rem refert Valerius Maximus Lib. VII. Cap. 2. ex. ext. 1.

(4) Ad *Halcyona* inter Opp. Luciani Tomo I. pag. 184. maxime vero in Add. in Praef. ad eundem Tomum pag. XXXIII.

(5) Tomo I. Opp. pag. 116. d. ed. Steph. pag. 401. e. ed. Lugd.

(6) Tomo I. pag. 117. d. ed. Steph. pag. 402. d. ed. Lugd.

„ argumentis pugnaverit," ipse ignoret. Enimvero Aristotelis seu Aristotelicorum potius fidem Panaetius suspectam habuit; Platonem hac in re auctorem nemo Veterum laudavit. Quibus autem, quaeso, rationibus utitur Vir magnus, ut Platonem facti incredibilis testem producere possit? Unâ solummodo ratione, uno argumento, vocem nempe *γυναῖκας* in tribus istis Phaedonis locis non nisi per *uxores* explicari debere. An vere? — Equidem nego sic exponi debere; quin, quod plus est, nego sic exponi posse. Agnosco, vocem *γυναῖκα* saepe significare *mulierem maritatam*, quae Euripidi (7) *ὁμόλεκτρος γυνὴ* plenius dicitur; et *ἄνδρα καὶ γυναῖκα virum mulieremque* esse *conjugii fide copulatos* (8): Sed, si de uno viro sermo sit, *γυναῖκας* plures unâ hujus viri *uxores* notare, pernego, nisi ex praecedentibus pateat, duas illum, Anaxandridae vel Dionysii Majoris instar, in geniali lecto conjuges sociasse. Testis mihi est idem ille, quem modo ob oculos habebam, omnium scriptorum Graecorum antiquissimus. Apud illum (9) Priamus, cum quinquaginta filiorum fuisset pater, quorum novemdecim ex Hecubâ justis nuptiis procreasset:

Sectio I. § 7.

Vox γυν. mulierem in universum notat.

> Πεντήκοντά μοι ἦσαν, ὅτ' ἤλυθον υἷες Ἀχαιῶν·
> Ἐννεακαίδεκα μέν μοι ἰῆς ἐκ νηδύος ἦσαν·
> Τοὺς δ' ἄλλους μοι ἔτικτον ἐνὶ μεγάροισι γυναῖκες.

Quid? ibine *γυναῖκες* totidem Priami *uxores?* Imo vero *παλλακίδες*, *concubinae*, quemadmodum jam olim vocem interpretatus est Athenaeus (10), *διατὸ*, uti aiebat Dinon in Persicis, *τὴν βασιλίδα ὑπὸ τῶν παλλακίδων θρησκεύεσθαι·* Quem barbarorum morem, multis ab Athenaeo exemplis confirmatum, Euripidea Andromache in scenâ (11) quoque memoravit; qua de re et antea nonnulla notavimus et deinceps pluribus erit dicendum. —— Ergo Socrates,

(7) In *Oreste* v. 507.

(8) Exemplum esto egregium Homeri dictum Il. Z. v. 184.

> — Οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
> Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
> Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή. —

(9) Il. Ω. v. 497.

(10) Lib. XIII. pag. 556. b. Ab Athenaeo sine caussâ diversus discedit Feithius *Antiq. Homer.* Lib. II. Cap. 17.

(11) *Androm.* vv. 215. 216. 242. Vid. supra §. VI. pag. 35.

Sectio I. §. 7. quum pallidam jam mortem animo et velut oculis cerneret, simul cum legitimâ uxore παλλακίδα ad se suam admisit? binaeve morituro Philosopho παλλακίδες adfuerunt? Abfuit hoc voluptarii hominis dedecus quam longissime ab eo, quem *humanae sapientiae quasi quoddam terrestre oraculum*, suo dicendi more, haud minus tamen vere, VALERIUS MAXIMUS vocat. -- Sed contra Hemsterhusium auctoritate utamur illius Viri, quem inter insigniores Socratis calumniatores supra memoravimus, auctoritate, inquam, -- HIERONYMI, *Presbyteri.* Cum Jovinianus legitimas Sacerdotis cum justâ uxore nuptias non alienas dixisset ab exemplo eorum, qui disciplinam morum castissimam primi a Christo acceperant, atque eam in rem adhibuisset verba PAULI: Μὴ (12) οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου, καὶ Κηφᾶς; multus in eo est Stridonensis Presbyter (13), ut demonstret (quod verum quidem erat, sed isto an Pauli loco opportunum, non pronuncio) γυναῖκα non semper *uxorem*, sed et aliquando simpliciter *mulierem*, significare, tum quoque quando de feminâ, quae viro contubernalis sit, agatur; atque adeo Petrum caeterosque Apostolos non *uxores* secum in itineribus comites circumduxisse, " sed *alias* sanctas *mu*-,, *lieres*, quae juxta morem Judaicum magistris de suâ substantiâ ministra-,, bant." At vero apposita multo magis ad hanc rem nostram, quam verba Paulina, in promtu sunt loca. Sic, quando Socrates, in hoc ipso Dialogo Phaedone, se ante mortem balneo uti velle ait, ne cadaveris lavandi molestiam mulieribus exhibeat; δοκεῖ γὰρ ἤδη βέλτιον (14) εἶναι λουσάμενον πιεῖν τὸ φάρμακον, καὶ μὴ πράγματα ταῖς γυναιξὶ παρέχειν νεκρὸν λούειν, — quis ibi *uxores* intelligat? haud magis, puto, quam in notissimo illo Enniano:

Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit,

aut in loco ISAEI (15), αἱ μὲν οὖν γυναῖκες, οἷον εἰκὸς, περὶ τὸν τετελευτηκότα ἦσαν, — quas γυναῖκας ex superioribus constat fuisse *unam* Philoctemonis *uxorem* duasque filias, — ἦλθον αἱ θυγατέρες αὐτοῦ καὶ ἡ γυνή. Accedit (quod palmarium, nostrâ quidem in caussâ, mihi argumentum videtur) vox οἰκεῖος, quam Plato ipso illo in loco, quo Hemsterhusius nititur, τῷ γυναῖκες addidit, — καὶ αἱ οἰκεῖαι γυναῖκες ἀφίκοντο. Itane? γυναῖκες οἰκεῖαι, *mulieres de domo et familiâ*, omnes

Vocis οἰκεῖος significatio.

(12) *Ad Corinthios* Ep. I. Cap. 9. comm. 5.

(13) *Lib. I. adv. Jovinianum*, Tomo IV. ed. Paris. col. 167.

(14) Tomo I. pag. 115. A. ed. Steph. pag. 401. B. ed. Lugd.

(15) *De Haered. Philoctem.* pag. 60. 22.

omnes sunt *uxores?* Si hoc voluisset, simpliciter saltem *γυναῖκας* dici oportuit, non *γυναῖκας οἰκείας.* Hae quippe sunt *feminae* vel *propinquae* vel *domesticae:* Et, si vel inter illas tunc adfuit Xanthippe, hae mulieres fuerunt (16) una ista Socratis uxor, omnibus cognita, de cujus gemitibus et fletu jam ante retulerat Plato, reliquae vero, quae illum aut cognatione aut affinitate contingebant. *Οἰκεῖοι μὲν γὰρ*, inquit AMMONIUS (17), *οἱ κατ' ἐπιγαμίαν προσήκοντες.* Pariterque ipse PLATO (18) alibi *οἰκείους* opponit *τοῖς ἀλλοτρίοις*: Pariter etiam XENOPHON (19) ac caeteri, qui Atticae orationis principes et sunt et habentur. Unum adferamus ANDOCIDIS (20) locum, ubi *uxorem cum affinibus* communi *τῶν οἰκείων* nomine complectitur. *Καί τοι* (inquit) *ὅστις ὑβρίζει γυναῖκα τὴν ἑαυτοῦ καὶ τῷ κηδεστῇ θάνατον ἐπιβουλεύει, τί χρὴ προσδοκᾶν τοῦτον περὶ τοὺς ἐντυχόντας τῶν πολιτῶν διαπράττεσθαι; πάντες γὰρ ἄνθρωποι τοὺς οἰκείους τῶν ἀλλοτρίων ποιοῦνται περὶ πλείονος.* Igitur, si in isto Phaedonis loco *οἰκεῖαι γυναῖκες* non simpliciter fuerunt *mulieres de domo et familiâ, affines aut domesticae;* — si inter illas intelligenda quoque est *uxor*, sola certe fuit Xanthippe cum *feminis cognatis, affinibus* aut *domesticis*, quarum operâ mater indigebat, ut puerulos, quod sola non poterat, ducerent aut gestarent. Quin, postremâ istâ vice, qua Philosophus liberis aeternum vale erat dicturus, in numero *mulierum necessariarum* non fuisse uxorem, quis forte suspicetur, comparatis inter se Phaedonis locis. Paulo consideratius eos perpendamus.

SECTIO I. §. 7.

PLATONIS Phaedo *consideratur.*

Primum, initio fere Dialogi, narrat PLATO, quomodo, dum ipse aegrotaret, Phaedo, Crito, Critobulus, et reliqui Socratis discipuli atque amici, seu Athenienses, seu peregrini, quum pridie vesperi audivissent, sacram ex Delo navim rediisse, multo mane sanctissimum Praeceptorem, simul ac janua aperiretur, in carcere convenerint, neque admissi fuerint nisi ipso ferme

(16) « Nam, quod in fine Phaedonis mulieres memorantur, *οἰκεῖαι γυναῖκες*, quae cum pueris „ Socratis in carcerem ad eum venerint, nihil ibi est, unde *uxores fuisse plures unâ* „ intelligamus, sed possunt fuisse, praeter Xanthippen, *ancillae* vel quaecunque aliae, „ pueros ipsius gestantes vel ducentes." GESNERUS *in Notâ ad Socratem Sanctum Paed.* pag. 52.

(17) *De diff. verb.* pag. 100.

(18) In *Euthyphrone* Tomo I. Opp. pag. 4. B. in *Theage* pag. 122. E.

(19) *Memor. Socr.* Lib. IV. Cap. 4. §. 17. ed. Ernest. *παρὰ τίνος δ' ἂν μᾶλλον τῶν δικαίων τύχοιεν ἢ γονεῖς, ἢ οἰκεῖοι, ἢ οἰκέται, ἢ φίλοι, ἢ πολῖται, ἢ ξένοι;* In THEOPHRASTI *Char. Eth.* est Cap. 4. *τοῖς μὲν φίλοις καὶ οἰκείοις ἀπιστεῖν, πρὸς δὲ τοὺς αὑτοῦ οἰκέτας ἀνακοινοῦσθαι περὶ τῶν μεγίστων.*

(20) *Contra Alcibiadem* pag. 31. 6. ed. Steph.

SECTIO I. §. 7.

momento, postquam Undecimviri vinculis relaxato instans eâdem die supplicium illi denunciassent: Invenerunt autem Xanthippen, quae, ut fidam amantemque conjugem decebat, novissimâ hac nocte (quando rediisse Theoros ex Delo, procul dubio, etiam cognoverat,) marito lugens adfuerat, neque se tristi subduxerat officio, ut coram Undecimviris innocenti criminis viro socia foret et squaloris comes; — invenerunt, inquam, fidam sed clamosam nimis conjugem, viro adsidentem, dum unum de puerulis ipsa haberet in gremio: *Illa vero, ut familiares Socratis vidit, mariti mortem abominata est, et talia ingemiscens complura dixit, qualia solent feminae: "O Socrates, postremâ nunc te vice familiares adloquentur tui, tuque illos." Tunc Socrates, Critonem intuens, "Crito, inquit, abducito hanc quisquam domum." Abduxerunt autem illam quidam de Critonis domesticis, inclamantem atque plangentem.* Εἰσιόντες οὖν κατελαμβάνομεν τὸν μὲν Σωκράτη ἄρτι λελυμένον, τὴν δὲ Ξανθίππην (γινώσκεις γὰρ) ἔχουσάν τε τὸ παιδίον αὐτοῦ καὶ παρακαθημένην· ὡς οὖν εἶδεν ἡμᾶς ἡ Ξανθίππη, ἀνευφήμησέ τε, καὶ τοιαῦτα ἄττα εἶπεν, οἷα δὴ εἰώθασιν αἱ γυναῖκες· Ὅτι, ὦ Σώκρατες, ὕστατον δή σε προσεροῦσι νῦν οἱ ἐπιτήδειοι, καὶ σὺ τούτους· καὶ ὁ Σωκράτης βλέψας εἰς τὸν Κρίτωνα, ὦ Κρίτων, ἔφη, ἀπαγέτω τὶς ταύτην οἴκαδε· καὶ ἐκείνην μὲν ἀπῆγον τινὲς τῶν τοῦ Κρίτωνος, βοῶσάν τε καὶ κοπτομένην. Quo de loco priusquam plura dicamus, videamus primum, an vel unum ibi de alterâ uxore verbum? Ne umbra quidem; nec fieri potest, ut his lectis alteram fuisse quisquam suspicetur: Et tamen puerulus ille, quem Xanthippe in gremio habebat, non hujus mulieris, sed Myrtonis, si Aristoxeno, Porphyrio, ac caeteris fides est, filiolus erat. Ergo Xanthippe, uxorum quidem, secundum Xenophontem, difficillima, novercarum tamen fuerit mitissima, commodissima: Ac frustra dixerit Euripides (21):

> Ἐχθρὰ γὰρ ἡ 'πιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις
> Τοῖς πρόσθ', ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

Neque noverca tantum Xanthippe mariti prolem e priore matrimonio, sed aemulae ac rivalis sive conjugis, sive concubinae, foetum gestabat in sinu, quacum concubinâ, si aequissimo Aristoxeno, si veritatis amantissimo Porphyrio, si sanctissimis Patribus, Hieronymo ac Theodoreto, credere oportet, saepius de foedissimo homine depugnaverat. Rem profecto admirabilem et inter paucas memorandam! Falsus certe opinione fuit SENECA, seu quisquis Tragoediae auctor fuerit, cum in *Hercule Oetaeo* (22) scriberet:

(21) In *Alcesti* v. 311.

(22) Act. II. v. 233.

O quam cruentus feminas stimulat dolor,
Cum patuit una pellici et nuptae domus!
Scylla et Charybdis Sicula contorquens freta
Minus est timenda; nulla non melior fera est.

Mirum etiam accidit cum Socrate et Xanthippe Myrtonem, pueri matrem scilicet! non fuisse repertam: Nam summo tunc diluculo illam adfuisse nemo, opinor, ex Platonis verbis colligat. An adfuit postea inter τὰς οἰκείας γυναῖκας? quum enim jam advesperasceret et propinqua esset *sorbitio dira cicutae*, ultima morituri mandata accepturae illae, cum Lamprocle et parvulis, in carcerem venerunt. Haec Platonis est narratio (23): Ἐπειδὴ δὲ ἐλούσατο, καὶ ἠνέχθη παρ' αὐτὸν τὰ παιδία (δύο γὰρ αὐτῷ υἱεῖς σμικροὶ ἦσαν, εἷς δὲ μέγας) καὶ αἱ οἰκεῖαι γυναῖκες ἀφίκοντο, ἐκείναις ἐναντίον τοῦ Κρίτωνος διαλεχθείς τε καὶ ἐπιστείλας ἅττα ἐβούλετο, τὰς μὲν γυναῖκας καὶ τὰ παιδία ἀπιέναι ἐκέλευσεν, αὐτὸς δὲ ἧκε παρ' ἡμᾶς. Quid nî in his verbis et alibi Plato Myrtonem nomine appellavit, generosi sanguinis nobilitate dignam sane, quam memoraret aeque atque antea Xanthippen, neque inter *feminarum domesticarum, cognatarum, adfiniumve* turbam confunderet, si tunc utique vixisset, aut revera in matrimonio Socrati fuisset? Sed in numero τῶν οἰκείων γυναικῶν, quae duo filiolos, Patri vale-dicturos, cum tertio jam adolescente adduxerunt, certe Myrto non fuit, si etiam adfuerit vera Philosophi uxor, Xanthippe. Postquam enim mane hanc amandaverat, ne lamentationibus suis fletibusque serenae mentis constantiam convelleret, ejulatuque ipsi et amicis esset molesta; haud absurdum foret existimare, eandem vesperi non rediisse: At vero demus, vanam hanc esse suspicionem, quando quidem, instante fato, mater liberorum illa certe erat, cui, remotis caeteris familiaribus, uno praesente Critone, novissimam voluntatem maritus testaretur, et quando mox Socrates ait, se propterea mulieres a se dimisisse, antequam poculum hauriret, ne scilicet lacrymas illae ac gemitus cierent; ἐγὼ μέν τοι οὐχ ἥκιστα τούτου ἕνεκα τὰς γυναῖκας ἀπέπεμψα, ἵνα μὴ τοιαῦτα πλημμελοῖεν: — Demus, inquam, has γυναῖκας Xanthippen fuisse cum *feminis necessariis;* — id tamen certum videtur et evidens, Aristidis filiae vel nepti nullas in lugubri scenâ fuisse partes. Neque aliter judicavit is, qui, uti universe rerum Socraticarum erat peritissimus, sic Phaedonem perpetuo ante oculos et ad manum habuit, sive quum *Apologiam Socratis* scribebat, sive quando alteram meditabatur Declamationem, qua ficto contradicebat Decreto, *ne Socra-*

(23) Pag. 116. B. ed. Steph.

SECTIO I. §. 7. *tes in vinculis cum quoquam colloqueretur.* In hac *μελέτῃ*, (quam ante hos quindecim annos peropportune ex MSto Veneto (24) edidit Vir egregius, JACOBUS MORELLIUS, Bibliothecae Venetae custos,) LIBANIUS Myrtô plane ignoravit, et Platonem de unâ Xanthippe interpretatus est: Fictum quippe istud Decretum componens ad prohibita, a foedissimo Tyranno Critiâ, optimi praeceptoris cum juvenibus colloquia, (cujusmodi colloquia, quod expertus novi, metuere Tyranni ac prohibere solent) Libanius, *σὺ δὲ*, inquit (25) ad Decreti auctorem, *καθ' ὅλου (ἀπαγορεύεις) μηδὲν διαλέγεσθαι Σωκράτην, μηδὲ τῷ δεσμοφύλακι, μηδὲ τῇ Ξανθίππῃ, μηδὲ τοῖς παιδίοις, ἀλλ' ἂν ἔρηταί τι Λαμπροκλῆς ἢ Σωφρονίσκος τὸν πατέρα, μηδὲν ἀποκρινεῖται Σωκράτης, ἀλλὰ περιμενεῖ τὸ κώνειον ἐγκεχαλινωμένος*; — Quidni et *μηδὲ τῇ Μυρτοῖ*; — Nimirum suam Aristoxeno et Hieronymo Rhodio fabulam Libanius reliquit; suam Porphyrio (qui ipsi aetate tamen erat superior, cujusque *Historiam Philosophicam* legerat procul dubio) -- suam igitur Porphyrio reliquit renovandarum Aristoxenéarum calumniarum libidinem. Christianae sic Religionis Antistitibus aequior fuit verique amantior Sophista idem et falsorum Deorum cultor: Nam, (quod sine invidiâ dictum esto ab eo, qui Christi disciplinam et reveretur et amat,) nimium quantum in calumnias proni fuerunt quamplures ex Patribus Ecclesiae. -- Sed hac de re alias. Nunc ad reliqua hujus caussae argumenta pergamus.

LIBANII hac in re auctoritas.

§. 8. *Silentium Veterum de superstite Myrtone.*

§. VIII. *Alia ex silentio Scriptorum de Myrtone, Socrati superstite, argumenta proponuntur: Auctoritas* EPISTOLARUM SOCRATICARUM *expenditur.*

Praeter silentium Xenophontis, Platonis, ac reliquorum, qui *de Vitâ et Moribus Socratis* Commentarios scripserunt, quorumque, si Peripateticos, Alexandri Magni aetate posteriores, excipiamus, nemo unus de Myrtone, quae viro superstes vixerit uxor, quidquam memoriae prodidit, animadvertendum quoque est, nullam de eâ exstare mentionem in rebus Socraticis post fata mariti, nisi unicâ, quae Aristippo inter *Socraticas* tribuitur, Epistolâ, de qua supra a nobis relatum est. Atque hic, si suspectis testimoniis uti placeret, *Epistolas Socraticas* Epistolis Socraticis opponeremus; verum neque id BENTLEJO placuit, nec post sum-

BENTLEJI judicium de Epistolis Socraticis.

(24) Cum aliis *Anecdotis* ARISTIDIS, ARISTOXENI etc. Venetiis anno 1785 in formâ 8va.

(25) d. l. pag. 218.

mum Virum nobis placet: Jure enim optimo scripsit (1): " Sed habuerit plures etiam uxores Socrates; nihilo minus in culpâ erit Epistolarum Auctor. Hic enim Sophista binas mulieres unâ amice viventes facit, quod credibile non est; nam (ut illi, qui duas fuisse volunt, narrant,) vivente marito, continua inter eas bella erant: Sed, quod pejus etiam est, sunt aliae Epistolae in fasciculo, ex quibus colligas, unicam tantum uxorem Socrati fuisse. Ipse, in Epistolâ (2) ad nescio quem, hoc ei impertit novi, *Xanthippen ac liberos valere;* sed ne verbum quidem de Myrtô. Xenophon literas plenas omni genere officiorum et laudum ad Xanthippen et parvulos dedit (3); sed valde inhumanum, de alterâ plane siluisse, cum, ut opinio fert, plures ea liberos marito pepererit. Imo, si hanc Epistolam vere Xenophontis esse concedimus, turpiter illusit feminae contra morem suum. Quando enim dabatur haec Epistola, si proxime sequenti (4) credimus, in conscribendis *Memorabilibus Socratis* erat occupatus: Ut, cum hic in Epistolâ suâ bonae mulieri assentatus sit, munuscula quaedam dederit, et amorem ejus erga maritum aliasque virtutes valde extulerit, tum in suo Libro (5) eam traduxerit apud suos, omnemque posteritatem, tanquam *omnium, quae aut fuerint unquam aut futurae sint, contentiosissimam litigiosissimamque excetram.* Imo, quo turpius factum, unus omnium sic eam depinxit; nam nec Plato, nec ullus veterum *Socraticorum*, de procacitate ejus aliquid scripto reliquit. Quocirca calumniam esse, suspicatus est Athenaeus; imprimis quum Aristophanes reliquique Comici, qui sales suos amaros abunde in Socratem effuderunt, nunquam ei de uxore exprobraverint. Sed, utcunque id est, de Xenophontis subdolo animo quid existimandum? Equidem integris talium Epistolarum plaustris carere, quam talem de tanto Viro opinionem habere, mâlo." SECTIO I. §. 8.

Locum, quamvis copiosum, interprete LENNEPIO, adscripsimus, utpote qui disserendi de nonnullis ad rem nostram pertinentibus materiam praebeat. Et primum quidem recta et sana in illo omnia, nisi quod *Xenophontem feminae illusisse* Bentlejus scribat, *si illius esse Epistolam concedamus:* Id

(1) Diss. *de Epist. Socr.* §. XIII. pag. 76.

(2) Ep. IV. Τῶν δ᾽ ἐμῶν, Ξανθίππη μὲν καὶ τὰ παιδάρια ἔῤῥωται· αὐτὸς δὲ, ὥσπερ καὶ παρόντος σου, πράττω.

(3) Ep. XXI.

(4) Ep. XXII.

(5) XENOPHON *in Convivio*, pag. 876. (pag. 511. 20. ed. Steph.)

SECTIO I. §. 8.

autem minime concedendum: Nam, quamquam vera est Viri maximi observatio, si lectionem ab Allatio editam sequamur, eâ tamen parte in culpâ ipse non est Epistolae auctor, quandoquidem eam *Xenophonti* non supposuit, sed *AEschini Socratis discipulo*. In Msto saltem Helmstadiensi, cujus egregia penes me est Collatio, a Reiskio quondam instituta, a Valckenaerio descripta, legitur Αἰσχίνης Ξανθίππῃ τῇ Σωκράτους, quo nomine in fronte Epistolae adfingendo id, quod veri erat simile, Sophista multo magis servavit, quam si eam *Xenophonti* tribuisset. Uxori liberisque praeceptoris, haud multo post illius fata tempore, scriptor Epistolae liberalissime, pro se caeterisque disciplinae Socraticae alumnis, promittit quaecunque ad vitam non misere transigendam essent necessaria. *Οὗτοι γὰρ οἱονεὶ νεοττοί εἰσι Σωκράτους, οὓς δεῖ οὐ μόνον τρέφειν ἡμᾶς, ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς αὐτοῖς πειρᾶσθαι παραμένειν· ὡς εἰ σὺ, ἢ ἐγὼ, ἢ ἄλλος τις, ὅτῳ μέλει, Σωκράτους τελευτήσαντος, Σωκράτους τῶν παίδων,* (eleganter et quadam cum vi sic nomen Socratis bis ponit Codex Helmstadiensis, secus atque in editis) *ἀποθάνοι, ἀδικήσονται οὗτοι ἔρημοι γενόμενοι τοῦ βοηθήσοντος καὶ θρέψοντος ὁμολογουμένως.* Haec omnia certe a Xenophonte sunt aliena, qui, ab Expeditione usque Cyri Minoris, Athenis procul degit seu apud Agesilaum, seu in praedio ad Scilluntem prope Olympiam; Aeschini vero conveniunt, qui, ut PLATO in *Phaedone* (6) testis est, Socrati morituro in carcere adfuit cum iisdem Euclide et Terpsione Megarensibus, a quibus, haud minus quam suo ipsius nomine, Scriptor Epistolae munuscula Xanthippae mittit, matri liberisque profutura. *Ταῦτα οὖν λάβε, καὶ ἴσθι Εὐκλείδην καὶ Τερψίωνα πάνυ καλώ τε καὶ ἀγαθὼ* (sic MS.) *ἄνδρε, καὶ σοί τε καὶ Σωκράτει εὔνω.* — Addit idem: *ἡνίκα δ' ἂν οἱ παῖδες ἐθέλοιεν παρ' ἡμᾶς ἰέναι, μὴ κώλυε· οὐ γὰρ πόῤῥω ἐστὶν ἰέναι εἰς Μέγαρα.* — Haec postrema quidem extra modum absona et absurda forent, si a Xenophonte scripta haberentur: Sed, uti ipsa Epistola cum munusculis Euphroni Megarensi perferenda Athenas erat tradita, sic personae congruunt Aeschinis, qui, post Socratis mortem, cum caeteris ejus discipulis, ne idem fatum experirentur, Athenis Megara ad Euclidem se contulerant (7). Megaris Xenophon domicilium nunquam habuit: Sed nimirum ea quoque Sophistae minime mens fuit, ut illustrem Athenis exulem inter Megarenses collocaret; Aeschinem illic versatum finxit cum familiaribus Euclide et Terpsione, hac quidem parte sui tam bene memor, ut in alterâ illâ Epistolâ, qua fabulae nituntur Patroni,

Epistolae Socr. ex cd. emendatae.

Socratici Megara confugerunt.

(6) Pag. 59. B. ed. Steph.

(7) LIBANIUS *Apol. Socr.* Tomo I. Opp. pag. 686.

Lamproclem (sic enim HEMSTERHUSIUS acute et feliciter locum emendavit) Megaris ab Aristippo repertum finxerit et cum eo collocutum, illic scilicet quo Socratis liberos Aeschines invitaverat. Igitur, tametsi neque fides *Epistolarum Socraticarum*, nec Scriptoris in fingendo solertia facile contra BENTLEJUM defendi queant, hac tamen culpâ, quam Vir summus (8) merito animadvertit, liberandus est, quippe quae non ipsius, sed Librariorum aliorumve hominum fuit male sedulorum, qui, cum tres proximae Epistolae Xenophontis nomen prae se ferrent, duas etiam sequentes, vicesimam primam et secundam, eidem tribuendas existimarunt, quia in hac (9) scriptum reperiebatur: *ἀλλὰ περὶ Σωκράτους φροντιστέον, μὴ ἐν ἐμοὶ κινδυνευθῆναι τὴν ἐκείνου ἀρετὴν κακῶς εἰπόντι ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασιν.* Ista quippe *ἀπομνημονεύματα* nulla alia crediderunt intelligi posse, nisi Xenophontéos *de rebus Socraticis Commentarios*. At vero, cum de *Dialogis Socraticis* illic agatur, quibus Plato non Athenis tantum, sed per universam Italiam Siciliamque, maximam sibi gloriam acquisiverat, cumque scribat Epistolae auctor, " se timidum magis sua tanti non facere ,, scripta, ac vereri ne infantiâ suâ quicquam de Socraticae sapientiae laudibus ,, detereret," nihil vetat, quo minus haec ad Aeschinem, Charini vel Lysaniae filium, referantur (10), *ἀπομνημονεύματα* dicentem Dialogos, Alcibiadem, Axiochum, Aspasiam, Telaugen, caeteros, quibus, Platonis aemulus, Socraticam philosophandi disciplinam ad posteros propagare (11) conabatur: Et, ne id de Epistolâ 22dâ aeque ac de 21mâ temere conjectare videamur, ei Epistolae nomen Xenophontis ad frontem deëst in Codice Helmstadiensi, ita ut ad *τὸν αὐτὸν*, nempe ad Aeschinem, cujus prior erat ad Xanthippen, referenda demonstraretur. Et revera ad Cebetem et Simmiam probabilius Aeschines, quam Xenophon, scripsisse fingatur, quippe Aeschines ante mortem praeceptoris cum Simmiâ Thebano, Cebete, et Phaedondâ versatus reperitur, ac deinceps Athenis Megara cum iisdem commigravit, ubi Dialogos suos sodalibus Socraticis praelegere solebat (12): Xenophontem vero illorum familiarem fuisse non accepimus: Quibus rationibus accedit

SECTIO I. §. 8.

Ἀ'πομνημονεύματα Dialogi Socratici.

(8) d. Diss. §. §. IX. — XIII.

(9) Pag. 48.

(10) Conferatur omnino cum istâ Epistolâ DIOGENES LAËRTIUS Lib. II. §. 62.

(11) Ea propter Aeschinem cum Platone et Xenophonte jungit CICERO in *Bruto* Cap. 85. ex quorum scriptis ironia Socratis noscatur. « *Ego*, inquit, *ironiam illam quam in Socrate dicunt ,, fuisse, qua ille in Platonis, et Xenophontis, et Aeschinis libris utitur, facetam ,, et elegantem puto.*"

(12) Vid. DIOG. LAËRT. d. l. Lib. II. §. 62. ubi Aeschines Dialogos suos Aristippo praelegisse dicitur.

Sectio I. §. 8.

haec etiam, quod ipsi Epistolae insint nonnulla, quae, Aeschini valde congruentia, Xenophontis personae haud convenire merito censeantur. Aeschinem Megara ad Euclidem, post Socratis interitum, se recepisse, modo a nobis observatum est, quo et confugerant Socraticorum alii: "In domo, ubi Euclides „ versabatur, se scripta sua Cebeti Simmiaeque per otium libenter praelegere „ solitum," scribit Epistolae Auctor (13). Aeschini igitur id convenit, non Xenophonti. Alia sunt praeterea. "Imo adeo non puduit Sophistam (inquit „ Bentlejus,) ut Xenophontem induceret *formâ pauperis*, qui peteret et „ sustentaretur a Cebete et Simmiâ, cum omnibus notum sit, magnas in bello „ divitias eum acquisivisse, et splendide hospitaliterque vixisse in Scillunte:" Quae a Bentlejo scripta partim vera sunt, quatenus scilicet ista Xenophonti non fuit rerum Socraticarum ac cognitionis penuria, ut de se diceret: *Κινδυνεύω γὰρ, ὡς ὁρῶ,* (14) *μὴ πολλὰ ἔχων πολλὰ κεκτῆσθαι δι' ὑμᾶς τοὺς φίλους, οἵ τινες ἐπιμελεῖσθε ἡμῶν.* Ab alterâ vero parte Virorum maximum fefellit opinio, de *verâ paupertate* accipientem, quae scripta erant de parum amplâ disputationum Socraticarum, quae Aeschini erat, copiâ, quam tamen inopiam ita Cebes et Simmias sublevabant, cum sodali suo communicantes quidquid ipsis reliquiarum Socraticarum suppetebat, ut (quod erat in proverbio) *paupere nihil esset opulentius*, id est, ut, *qui per se egens esset, jam amicorum ope, industriâ, et liberalitate ditissimus evaderet.* Sin autem ista, uti accipienda sunt, accipiamus de sermonibus, factis, moribusque Socraticis, et tamen ne sic quidem in Xenophontem cadant, Sophistae ea neutiquam culpa est, sed Librariorum Editorumve, Xenophonti tribuentium, quae Aeschinis erant. — Sed sensim a proposito nos aberasse intelligo. Igitur eo redeamus.

Epistolae Socraticae pro caussâ nostrâ excitatae.

Id scilicet dicere institueramus, si testimoniis minus probatis uti aequum nobis bonumque videretur, luculentam pro re nostrâ auctoritatem in *Epistolis Socraticis* reperiri, quippe quae unam nobis Xanthippen referant, mariti necem cum puerulis lugentem, atque ita lugentem, ut consolatione egeret, metusque esset, ne moerore contabescens liberos patre ac matre orbos brevi relinqueret:

(13) Pag. 47. Sed locum, qui in editis corruptus est, ex Msto Helmstadiensi emendatum adscribamus. *Τῶν δὲ συγγραμμάτων οὔπω τι εἶχον τοιοῦτο, ὥστε καὶ ἄλλοις θαῤῥεῖν δεικνύναι δίχα ἐμοῦ, ὡς παροῦσιν ὑμῖν ἔνδον ἐν τῷ οἴκῳ, ἔνθα Εὐκλείδης κατέκειτο, κοσμένως ἐλέσχαινον. οἴδατον δὲ δὴ, ὦ φίλοι, ὡς οὐχ οἷόν τε ἀναλαβεῖν ἐστι τὸ ἅπαξ ἐλθὸν εἰς τοὺς πολλοὺς γράμμα.* In editis est *ἄλλῳ θαῤῥεῖν*, et *οἶδα τῶνδε δὴ, ὦ φίλοι.*

(14) In editis est, *ὁρῶ, ὅτι μὴ*· sed *ὅτι* delendum videtur.

relinqueret: τῶν δὲ πολλῶν σοι δακρύων, ὦ ἀγαθὴ, ἅλις· ὀνήσει γὰρ οὐδὲν, σχεδὸν δέ τι καὶ βλάψει· — ὅθεν πειρῶ ζῆν αὐτοῖς· τοῦτο δὲ οὐκ ἂν ἄλλως γένοιτο, εἰ μὴ τὰ πρὸς τὸ ζῆν αὐτὴ αὑτῇ (sic ex MS. legendum) πάρεχοις (15). Qui Aeschinis metus vanissimus certe fuisset, si altera vixisset Myrto, non noverca tantum, sed vera et naturalis Sophronisci ac Menexeni mater. De Myrtone autem ne verbum quidem in istâ legitur Epistolâ, quae tota ad Xanthippen pertinet, et in celebrandâ ejus erga maritum pietate, leniendo tamen dolore, versatur. Θάῤῥει οὖν, ὦ Ξανθίππη, καὶ μηδὲν καταβάλῃς τῶν Σωκράτους καλῶν. Quin Socrate digna uxor videbatur, quae conjugis imitabatur in accipiendis donis modestiam et divitiarum contemtum. Ἀπολλόδωρος καὶ Δίων ἐπαινοῦσί σε, διότι παρ' οὐδενὸς οὐδὲν λαμβάνεις, φῂς δὲ πλουτεῖν, καὶ εὖ ποιεῖς· εἰς ὅσον γὰρ ἐγώ τε καὶ οἱ ἄλλοι φίλοι ἰσχύομεν ἐπικουρεῖν σοι, δεήσῃ οὐδενός· Quae si consideremus scripta ab eo, qui mentito quidem nomine prodibat in scenam, rerum tamen erat Socraticarum peritissimus, plus etiam ponderis habebit Bentleji observatio, "unum omnium ,, Xenophontem Xanthippen ut contentiosissimam litigiosissimamque excetram ,, depinxisse, quum nec Plato, nec ullus veterum Socraticorum de procacitate ,, ejus aliquid scripto reliquerit; et Aristophanes reliquique Comici, qui sales ,, suos amaros abunde in Socratem effuderunt, nunquam ei de uxore exprobraverint." — Atque, his similibusque rationibus ducti, non cum Heumanno (16) quidem de illius morositate difficilique ingenio nihil mali suspicabimur, sed cum Bruckero (17) existimabimus, molestam fuisse mulierem, vehementis intemperantisque linguae, talem tamen quae neque insitâ naturae careret bonitate, nec matrisfamilias officiis deësset; atque ita explicabimus illud Platonicum (18) in *Phaedone*, ubi de Xanthippe agitur, γινώσκεις γὰρ, quemadmodum de Apollodoro, cui propter liberalem, sui tamen impotentem, animum τοῦ μανικοῦ cognomen sodales dederant Socratici (19), paulo ante dixerat: Οἶσθα γάρ που τὸν ἄνδρα καὶ τὸν τρόπον αὐτοῦ.

Sectio I. §. 8.

Xanthippae indoles haud prorsus mala.

Idcirco colligere possimus, in Socratis familiâ, post Philosophi mortem, unam tantum matrem, quae liberorum patre orborum curam haberet, Xanthippen fuisse, si *Epistolis Socraticorum* fides sit tribuenda. Quod si quis-

(15) *Epist. Socr.* XXI. pag. 46.

(16) Quem laudat Bruckerus *Hist. Phil.* Tomo I. pag. 528.

(17) l. laud. pag. 530.

(18) Pag. 60. A. ed. Steph. (pag. 376. D. ed. Lugd.)

(19) Vid. L. Allat. ad *Epist. Socr.* pag. 215.

Sectio I. §. 8.

piam objiciat, in aliâ tamen Epistolâ, istâ scilicet, de quâ jam actum est saepius, ubi vero de domo Socraticâ non nisi ὡς ἐν παρόδῳ fit mentio, Myrtonem memorari, quae cum Xanthippe sub eodem vivat tecto, Bentleji verbis respondere (20) liceat: " Suspiceris plurium Sophistarum Epistolas hoc volu-„ mine comprehendi; aut, si unicus fuerit auctor, sine ingenii felicioris „ beneficio, memoriam valde fallacem a naturâ accepit." Et certe, si Epistolarum Auctor Xanthippen Myrtûmque illic commemorasset, utramque tanquam Socratis uxores, --- idem ille qui ante de unâ locutus erat Xanthippe, cui liberorum cura incumberet, quaeque periculum erat ne moerore, propter mariti vicem, contabescens illos orbos relinqueret, inepto Sophistae Terentianum istud merito ingereremus:

Auctoritas Epistolarum Socraticarum neque gravissima neque nulla.

—— —— Non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, haec. ——

Neque Curione, de quo multa CICERO *in Bruto* (21), plus valuisset *hac parte animi, quae custos est ceterarum ingenii partium,* tam debili quippe memoriâ, ut *ne in scripto quidem meminisset, quid paulo ante posuisset.* — Sed enim quae in paucis istis verbis (22), πειρῶ δὲ μετὰ Ξανθίππης καὶ Μυρτοῦς ζῆν, ὡς ἐμοὶ φίλον μετὰ Σωκράτους, πλέον διὰ τῆς ἐκείνων φιλίας σεαυτὴν στέλλουσα· ἐκεῖθι (sic legendum pro κεῖθι τὸ σοβαρὸν οὐκ ἐπιχώριον· — quae, inquam, in paucis istis verbis de *geminâ Uxore* mentio? quae umbra vel levissima? quae de mulieribus aemulis et rivalibus, vivo Socrate, depugnantibus? Quin tantum abest Scriptor ab hac calumniâ, ut potius imaginem duarum nobis depingat feminarum, quarum altera Socratis vidua, altera domus et fortunarum consors, sub eodem unâ tecto vitam agebant *pudice, parce, ac duriter, lanâ ac telâ victum quaeritantes.* Quod alienum non esset ab eorum sententiâ, qui Myrtonem propter paupertatem a Socrate domi receptam, nunquam tamen tori sociam, fuisse crediderunt. Enimvero neque istam opinionem probandam censemus; et, quamquam *Epistolas Socraticas* confictas judicamus ab illo, qui Socratis ac Socraticorum fata moresque probe calleret, nullum tamen ex iis argumentum neque ad confirmandam neque ad convellendam sententiam aliquam tuto peti posse existimamus, id unum satis habentes demonstrasse, si isti Scriptori in hac caussâ nostrâ testimonii jus esset, illud multo magis nobis quam adversariis nostris favere.

(20) Ista Viri summi, de alio tamen argumento, observatio est, d. Diss. §. IX. pag. 71.
(21) Cap. 60. 61.
(22) Pag. 57.

SECTIO I. §. 9. Silentium Vett. de Digamiâ Socraticâ.

§. IX. *Reliqua ex silentio Scriptorum, praesertim inimicorum Socrati, de illius διγαμίᾳ, percensentur argumenta ac concluduntur.*

Pauca sunt praeterea, quae huic disputationi addi possint. Aeschines, ὁ τοῦ ἀλλαντοποιοῦ, scriptos a Socrate Dialogos suo ipsius nomine edidisse ferebatur, quos a Xanthippe acceperat. Id saltem DIOGENES LAËRTIUS narrat et ATHENAEUS (1), auctore Idomeneo Epicureo in Commentario *de Socraticis*. --- Quid? Idomeneus unamne tantum Xanthippen noverat Σωκράτους γυναῖκα? An una erat illa, cui in libros a marito relictos jus esset? Nullane Myrto? nullumve ei jus in Socratis haereditatem? -- illi, inquam, duorum filiorum ex Socrate matri, scilicet? -- Quid porro Cato Major? -- Is, nimirum, in quo Censoria severitas quidquid natura humana mitis habet, jucundi et aequi, in tristitiam ac morositatem converterat, sicut universum nomen Graecum, Graecas disciplinas, Philosophiam Graecam, inveterato ac communi odio prosequebatur, sic câdem animi acerbitate Socratem perstringebat tanquam hominem inepte loquacem, *contumacem*, *refractarium*, et *contemtorem magistratuum* (SENECAE (2) verbis utimur, ubi hanc communem errantis vulgi de Philosophis opinionem refellit,) — tanquam hominem igitur, qui Rempublicam turbare, mores publicos pervertere, civesque suos ad pravas opiniones, legibus contrarias, pertrahere conaretur: -- ὅλως, PLUTARCHUS (3) inquit, φιλοσοφίᾳ προσκεκρουκὼς, καὶ πᾶσαν Ἑλληνικὴν μοῦσαν καὶ παιδείαν ὑπὸ φιλοτιμίας προπηλακίζων, — καὶ Σωκράτη φησὶ λάλον καὶ βίαιον γενόμενον ἐπιχειρεῖν, ᾧ τρόπῳ δυνατὸν ἦν, τυραννεῖν τῆς πατρίδος, καταλύοντα τὰ ἔθη, καὶ πρὸς ἐναντίας τοῖς νόμοις δόξας ἕλκοντα καὶ μεθιςάντα τοὺς πολίτας. — Et hic tamen Cato, qui erga Socra-

Cato Major Socrati inimicus.

(1) Διεβάλλετο δ' ὁ Αἰσχίνης καὶ μάλισθ' ὑπὸ Μενεδήμου τοῦ Ἐρετριέως, ὡς τοὺς πλείςους διαλόγους, ὄντας Σωκράτους, ὑποβάλλοιτο, λαμβάνων παρὰ Ξανθίππης· DIOG. LAËRT. Lib. II. §. 60. —— ATHENAEUS Lib. XIII. pag. 611. E. eadem his verbis: Ἐχαρίσθη δὲ αὐτῷ ὑπὸ Ξανθίππης τοῦ Σωκράτους γυναικὸς μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον, ὡς οἱ ἀμφὶ τὸν Ἰδομενέα φασίν· Huc referendum forsan Aristippi dictum, qui, Megaris Dialogos suos Socraticos praelegenti, Aeschini, haud sine quadam injuriâ, quaestionem objecerit: πόθεν σοὶ, λῃςὰ, ταῦτα; narrante DIOG. LAËRT. d. l. §. 62. in f.

(2) Epist. LXXIII.

(3) Tomo I. Opp. pag. 350. A. --- EUDOCIA in *Violeto* ex Veterum aliquo (apud VILLOISONUM *Anecd. Graec.* Tomo I. pag. 367.) Σωκράτης, ὡς φαυλίσας τοὺς νόμους τῶν Ἑλλήνων, θανατοῦται, κώνειον πιὼν, ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ.

Sectio I. §. 9.

tem Aristophane haud aequior fuit, neque Anyto justior, Philosophum admiratus est, propterea quod cum uxore difficillimâ liberisque vecordibus et stupidis (de solo tamen quod Lamprocle dici forte potuit) tam placidus paterfamilias vixerit et lenis: Cumque boni mariti, boni parentis officia praestare, majus Catoni videretur quam Senatorio munere praeclare fungi, hanc laudem Socrati praecipue tribuebat: ἐν ἐπαίνῳ (4) δὲ μείζονι τίθεσθαι (ἔφη) τὸ γαμέτην ἀγαθὸν, ἢ τὸ μέγαν εἶναι συγκλητικὸν, ἐπεὶ καὶ Σωκράτους οὐδὲν ἄλλο θαυμάζειν τοῦ παλαιοῦ, πλὴν ὅτι γυναικὶ χαλεπῇ καὶ παισὶν ἀποπλήκτοις χρώμενος, ἐπιεικῶς καὶ πρᾴως διετέλεσεν· — Ergone duas Cato ignoravit Socrati unâ fuisse uxores? rixas nescivit mulierum et propter foedissimi hominis amores perpetua jurgia? — Nescivit profecto Cato! nesciverunt cum Romanorum doctissimis Cicero et Seneca, aut potius calumniam contemserunt, quae Porphyrium exspectabat, ut Aristoxeni Hieronymique Rhodii malitia post sexcentos annos renovaretur, atque imprudentibus Rei Christianae vindicibus tela subministraret!

Illius tamen laudat erga uxorem mores.

Quid autem de solo dicimus Catone Censorio, Philosophum Graecum exoso? Silentium eorum, qui Socratis adversarii fuerunt et inimici capitales, paulo supra (5) in testimonium vocabamus jure ac merito. Igitur Aristophanes, quum Socratem ridendi tam iniquas, tam frigidas etiam aliquando et pueriles captabat caussas, hanc unam omisit ansam, quam plaudentibus omnibus retinere poterat, ut hominem severâ fronte libidinosum et inverecundum reprehenderet et meritissimo sale adspergeret. Novâ Lege, quando id libitum est, ut vastitas Athenarum adulterinâ παιδοποιΐᾳ citius evanesceret, licitum fuerit binas unâ uxores habere: Ridiculum tamen erat, inter tot cives unum repertum temperantiae sapientiaeque doctorem, unum (quando id etiam placet) μισογύνην Tragicum, qui hac licentiâ magis quam libertate, aetate jam provecti et tantum non senes, uterentur: Et, quam id ridiculum fuerit, Comicorum tamen jocos *mulierositas* egregii Virorum paris evasit. *Nubibus* sane majus accedere ornamentum haud poterat, quam noster barbatus et sine calceis magister inter geminas jurgantes de viro feminas medius et penulâ nudus: At vero neque in *Nubibus* vel verbulum de Xanthippe aut Myrtô legitur, neque ullus superest locus, ullum deperditae Comoediae Aristophaneae Fragmentum, in quo ad duplices istas aut Socratis aut Euripidis nuptias dirigitur lusus aut jocus. Et quis tamen credat, cum nemo Athenis aut Socrati aut Euripidi infestior esset Aristophane, tam festivum, tam lepi-

Aristophanis de Digamiâ Socraticâ silentium.

Item de Digamiâ Euripidis.

(4) Plutarchus *Catone Majore* Tomo I. Opp. pag. 347. E.

(5) Scil. §. VI. versus finem.

dum ridendi iisque insultandi argumentum, quod sane famosis istis ληκύθοις joculare magis erat et salsius, temere fuisse neglectum? Quis credat nihil in isto genere ab Athenaeo fuisse conservatum, qui foedissimas in magnos ex omni Antiquitate Viros calumnias tam libenter retulit, — nihil praesertim ex Eupolide (6), cujus mordacissimi Comici maledicum dentem Socrates haud minus expertus est, quam ludibria Aristophanis, dignissimi qui cum illo jungatur, ὡς δεινοὶ ἄνδρες ἐπικερτομῆσαι τὰ σεμνὰ, καὶ χλευάσαι τὰ καλῶς ἔχοντα, idque ab eo Scriptore (7), cujus in hac quoque disputatione mox a nobis silentio non praeteribitur Socratem et reliquos Philosophos mordendi libido. Neque enim intra solius scenae Comicae licentiam haec subsistit observatio. TIMONEM PHLIASIUM (8) novimus non ipsam tantummodo Philosophiam illusisse tanquam νοῦσον λάλην, Philosophosque in universum, ut qui λεσχόμαχοι essent,

Sectio I. § 9.

Silentium Eupolidis.

Pariterque Timonis Sillographi.

Ἄνθρωποι κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί·

item,

Πολλῶν λάκεδόνων λυμάντορες ἐπιδολωταί·

sed singulos quoque Philosophos aut Sectarum capita asperis sic Sillis, velut incomptis unguibus, discerpsisse, ut, dum de vitiis Philosophiae diceret, nec ipsis personis parceret: Et Timonis quidem versus retulit DIOGENES LAËRTIUS (9), quibus Socrates tum alia audit, tum Ἑλλήνων ἐπαοιδὸς, μυκτὴρ, εἰρωνευτὴς, similiaque. De moribus Viri, aut φιλογυνείᾳ, aut duplici toro, nullum, quod ad nos pervenerit, ipsi σκῶμμα excidit σατυρικὸν, de quibus tamen si quid rescivisset maledicendi argumentis, neque id reticuisset ipse, nec, dum in iisdem versarentur argumentis, testimonium illius aut Laërtius, aut Athenaeus, omisisset. — Timoni Phliasio, aetate et scribendi genere dispar, sed par ingenio atque in Philosophos odio, LUCIANUS fuit. Ut nullis ille placitis, nulli sectae, nulli homini, quam praeclaro etiam et illustri, gravis non fuit censor et acerbus irrisor, ita illius quoque notationem Socrates non effugit, cujus censurae

Silentium denique Luciani.

(6) Ὥσπερ ἀμέλει καὶ πάλαι ἔχαιρον (ὁ πολὺς λεὼς) καὶ Ἀριστοφάνει καὶ Εὐπόλιδι, Σωκράτην τουτονὶ ἐπὶ χλευασίᾳ παράγουσιν ἐπὶ τὴν σκηνὴν, καὶ κωμῳδοῦσιν ἀλλοκότους τινὰς περὶ αὐτοῦ κωμῳδίας. LUCIANUS *Pisc. sive Reviv.* Cap. 25. Tomo I. Opp. pag. 595. in f.

(7) LUCIANUS *Bis Accusato* Cap. 33. Tomo II. pag. 832.

(8) Vid. H. STEPHANI *Poesis Philos.* pag. 61.

(9) Lib. II. Segm. 19.

Sectio I. §. 9. vel sola *Vitarum auctio* luculentum est specimen: Et tamen neque in illo Libello, nec in *Reviviscentibus*, neque usquam, ubi nostri Philosophi ulla est vel persona vel mentio, de geminâ illius uxore aut de libidine in mulieres agitur, quamvis Luciani, multo magis quam Porphyrii, aetate superessent Aristoxenei *βίοι ἀνδρῶν*, varia *ὑπομνήματα*, aut quae plura Aristoxenus reliquit Peripateticae *πολυϊστορίας* monumenta. — Sed in hoc argumento, quod ad *διγαμίαν* Socratis spectat et Euripidis, jam diu satis haesimus. Tempus est, ut idem de Lege, qua duplex ejusmodi matrimonium Athenis licitum fuerit, urgeamus.

§. 10. *Silentium Vett. de Lege Digamiae.*

§. X. *Argumentum ex silentio Scriptorum de Lege, qua Διγαμία Athenis aliquando licita fuerit, proponitur, talemque Legem nunquam exstitisse demonstratur. Oratio* Isaei de Haereditate Philoctemonis *explicatur.*

" De Hieronymo (Peripatetico) autem quid dicam, qui idem Decretum, quo ,, binas uxores simul habere liceret, in medium profert? — Vides, Panae- ,, tium non credidisse; et cur non aeque Decretum commentitium esse po- ,, tuit, atque hac Epistolae?" -- Sic Bentlejus, interprete Lennepio, firmissimum contra Peripateticos Socratis calumniatores argumentum exorditur. Quis vero nobis, idem tractaturis, auspicatius initium dederit quam Vir ille, unus omnium summus et perspicacissimus, cujus vestigiis deinceps Hardionius et Gesnerus institerunt? — " Mirum est (sic porro verissime ratioci- ,, natur) nemini unquam, nisi Hieronymo, hoc Decretum auditum fuisse et ,, notum, et *ei quidem suspecto testi;* quod, ut extremis angustiis se expe- ,, diret, id protulerit. Sed tale factum publicum, si verum fuisset, latere ,, universam Historicorum nationem certe non potuisset. Non tantum me- ,, moriâ sed etiam observatione fuisset dignum. Quì vero fieri potuit, ut ,, intactum ab omnium Comicorum istius aetatis jocis et cachinnis maneret? ,, Quî, ut argumentum tam ridiculum, tam aptum scenae, silentio praeteri- ,, rent? Qui sciunt, quae temporum istorum fuerit conditio, hoc demon- ,, strationis instar habebunt." — Uti de Historicis universe Bentlejus, sic de Thucydide et Xenophonte nominatim jure optimo Hardionius (10) rogat,

(10) « *J'observeray en second lieu, que Thucydide et Xénophon, qui ont fait le détail ,, de la Guerre du Péloponnèse, et qui n'ont point négligé de marquer tout ce qui ,, s'est passé dans l'intérieur du Gouvernement d'Athènes, n'ont fait mention d'au- ,, cune*

" qui factum, ut hi Duumviri, qui belli Peloponnesiaci, ab initio ad finem usque, nobis memoriam tradiderunt, nec quidquam eorum, quae in administrandâ Republicâ Atticâ tum temporis facta sunt, literis mandare neglexerunt, Legis tam memorabilis, tam inauditi inter Graecos exempli, nullam injecerint mentionem, quae, scilicet, durante isto bello et propter istud bellum, διγαμίαν Athenis licitam pronunciaverit? Quî factum, ut Diodori Siculi de re tam singulari, tam propemodum incredibili, idem fuerit silentium?" SECTIO I. §. 10.

Silentium Grammaticorum et Oratorum.

Diatribes de ARISTOXENO Auctor, a quo ista priorum monita memorari oportuerat, neque ignorari aut silentio premi, *Oratorum* quoque Atticorum et *Grammaticorum* silentio utitur, ut Decretum vel *spurium* esse, vel *latum* quidem at non *perlatum* probet, addens porro (11), " id silentium, in re tam memorabili, in tam frequenti commemoratione rerum multo minus memorabilium, gravissimum habere pondus." -- Quod etiamsi de *Grammaticis* vere dici potuerit, de *Oratoribus* tamen an aeque adfirmandum sit, dubitari queat. Talia certe in Oratione ISAEI *de Haereditate Philoctemonis* reperiuntur, quae ab illo, qui rem in quaestione positam sive auctoritate sive silentio Oratorum se probare posse existimet, in medium adferri atque explicari oporteat; talia, inquam, quae mihi haud levem ab initio scrupulum ac dubitationem injecerunt, quaeque haec a REISKIO (12) scripta pepererunt. " Mira utique res (ait), Euctemonem *duas eodem tempore uxores* in matrimonio habuisse." Quippe tam perspicue, tam saepe in illâ Isaei Oratione de gemino matrimonio agitur, ex quo utroque liberi essent ab Euctemone relicti, ut absurda minime haec Reiskii observatio possit videri. jure tamen mirantis (uti erat Vir egregius Legum quoque Atticarum haud mediocriter peritus) in unâ istâ Oratione *de duabus uxoribus* agi, quae uni viro, eodem tempore, fuerint in matrimonio. Caussa haec est.

Oratio ISAEI *de Haered. Philoct. explicatur.*

Euctemon, idem ille, uti probabile est, qui Olympiadis 93^{tiae} anno primo, Archon Athenis fuit (13) eponymus, ex conjuge, filiâ Mixiadis Cephisci, su-

,, cune Loi, d'aucun Décret, qui tendit à permettre la Bigamie; que Diodore de ,, Sicile, qui a aussi écrit fort au long la Guerre du Péloponnèse, garde le même ,, silence sur le prétendu Décret." Mémoires de l'Acad. des Inscr. *Tom. VIII. pag.* 283.

(11) d. *Diatr.* pag. 84.

(12) Vol. VII. *Orat. Att.* pag. 157.

(13) Ex Marmore Oxoniensi, Diodoro Siculo etc. hujus anni Archontem eponymum Euctemona demonstravit EDUARDUS CORSINUS *Fast. Att.* Tomo III. pag. 256. Quum autem ex Isaei Oratione appareat, Euctemona illum, de quo agit, inter locupletissimos et insigniores cives fuisse Atticos,

aetas

SECTIO I. §. 10. perstites unum habuit filium Philoctemona, duas filias, quarum altera Phanostrato nupsit, altera Chaereae: Sed homo erat in magnis divitiis libidinosus et intemperans, adeo ut in ipsâ quoque senectute turpi voluptati indulgeret; namque aetate jam provectior (qui sextum scilicet impleverit annum ultra nonagesimum) spretâ uxore et liberis, frequentabat tabernam, in quâ vinum venale erat, quamque cum totâ insulâ ab eo ipso conductitiam habebat Alce, apud illius libertam prostibulum quondam in lupanari quaestum faciens, dein effoeto corpore deflorescens, quum illam ipse emisset Euctemon, Dionis cujusdam (ut prae se ferebat) uxor: Is vero Dion, postquam nonnullos ex eâ liberos pro suis agnovisset, criminis reus et poenam metuens Sicyona profugit; quo profugo, in illius Alces tandem domo et familiâ Euctemon habitavit, longaeque sed impurae vitae curriculum clausit. Divenditâ jam, dum viveret decrepitus et luxuriosus senex, magnâ fortunarum illius parte, ope atque consilio Alces ac reliquorum ex istâ consortione scortorum; expilatis, quae in ejus aedibus tabernâque erant, bonis ad haereditatem pertinentibus; — in scenam prodit Androcles, Euctemonis ille quidem consanguineus, sed in spoliando homine ac diripiendâ ejus pecuniâ fidissimus Alces adjutor et socius: Quibus rapinis cum reliquam haereditatem addere etiam conatur, illam ereptum it Chaerestrato, Euctemonis ex nuptâ Phanostrato filiâ nepoti, quem sororis filium Philoctemon ante patrem defunctus adoptaverat. Duos igitur alios, quos Euctemonis dicebat filios, (Philoctemonis adeo fratres) in lucem producit Androcles, quorum major natu haereditatem sibi vindicat, quosque prognatos ipse adfirmat ex alterâ Euctemonis uxore, Callippe quadam, Pistoxeni filiâ, cujus Callippes tutor quondam fuisse ab eo ferebatur senex. Eosdem vero ex Alce, dum Dionem maritum vel haberet vel diceret, genitos haud obscure significat Orator.

Quae jam, quaeso, contra has vindicias, Chaerestrati nomine atque avunculi illius Chaereae, ab Isaeo instituta est exceptio vel defensio? Anne haec, " nullos,

aetas autem viri in haec tempora cadat, probabili conjecturâ eundem fuisse Archonta existimo. Quippe Euctemon annum aetatis implevit nonagesimum sextum; caussa de haereditate illius ac Philoctemonis acta est, paulo post prioris mortem, Olymp. 103. sive ante Olymp. 104. (vid. PALMERIUM et REISKIUM *ad Isaeum* pag. 129.) Ergo in medio vitae cursu, 48. vel 50. annos natus, Euctemon, de quo agitur, aetatisque adeo in flore erat eodem illo anno, quo Euctemon Archon in Marmore Arundeliano, a Diodoro Siculo, forte etiam a Xenophonte, memoratur.

" nullos, dum viveret Mixiadis Cephisei filia, ex alterâ uxore, quae Callippe Sectio I. §. 10.
„ diceretur, liberos nasci potuisse *legitimos;* et, si ex aliâ feminâ Euctemoni „ proles fuerit, necesse esse, ut *adulterina* ea sit vel *spuria:?"* Nam, quum Euctemon centenario proximus e vitâ decederet, superstitem adhuc fuisse primam ejus uxorem, ex illâ Orationis parte clarissime patet, ubi, cognitâ mariti ac patris morte, haec mulier cum filiabus venisse dicitur, justa funebria defuncto facturae; (14) -- *ἐπειδὴ ἑτέρων πυθόμεναι ἦλθον αἱ θυγατέρες αὐτοῦ, καὶ ἡ γυνή.* — Et mox: *αἱ μὲν οὖν γυναῖκες, οἷον εἰκὸς, περὶ τὸν τετελευτηκότα ἦσαν.* — Anne igitur simplici istâ Isaeus defensione utitur, "fieri non posse, ut quis„ quam tam sit impudens, tam perfrictae frontis et vecors, ut haereditatem, „ filiabus ac nepoti Euctemonis debitam, vindicet liberis, quos ille, non ex „ concubinâ tantum, sed, superstite etiam uxore legitimâ, *furtivis amoribus,* „ per *adulterium* sibi quaesivisset? nullum judicem reperiri, qui vindiciis „ tam iniquis, tam inauditis, auctoritatem praestare suam velit? rem deni„ que esse in Civitate Atheniensi sine lege, sine exemplo, binas, quae cui„ piam Civi Attico eodem tempore fuerint, jactare nuptias, et ex utroque, „ quod simul duraverit, matrimonio susceptam prolem? --" Minime; sed, perinde ac si nihil sic novi, nihil accidisset praeter consuetudinem, vindiciis aliam prorsus et diversam opponit exceptionem, " nullam, nempe, *alterius* „ istius *conjugis* memoriam exstare; incognitam fuisse consanguineis, adfini„ bus, domesticis, servis; nullum testem produci, qui illam viderit unquam „ domûs et tori Euctemoni sociam (15); — deinceps, nec in Phratriâ, nec „ in Demo Euctemona eam pro uxore fuisse professum; nunquam sacrifi„ cium pro eâ fecisse, nec justa solvisse, nec celebrasse exequias; nec filios „ item, qui ex illâ geniti jam ferebantur, sed vere erant ex furtivo Alces „ complexu nati, matris Callippae Manibus tulisse inferias; uno verbo, Cal„ lippen meram esse umbram et haeredipetarum, qui reliquae locupletis „ senis *substantiae* (ut cum Jureconsultis loquar) inhiabant, larvam." Tantum vero ab isto de *illegitimis nuptiis secundis* (quod dicebamus) argumento abest Isaeus, ut contra fateatur, " si Antidorus cum fratre (pro qui„ bus Androcles haereditatem vindicabat,) ex muliere Cive Atticâ ab Eucte„ mone fuissent progeniti, neminem impedire potuisse, quo minus in Album „ Phratriae inscriberentur et haereditatem paternam jure suo cum reliquâ

(14) Pag. 60. 18. ed. Steph.
(15) Pag. 57. 40. ed. Steph.

Sectio I. §. 10.

„ parentis progenie partirentur:" *Τίς γὰρ ἂν γνησίους* (16) *ὄντας οἷός τε ἦν κωλῦσαι εἰσαγαγεῖν, — τοῦ νόμου κελεύοντος ἅπαντας τοὺς γνησίους ἰσομοίρους εἶναι τῶν πατρῴων.* Neque hoc satis: Quum morosus aeque ac libidinosus senex omni ope niteretur, ut Antidorus, major natu filius iste adulterinus, in commune Album Phratriae inscriberetur, obsisteret vero Philoctemon, atque ejus exemplo Phratores, minatus huic Philoctemoni pater est, liberorum quaerendorum caussâ aliam se uxorem ducturum esse domum; et re ipsâ sponsalia fecit cum muliere quâdam, Democratis Aphidnaei sorore: Quas nuptias demum omisit, et repudium huic sponsae renunciavit, postquam Philoctemon inscriptioni istius hominis *ἐν τῷ κοινῷ γραμματείῳ*, ut ab Euctemone patre illuc producti, (17) consensisset. Vivebat autem, uti modo observatum est, prior

(16) Pag. 58. 40. ed. Steph.

(17) Pag. 58. 35. ed. Steph. quo loco non possum, quin egregiam et non nisi a Viro, Antiquitatis Atticae peritissimo, exspectandam, Valckenaerii mei prodam emendationem. Haec Isaei sunt verba: *Εἰδότες δὲ οἱ ἀναγκαῖοι, ὅτι μὲν ἐξ ἐκείνου οὐκ ἂν ἔτι γένοιντο παῖδες, ταύτην τὴν ἡλικίαν ἔχοντος, φανήσοιντο δ᾽ ἄλλῳ τινὶ τρόπῳ, καὶ ἐκ τούτων ἔσοιντο ἔτι μείζους διαφοραὶ, ἔπειθον, ὦ ἄνδρες, τὸν Φιλοκτήμονα ἐᾶσαι εἰσαγαγεῖν τοῦτον τὸν παῖδα, ἐφ᾽ οἷς ἐζήτει ὁ Εὐκτήμων,* ΧΩΡΙΌΝ *ἐνδόντα.* --- Vertit Reiskius: « Necessarii itaque, bene gnari, cum ab ipso Euctemone, illuc aetatis provecto, proles nulla esset exspectanda, tum tamen verendum esse, „ ne nihilominus alio quopiam modo liberi prodirent, quos ut ille pro suis haberet atque „ jactaret, posset induci, ex eâque re multo majus exstiturum esse dissidium, persua„ debant, o! Judices, Philoctemoni, ut sineret a patre suo juniorem hunc .... in Phra„ toras induci, conditionibus iis, quae Euctemoni placerent, hoc est, cum addito agello" -- Anne vero *ἐνδοῦναι χωρίον* est *addere agellum?* An adolescenti, Civibus cum adscriberetur, peculium aliquod erat dandum, possessio adsignanda? Id nusquam proditum, nusquam auditum. An possessio illa a fratre erat adsignanda, an a pâtre filium Phratriae offerente? Si a patre, legendum utique esset *χωρίον ἐνδοὺς*, ut jungatur cum *ἐφ᾽ οἷς ἐζήτει ὁ Εὐκτήμων.* --- Sed nimirum nec de *agello* hic agitur, nec de possessione aut peculio. Paulo ante retulerat Isaeus, quomodo, postquam Philoctemon spurium istum Patris filium, sive nothum Antidorum, pro fratre suo agnoscere recusasset, Phratores quoque inscriptionem illius, ut Euctemone nati, *ἐν τῷ κοινῷ γραμματείῳ* negârant; *abductaque* adeo fuerat *victima, pro more jamjam immolanda:* (pag. 58. 28.) *ἐπειδὰν δὲ οὔθ᾽ οὗτος αὐτῷ Φιλοκτήμων συνεχώρει, οὔθ᾽ οἱ Φράτορες συνεδέξαντο, ἀλλ᾽ ἀπηνέχθη τὸ κουρίον, ὀργιζόμενος ὁ Εὐκτήμων κ. τ. λ.* ad quem locum, cum vocem rariorem *κουρίον* Palmerius non intellexisset et a viâ plane aberrasset, optime Reiskius « constare ait, *κουρίον*, vel potius *κουρεῖον*, fuisse sacrum, vel victimam, „ oblatam pro adolescente in album Phratorum inferendo." --- Etym. M. v. *κούρειον* col. 533. *οὕτω καλεῖται* (inquit) *ἐν Ἀττικῇ τὸ ἱερεῖον τὸ θυόμενον, ἡνίκα ἐγράφοντο οἱ κοῦροι εἰς τοὺς Φράτορας.* Quae porro addit de *μειαγωγίᾳ*, ea longe plenius enarrantur a Schol. Aristoph. *ad Ranas* v. 810. neque sunt hujus loci. Denique adjicit Etymologus: *ἡ δὲ ἡμέρα, ἐν ᾗ ἐποιοῦντο, ἐλέγετο κουρεῶτις.* Sed, quam vocem ab Harpocratione omissam miror, cam-

rectis-

Euctemonis uxor, Mixiadis Cephisei filia. En igitur! geminarum Athenis nuptiarum licentiam apertam, manifestam, a nemine negandam! En Oratorem, cujus testimonio constet, vera Hieronymum Rhodium scripsisse, et Lege Athenis *liberum atque fas fuisse, binas eodem tempore habere uxores!* Nodus saltem est, in quem REISKIUS incidisse sibi visus est, quemque expedire illum oporteat, qui, in hac disquisitione Socraticâ, Oratorum Atticorum uti voluerit auctoritate. Nobis quidem non tam videtur difficilis, ut vadimonium, quod promisimus, propterea sit deserendum. Quod Isaeo indictum est, et ex universâ tamen caussae ratione vero simillimum, tantum adjungendum est. Quid hoc sit, paucis, agedum, exponamus. SECTIO I. §. 10.

Uti longe maxima Juris Romani pars Foro Attico originem debet, Legesque Connubiorum et Atheniensibus et Romanis propemodum eaedem fuerunt, sic consuetudo, cujus Spurius Carvilius, cognomento Ruga, primum Romae dedit exemplum, matrimoniorum scilicet divertentium, Athenis illa diu ante invaluerat, sive vir uxorem, sive, ut ita dicam, virum uxor (18) dimitteret. Illa divortii species *ἀποπομπὴ*, haec *ἀπόλειψις* dicebatur. Prioris Lex erat (19): *Ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα· ἐὰν δὲ μὴ, ἐπ' ἐννέ' ὀβόλοις τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς Ὠδεῖον* (20) *εἶναι δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τῷ κυρίῳ.* — Alte- *Divortia Athenis recepta.*

rectissime interpretatur Auctor *Lexici Rhetorici* MS. Κουρεῖον· κοινῶς μὲν τὸ τῶν κουρέων ἐργαστήριον· ἰδίως δὲ καὶ τὸ διδόμενον ὑπὸ τῶν πατέρων τοῖς φράτορσιν, ὅταν εἰσφέρωσι τοὺς παῖδας εἰς φρατρίας· τὸ οὖν θυόμενον τότε ἱερεῖον κουρεῖον ἐκαλεῖτο. ---- Igitur legendum cum summo Viro: ἔπεισον, ὦ ἄνδρες, τὸν Φιλοκτήμονα ἐᾶσαι εἰσαγαγεῖν τοῦτον τὸν παῖδα, ἐφ' οἷς ἐζήτει ὁ Εὐκτήμων, ΚΟΥΡΙ'ΟΝ ἐνδόντα. — *Persuaserunt, o Judices, Philoctemoni, ut adolescentem istum, iis, quibus pater Euctemon postulabat, conditionibus, inter Phratoras adscribi sineret, victimam adeo adduci (et solemnia peragi) permittens.* Id nimirum est ἐνδοῦναι τὸ κουρεῖον vel κουρίον, *permittere, concedere, largiri, ut victima, tanquam in legitimâ inscriptione, et pro fratre germano, adducatur, atque, peractâ* μειαγωγίᾳ, *immoletur.* — *Vela ventis permittere* apud SUIDAM v. ἀνέντες est ἐνδοῦναι τὰ ἱστία τοῖς ἀνέμοις. — TIMAEUS in *Lex. Plat.* pag. 101. ed. sec. ἐνδοῦναι, προδοῦναι, παραδοῦναι, ἢ καὶ εἶξαι, ubi plura notavit Cl. D. RUHNKENIUS. Frequenter hoc verbo usus est THUCYDIDES: Sic e. gr. inter Syracusanos ait fuisse, *qui res suas Atheniensibus permittere vellent:* ἦν γάρ τι καὶ ἐν ταῖς Συρακούσαις βουλόμενον τοῖς Ἀθηναίοις τὰ πράγματα ἐνδοῦναι. Lib. VII. Cap. 48. Vid. Lib. IV. Cap. 89. init. &c.

(18) Nec tamen id sine idoneâ licebat caussâ; neque viro, neque uxori, uti Romae licuit, corruptis jam cum Republicâ moribus. Vid. I. TAYLOR *Elements of the Civil Law* pag. 353.

(19) Vid. S. PETITUM *ad Leg. Att.* Lib. VI. Tit. 2. §. 6.

(20) Legis haec verba memorat Auctor *Orat. adv. Neaeram* inter Opp. DEMOSTH. pag. 733. §. 81. in qua Vir maximus J. J. SCALIGER in *Pandecte Legum Atticarum*, quem Bibliotheca Academiae servat Leidensis, lectionem sequitur σίτου εἰσόδιον vel σίτου εἰσόδιον, quae

SECTIO I. §. 10. ta (21): Τὴν γυναῖκα τὴν ἀπολείπουσαν τὰ τῆς ἀπολείψεως γράμματα παρὰ τῷ Ἄρχοντι θέσθαι, μὴ δι᾽ ἑτέρων, ἀλλ᾽ αὐτὴν παροῦσαν. — Igitur in tantâ animorum disjunctione, quanta inter Euctemona fuit miseramque illius uxorem, quid magis probabile est, quam divortium intercessisse, factoque divortio ab illâ *torum viduum* fuisse servatum, dum maritus cum veteri scorto Alce puellisque, quas lena ista in illius alebat domo, libidini indulgens consuesceret? Nihil, fateor, de divortio in Oratione Isaei reperitur; neque vero id ad caussam pertinebat: Sed res ipsa clamat. Quum, aetate licet provectior, Euctemon, primum, per speciem mercedis pro locatâ domo exigendae, tabernam Alces, quam mulierem ipse meretricii amoris caussâ emerat Dionique cuidam collocaverat, quotidie frequentaret, mox ibi pranderet, coenaret, totosque dies considéret, graves illi cum uxore, cum liberis, exortae sunt discordiae et rixae. Ἡ συμφορὰ (inquit Isaeus,) αὐτὸν τοῖς οἰκειοτάτοις εἰς διαφορὰν κατέστησεν. Tandem in apertum discidium atque adeo in divortium res abiisse videtur, quod tamen divortium idem ille, qui *insaniam* Euctemonis συμφορὰν modo vocaverat, boni

itidem est apud BUDAEUM *in Comm. L. Gr.* pag. 44. Sed rectum est δικάσασθαι σίτου εἰς Ὠδεῖον ὑπὲρ τῆς γυναικός. A marito, qui cum uxore divortium fecisset, annua pensitatio, alimentorum caussâ, ad certam frumenti mensuram, illi erat praestanda, ut novimus, auctoribus HARPOCRATIONE in v. σῖτος et SUIDÂ in σίτου δίκη, quorum dicta testimoniis Oratorum confirmat S. PETITUS *de LL. Att.* Lib. VI. Tit. 2. in f. pag. 557. Conf. ISAEUM pag. 38. in f. pag. 46. 1. ed. Steph. Omnes autem caussae, quae de *re* erant *frumentariâ*, agebantur in Odéo, ubi Archontum unus cum Judicum Decuriâ pro Tribunali sedebat ad illas cognoscendas: POLLUX Lib. VIII. Segm. 33. τὰς δὲ ἐπὶ τῷ σίτῳ δίκας ἐν Ὠδείῳ ἐδίκαζον. Confer ARISTOPHAN. in *Vespis* v. 1103. Ratio erat, quod farinae dimensae, auctoritate publicâ, in Odéo iis, quibus frumenti accipiendi jus erat, distribuebantur, uti docet MEURSIUS *de Ceram. gem.* Cap. 11. qui idem Vir diligentissimus alia ad Odéum pertinentia collégit in *Lect. Att.* Lib. IV. Cap. 28. Igitur, quum in Odéo cuncta peragerentur, quae spectabant ad frumentum auctoritate publicâ exhibendum, illic quoque coram Archonte et Heliastarum Decuriâ rei uxoriae erat judicium, quando legitimus uxoris dimissae tutor ad consequenda et recuperanda alimenta marito dicam scripsisset. Pauca sunt, sed egregie, ut semper, notata hac de re PAULO LEO PARDO *Emend.* Lib. XI. Cap. 17. (*Lamp. Gruter.* Tomo III. pag. 227.)

(21) Sic saltem Legis verba constituit S. PETITUS *in Legibus Atticis* Lib. VI. Tit. 3. iisdem auctoritatibus usus, quibus I. MEURSIUS in *Them. Att.* Lib. II. Cap. 9. Post hos Duumviros haud poenitendam tamen operam fecit I. TAYLOR *Elements of the Civil Law* pag. 352. seqq. Utramque et ἀποπεμπὴν et ἀπόλειψιν memorat ISAEUS *de Haereditate Pyrrhi* pag. 41. 24. ed. Steph. ἐὰν ἀπολίπῃ ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα, ἢ ἐὰν ὁ ἀνὴρ ἐκπέμψῃ τὴν γυναῖκα, οὐκ ἐξέσται πράξασθαι τῷ δόντι, ὃ μὴ προικὶ τιμήσας ἔδωκεν.

ominis caussâ atque per *urbanitatem* illam, ingenio Attico propriam, Isaeus silentio premit aut tectis tantum verbis significat: ἐνιότε δὲ καὶ ἐσιτεῖτο μετὰ τῆς ἀνθρώπου, καταλιπὼν καὶ τὴν γυναῖκα, καὶ τοὺς παῖδας, καὶ τὴν οἰκίαν, ἣν ᾤκει· χαλεπῶς δὲ φερούσης τῆς γυναικὸς, καὶ τῶν υἱέων, οὐχ ὅπως ἐπαύσατο, ἀλλὰ τελευτῶν παντελῶς διῃτᾶτο ἐκεῖ, (divortio scilicet facto cum uxore, cui tamen liberisque domum suam reliquerat;) καὶ οὕτω διετέθη εἴθ' ὑπὸ φαρμάκων (pie sic Orator pro filio dicit, patris narrans insaniam an amentiam) εἴθ' ὑπὸ νόσου, εἴθ' ὑπ' ἄλλου τινός, κ. τ. λ. Quod si, defuncto marito, uxor derelicta in ipsam usque tabernam vinariam venerit, male de se merito viro justa cum filiabus factura corpusque lavatura, caritatem hanc, in muliere probâ laudandam, equidem pro argumento non habeam, maritum, qui per tot annos cum scorto habitaverat, ab illâ non divertisse.

Sectio I. §. 10.

§. 11. *Scena Attica Διγαμίαν Athenis illicitam demonstrat.*

§. XI. *Legem Διγαμίας Athenis nunquam exstitisse, testimonio Scenae Atticae probatur.*

Quo magis sic sentiam, Isaeumque (prouti fecimus) explicandum existimem, scena facit Attica, Legum morumque Atticorum testis veracissima, sive Graecam illam adhuc habeamus, sive Latino sermone loquentem: Nam in tot Comoediis Plautinis, ubi filia est patre Attico sed clam genita, velut in *Cistellaria*, *Epidico*, reliquis, furtivi hi amores aut clandestinae nuptiae nunquam pro justis ac legitimis celebrantur, nec verbum ullum de istâ reperitur licentiâ, qua vir unus ex duabus uxoribus, eodem tempore in illius manu et potestate positis, liberos sibi quaereret. Ex *Mercatore*, contra, manifestum est, inter indecora facinora, quae mulier nupta jure suo ulcisceretur, id fuisse, si concubinam vel scortum maritus clam haberet, domumve duceret. Male-sani amoris sibi sui conscius Demipho (1) metuit propterea,

—— *quasi hircum ne uxor se castret sua*!

Mox alter senex Lysimachus, uxori Dorippae suspectus, quae rure ex improviso reversa domi suae puellam invenerat, amici Demiphontis caussâ illuc inductam, coram conjuge timidus haesitat, stupet, confunditur: Illa, cui, Junoni suae, Alcumenam pellicem Syra serva per jocum erat gratulata, in

(1) Act. II. Sc. 2.

Sectio I. §. II. miserum sed innocentem maritum vehementissima, ac *tota in fermento jacens*, inter alia jurgia et opprobria divortium minatur.

> *Nec pol* (2) *ego patiar, sic me nuptam tam male;*
> *Measque in aedes sic scorta obductarier.*
> *Syra, i, rogato meum patrem verbis meis,*
> *Ut veniat ad me jam simul tecum.*

Deinde idem, quem diximus, Lysimachus veretur, ne uxor Demiphontis facinus *resciscat* (3), maritumque *loris caedat*. Ipse autem Demipho peccatum (4) confitetur:

> — — *Fateor; deliqui profecto:*

Quomodo et ante Dorippa viro suo dixerat (5):

> — — *Manifesto teneo; in noxiâ es.*

Quae vero erat *noxia*, quod *delictum*, si praeter *unicam*, quam se habere perturbatus (6) dicebat senex, et *alteram uxorem* ducere assolita res Athenis fuisset et pervulgata?

Terentii *aeque ac* Plauti *hac in re auctoritas.*

Quin luculentius exemplum, quam turpe in istâ civitate marito fuerit praeter uxorem cum aliâ clam consuescere, atque ex eâ prolem suscepisse, — luculentius, inquam, exemplum Terentianâ *Phormionis* Fabulâ cogitari nequit, quae Fabula, quamquam in pluribus *Mercatori* Plautino sit similis, ad rem tamen nostram nimis facit, quam ut illam silentio praetereamus. Chremes, clam uxore Nausistratâ, in Lemno alteram duxerat; atque, dum prior Athenis dormiret, ex alterâ istâ filiam jam unam susceperat. Rem Nausistratae aperit parasitus Phormio (7): Quid fit? Anne sibi id licitum adfirmat Chremes? nihil a se commissum, quod indecorum sit cuipiam, aut in civitate inauditum; fas esse duas Athenis habere uxores, multo magis in Lemno peregrinam ducere, cum qua viduas illic longasque noctes transigat? Minime! -- Tanquam si scelus commisisset, aut Cereris vulgasset sacra, to-

(2) Act. IV. Sc. 4. v. 45.
(3) Act. V. Sc. 4. v. 43.
(4) Ibid. v. 22.
(5) Act. IV. Sc. 3. v. 30.
(6) Ib. Sc. 4. v. 28.
(7) Act. V. Sc. 8. v. 15. seqq.

tus friget vir miserrimus, pudore suffusus, timore enectus: Culpam fatetur; et pro eo deprecatur Demipho frater; facinus indignum Nausistrata clamat et malum; aequo animo se id laturam negat. Eia vero, mea Nausistrata, bona verba, quaeso! Quod *Deus fecisset, qui templa coeli summa sonitu concutit,* id sibi *homuncioni* licitum, civis tuus arbitrabatur Chaerea. Idem tu tecum reputes: Quod hominum sapientissimus fecit Socrates, quod mulierum osor acerrimus Euripides; — quod uterque fecerunt Lege suadente non tantum, sed etiam jubente, ut vastitas Athenarum, quam bellum pestisque intulerant, duplicatâ maritorum operâ evanesceret; — quod vulgo igitur mariti fecerunt Attici faciuntque etiamnum, id soli Chremeti non liceret? Et tu propterea succenses, quod (8)

SECTIO I. §. II.

Vinolentus fere abhinc annos quindecim mulierculam

compresserit? Et discidium minaris? et *peccatum* id illius appellas? et te habere credis

— *ei, quod, dum vivat, usque ad aurem obgannias?*

Haud ita certe oportuit! -- Et tu, Demipho,

— *quando jam accusando fieri infectum non potest,*

pro fratre culpam deprecaris:

Orat, (inquis) *confitetur, purgat; quid vis amplius?*

At te deprecatore non est opus: Nulla culpa admissa est: Binas uxores Chremeti in ipsâ Athenarum urbe, spectantibus omnibus, habere licebat: Quidni unam civem Athenis, alteram peregrinam in Lemno? --

Sed jocorum jam satis est; et, praeter *Mercatorem* Plautinum, ex solâ hac Terentianâ *Phormionis* Fabulâ constare opinor, indecorum Athenis fuisse visum et probrosum, si vir uxorem habens cum aliâ consuesceret, multo etiam magis si geminas eodem tempore nuptias contraheret, -- aetate quidem Isaei, de cujus testimonio quaerebatur, -- nam de aetate Socratis mox pluribus dicendum. -- Habita est Oratio *de Haereditate Philoctemonis* quinquaginta-duo annos, postquam, Archonte Arimnesto (9), exercitus in Expe-

ISAEI *aetate Διγαμία Athenis illicita.*

(8) Ibid. v. 28.

(9) *De Haered. Philoct.* pag. 57. 33.

Sectio I. §. 11. ditionem Siculam fuerat missus. Hic vero Arimnesti Archontis annus cum incidat in Olympiadis XCI^ae annum primum, sequitur, hanc in judicium caussam deductam fuisse (10), Chione vel Timocrate Archonte, Olympiados CIII^ae anno quarto vel CIV^ae primo. Jam autem argumentis, quae nemini levia videbuntur, docte haud minus quam acute Gatakerus (11) probavit, Terentianum Phormionem esse Fabulam *Διαβάλλοντες*, cujus auctorem ex Stobaeo et Polluce Apollodorum Carystium novimus. Fuit porro Apollodorus Carystius novae Comoediae Poëta, quem aeque ac cognominem Geloum Viri Docti referunt ad Menandri aetatem, adeoque inter Olympiada CX^mam et CXX^mam. Igitur, quum ab Isaei aetate non multum abfuisse videatur, uti nec longe ab eâ abfuit Philémon, Menandri aequalis, ex cujus Ἐμπόρῳ *Mercatorem* pene totum desumtum esse, ipse Plautus testis est:

Διαβάλλων 'Apollodori Carystii Fabula.

> *Graece haec vocatur* Emporos *Philémonis;*
> *Eadem Latine* Mercator *Marci Accii;*

conficere ex his omnibus licet, isto saltem aevo *διγαμίας* licentiam, si unquam fuerit, Athenis fuisse sublatam.

Enimvero instabunt, qui Hieronymo Rhodio, Satyro, caeterisque Peripateticis, favent Patroni, -- instabunt, ne isti malae fidei culpâ arguantur, antiquiorem esse Legem, neque ultra Bellum Peloponnesiacum perdurasse. At quo, quaeso, anno, quo rogante, quo suadente fuit abrogata? Quis de istâ abrogatione testatur? quis Historicus, quis Orator? Idemne de abrogatione, ac de latione Legis, omnium est silentium? Fuit quidem de natalibus nothorum et juribus, quibus illi cum prole legitimâ aequis uterentur, primis Belli Peloponnesiaci annis Lex proposita et promulgata, eademque cum aliis, quas temporum pepererat tristitia, post Anarchiam, Archonte Euclide, abrogata: Verum, si de istâ quidem hic Lege agitur, uti planissime nobis persuasum est, ac deinceps demonstrabitur, aliam non esse praeter illam, quam Hieronymus Rhodius in medium protulit; — si id igitur verum est, tum certe haud optimâ fide Polyhistores egerunt Peripatetici, quando ne primis quidem Belli Peloponnesiaci annis, uti nec ante neque postea, Athenis licitum fuit, binas eodem tempore *justas* habere *nuptias*, duasque simul uxores. Id paucis probandum.

Silentium SS. de abrogatione Legis.

§. XII. Διγαμίαν

(10) Confer quae supra notavimus ad §. X. pag. 56. vid. porro Ed. Corsini *Fast. Att.* ad illos, quos indicavimus, annos.

(11) *Advers. Misc.* Lib. I. Cap. 9. col. 232. d. e.

Sectio I, § 12.

§. XII. *Διγαμίαν ne tempore quidem Belli Peloponnesiaci Athenis aut consuetam aut licitam fuisse, pluribus ostenditur.*

Διγαμία Athenis illicita etiam tempore Belli Peloponnesiaci.

Si Hieronymo Rhodio credimus, lata fuit Lex turpissima ad reparandam stragem, quam bellum et pestis ediderant Athenis: Igitur rogata est post initium Belli Peloponnesiaci, id est, illo tempore, quo vixerunt in eâ civitate aut ex hac orti sunt omnes propemodum antiqui Scriptores Attici, Philosophi, Historici, Tragici, unus etiam Comicus, Oratores plures, quorum scripta et labores ad nos usque tulerunt aetatem. Anne igitur vel unus est, ex quo, argumento satis firmo, confici contra non possit, et Naturae et Civitatis Legem fuisse habitam, ut vir unus unâ viveret cum uxore? Et primum quidem ipse Socrates, quem ex universâ Antiquitate Graecâ, praeter Anaxandridem Spartanum, Dionysium Siculum, et alios forte Reges aut Tyrannos, propemodum unicum referunt, qui binas eodem tempore habuerit uxores, — ipse, inquam, Socrates apud XENOPHONTEM (1) colloquium cum viro optimo ac honestissimo, Ischomacho, a se aliquando habitum sic refert, ut adsensum illi adhibuisse, aut potius ipse sub Ischomachi personâ disseruisse, planissime videatur. Jam autem ista Ischomachi disputatio ejusmodi est, ut matrimonium illi individua unius viri cum unâ muliere sit consuetudo vitae: Quare hanc consuetudinem, hanc societatem ζεῦγος ait, *ὃ καλεῖται θῆλυ καὶ ἄῤῥεν*, ex quo hominum pari adjutoria senectutis progignantur: *ἔπειτα τὸ γηροβοσκοὺς κεκτῆσθαι ἑαυτοῖς ἐκ τούτου τοῦ ζεύγους τοῖς γοῦν ἀνθρώποις πορίζεται.* — Quis vero ζεῦγος diceret, si ex Naturae Lege aut Civitatis Decreto aliquo plures simul uxores uni viro habere licuisset? Quis *jumentorum bigam* tria jumenta appellaverit? Sed, quando nostra, beneficio COLUMELLAE (2), utilissimi Scriptoris, haec est felicitas, ut Socratem Xenophontéum, interprete Romanorum eloquentissimo, audire queamus, agedum, Philosophum nostrum, sub Ischomachi personâ, quae matrimonii sit natura, quis finis, quis fructus, disserentem audiamus. — " Maritale conjugium sic comparatum est ,, naturâ, ut non solum jucundissima, verum etiam utilissima, vitae socie-,, tas iniretur: Nam primum, ne genus humanum temporis longinquitate ,, occideret, propter hoc mas cum feminâ conjunctus est; deinde ut ex hac

XENOPHONTIS *testimonium.*

(1) In *Oeconomico* Cap. 7. ed. Bacchii; (pag. 487. ed. Stephan.)

(2) *De Re Rusticâ* Lib. XII. in praef. seu initio.

Sectio I. §. 12.

„ eâdem societate mortalibus adjutoria senectutis, nec minus propugnacula, „ praepararentur. Tum etiam, cum victus et cultus humanus, non uti „ feris in propatulo ac sylvestribus locis, sed domi sub tecto accurandus „ erat, necessarium fuit alterutrum foris et sub dio esse, qui labore et in- „ dustriâ compararet, quae tectis reconderentur: — Cum vero paratae res „ sub tectum essent congerendae, alium esse oportuit, qui et illatas custo- „ diret, et ea conficeret opera, quae domi deberent administrari: — Quare „ jure natura comparata est mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem „ ad exercitationem forensem et extraneam. Itaque viro calores et frigora „ perpetienda, tum etiam itinera et labores pacis ac belli, id est, rustica- „ tionis et militarium stipendiorum Deus tribuit: Mulieri deinceps, quod „ omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tra „ didit." — Quibus quidem ab Ischomacho cum Socrate disputatis, ac reliquis quae apud Xenophontem leguntur, nescio quid verius, quid praestantius de Matrimonio, sive apud Veteres, sive apud Recentiores scriptum sit unquam. — Sed quae frons Ischomacho fuisset ista disputanti, aut po-

Socrates ipse contra Διγαμίαν testis.

tius quae frons Socrati talia referenti, quae Xenophonti talia scribenti, si eâdem illâ tempestate, ac dum flagraret Bellum Peloponnesiacum, cujus caussâ Legem *Διγαμίας* latam Hieronymus Rhodius prodidit, Athenis fas et legitima fuisset consuetudo, ut unus vir cum duabus feminis foret conjunctus? Quis Socrati praesertim pudor, si ipse, qui matrimonium *ζεῦγος* vocat, *ὃ καλεῖται θῆλυ καὶ ἄῤῥεν*, desultorius adeo fuisset, ut, praeter jugalem suam, administrationi rei domesticae lectoque geniali aliam quoque sociam adscivisset?

Plura ex Scriptoribus Atticis, Oratoribus aliisque, huc congeri possent; sed, quoniam Socrates Euripidesque soli memorantur, quibus in Civitate Atticâ duae eodem tempore fuerint uxores, in hoc etiam virorum pari subsistamus. — Et, quando de Socrate jam egimus, videamus de Euripide. — Stobaei *Florilegium* quis mihi sumat in manus, Titulumque perlegat,

Euripides contra Διγαμίαν testis.

cujus argumentum est, *rem pulcherrimam esse nuptias* (3), item alterum, *pro diversis conjugum moribus, nunc prodesse, nunc obesse nuptias* (4): Quot, quaeso, loci Euripidei, illuc relati, non testabuntur, matrimonium Tragico nostro fuisse *unius viri cum unâ feminâ individuam vitae consuetudinem?* — Primum, quod priori Titulo occurrit, Fragmentum est ex *Oedipode* Euripidéo.

(3) *Florileg. Grot.* Tit. LXVII.

(4) Ibid. Tit. LXIX.

Μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή· Sectio I. §. 12.
Ἴσην γὰρ ἀνδρὶ συμφορὰν εἶναι λέγω,
Τέκνων θ' ἁμαρτεῖν, καὶ πάτρας, καὶ χρημάτων,
Ἀλόχου τε κεδνῆς· ὡς μόνων τῶν χρημάτων
Ἧ κρεῖσσόν ἐςιν ἀνδρὶ, σώφρον' ἂν λάβῃ.

Mox alterum ex *Phryxo* :

Γυνὴ γὰρ ἐν κακοῖσι καὶ νόσοις πόσει
Ἥδιςόν ἐςι, δώματ' ἢν οἰκῇ καλῶς,
Ὀργήν τε πραΰνουσα, καὶ δυσθυμίας
Ψυχὴν μεθιςᾶσ'. ἡδὺ καὶ ἀπάται φίλων.

Altero Titulo Fragmentum est Euripidis.

Οὐ πάντες οὔτε δυςυχοῦσιν ἐν γάμοις,
Οὔτ' εὐτυχοῦσι· συμφορὰ δ' ὃς ἂν τύχῃ
Κακῆς γυναικὸς, εὐτυχεῖ δ' ἐσθλῆς τυχών.

Et in his et in illis, quae sequuntur, reliquiis una semper memoratur *γυνή*, una *ἄλοχος*, quae bona virum efficiat beatum, mala reddat miserrimum. — Sed quid plura referre attinet? Vel una Fabula *Andromaches* Euripidéa sententias quam plurimas habet, si *διγαμία*, justis nuptiis contracta, isthac aetate fuisset consueta, inutiles plane, absurdas, falsas.

— Τοιοῦτο πᾶν τὸ βάρβαρον γένος (5).
Πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται,
Κόρη τ' ἀδελφῷ· διὰ φόνου δ' οἱ φίλτατοι
Χωροῦσι· καὶ τῶνδ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος.
Ἃ μὴ παρ' ἡμᾶς εἴσφερ'· οὐδὲ γὰρ καλὸν,
ΔΥΟΙ͂Ν ΓΥΝΑΙΚΟΙ͂Ν ἌΝΔΡ' ἘΝ' ἩΝΊΑΣ ἜΧΕΙΝ.
Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν
Στέργουσιν, ὅςις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει.

Paulo post (6):

(5) V. 172. seqq.
(6) V. 214. seqq.

Sectio I.
§. 12.

Εἰ δ' ἀμφὶ Θρῄκην, χιόνι τὴν κατάῤῥυτον,
Τύραννον ἔσχες ἄνδρ', ἵν' ἐν μέρει λέχος
Δίδωσι πολλαῖς εἷς ἀνὴρ κοινουμένας,
Ἔκτεινας ἂν τάσδ';

Itaque Tyranni quidem, Thracum ac reliquorum barbarorum, erat, duas eodem tempore habere uxores, neque id illis Lege vetitum erat: — τῶν δ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος. Apud Graecos contra id turpe, indecorum, nefas censebatur. Quocirca mox Hermione ad Andromachen (7):

Οὐ βαρβάρων νόμοισιν οἰκοῦμεν πόλιν.

Ad quae respondet altera:

Κἀκεῖ τά γ' αἰσχρὰ κἀνθάδ' αἰσχύνην ἔχει.

Tandem, cum Orestes violatam a Neoptolemo fidem conjugii intellexisset, atque illi interroganti,

Ἄλλην τιν' εὐνὴν ἀντὶ σοῦ στέργει πόσις (8);

respondisset Hermione:

Τὴν αἰχμάλωτον Ἕκτορος ξυνευνέτιν·

geminum torum, tanquam rem illicitam, Orestes vituperat tam perspicue, tam aperte et palam, ut lubens abs Hieronymo Rhodio iisque, qui illius sequuntur fidem, quaesierim, existimentne, ausurum fuisse Tragicum, talia in scenam proferre, si ratum perlatumque Athenis Psephisma διγαμίαν licitam pronunciasset? Scilicet ausus id fuerit Tragicus, non fuerint ausi Comici! Nam argumento isto levissimo, (et quod ridiculum dicerem, nisi idem illud a bonâ fide nimis alienum videretur, quam ut risum pati possit) -- argumento igitur isto Fabulae auctores usi sunt, ut silentium Comicorum excusarent: Εἰ μὴ ἄρα (inquit (9) ATHENAEUS) συγκεχωρημένον κατὰ ψήφισμα τοῦτο ἐγένετο τότε διὰ σπάνιν ἀνθρώπων, ὥς' ἐξεῖναι καὶ δύο ἔχειν γυναῖκας τὸν βουλόμενον· ὅθεν καὶ τοὺς τῆς κωμῳδίας ποιητὰς ἀποσιωπῆσαι τοῦτο, πολλάκις τοῦ Σωκράτους μνημονεύοντας. —— Aristophanes nimirum, Eupolis, ac caeteri veteris Comoediae Auctores,

Comicorum silentium de Lege Διγαμίας pro testimonio est.

(7) V. 242.
(8) V. 901.
(9) Lib. XIII. pag. 555. D.

quibus in universâ Republicâ Atticâ nihil tam sanctum, tam reverentiâ, studio, observantiâ, metu etiam et timore dignum videbatur, quin dentem illorum maledicum experiretur; quorum supra jocos cachinnosque nihil erat positum; qui sacra aeque ridebant et profana, populi concionem aeque et religionum majestatem; qui totis Dramatibus Tribunalia Patriae, augustissimam ipsam Heliaeam exsibilabant, civiumque suorum in fungendo judiciali munere tum ambitionem pravam et ridiculam, tum avaritiam et habendi cupiditatem liberrime notabant; qui Cleona et Hyperbolum scurrili et scenicâ dicacitate aeque appetebant ac Periclem (10), Niciam, et Alcibiadem; -- illi denique Comici, Sectio I. §. 12.

—— *quorum in vitium libertas excidit, et vim*
Dignam lege regi, ——

tam pudentes, tam fuerunt verecundi, ut solum hoc Psephisma, quod geminarum eodem tempore nuptiarum veniam dabat, arrodere vererentur, tale tamen Populi scitum, quod, ut vere judicabat Bentlejus, *tam aptum scenae, tam ridiculum* iis praebebat argumentum! Et, quod Comici, istâ Reip. conditione aut temporum potius licentiâ, non sustinuerunt, id, si fas est credere, solus fecit Euripides; -- fecit autem, quando ipse, cum familiari suo Socrate, Legis quidem veniâ usi, turpiter tamen, geminam uxorem haberent domi! — Haec, si cuipiam vera, aut vero etiam similia, videantur,

Credula non ravos timeant armenta leones,
Ametque salsa levis hircus aequora.

(10) Classicus Ciceronis locus est in Libris *de Republicâ*, apud Augustin. *de Civit. Dei* Lib. II. Cap. 9. « *Apud Graecos antiquiores fuit etiam lege concessum, ut quod vellet, Comoedia nominatim, vel de quo vellet, diceret. Itaque, — quem illa non attigit, vel potius quem non vexavit, cui pepercit? Esto: Populares homines, improbos, in Rep. seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit: — Patiamur, etsi hujusmodi cives a Censore melius est quam a Poëtâ notari: Sed Periclem, cum jam suae civitati maximâ auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, violari versibus et eos agi in scenâ non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset, aut Naevius, P. et Cn. Scipioni, aut Caecilius Marco Catoni maledicere.*" Quam libere autem Periclem in scenâ exagitaverint non Comicorum tantum principum trias *Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque Poëtae*, sed Plato etiam Comicus, Teleclides, Dexippus, testis est in vitâ illius Plutarchus. Vid. Aeg. Menag. inter *Vitas Mulierum Philosopharum* in Vitâ Aspasiae pag. 488. Bayle in v. *Pericles* Notâ e.

SECTIO I. §. 12.

Sed enim quid argumentis ex EURIPIDE plura colligimus? Planissimum et perspicuum ipsius adest testimonium, quo adfirmat, id juris suà aetate esse Athenis, ut *unus vir cum unâ conjuge justis nuptiis sociaretur.* Fragmentum est ex Tragoedia *Ino* a STOBAEO (11) servatum:

Expressa EURIPIDIS auctoritas.

Νόμοι γυναικῶν οὐ καλῶς κεῖνται πέρι.
Χρὴ γὰρ τὸν εὐτυχοῦνθ' ὁτιπλείςας ἔχειν
Γυναῖκας. εἴπερ ἂν τροφὴ δόμοις παρῆν·
Ὡς τὴν κακὴν μὲν ἐξέβαλλε δωμάτων,
Τὴν δ' οὖσαν ἐσθλὴν ἡδέως ἐσώζετο.
Νῦν δ' εἰς μίαν βλέπουσι, κίνδυνον μέγαν
Ρίπτοντες· οὐ γὰρ τῶν τρόπων πειρώμενοι
Νύμφας ἐς οἴκους ἑρματίζονται βροτοί.

Hunc locum, quia in eo potissimum cardine res vertitur, Latine quoque adscripsisse juvat, cum id GROTIANIS verbis liceat, Grotianam autem interpretationem, Graeco vati saepius parem, interdum illi superiorem, quavis occasione datâ legisse jucundissimum illis est, qui *dulcibus ante omnia Musis* justum pretium statuere norunt:

Haud scripta recte jura sunt connubiis.
Decuit beatum pluribus se uxoribus
Sociare, quantas alere sufficeret domus,
Ut inaudientem pelleret penatibus,
Bonam volenti corde servaret sibi.
Nunc UNA SOLA ACCIPITUR, immenso nimis
Vitae periclo: Nam, priusquam intrat domum
Nova nupta, nulla moris exploratio est.

Quod Tragici Fragmentum quando diligentiam non effugit IOANNIS TAYLORI, ubi quam plurima testimonia de licitâ illicitâve διγαμίᾳ apud Veteres collegit (12), inter haec multa, quae et mihi olim in hunc usum paraveram,

(11) Tit. LXVIII. *Florileg. Grot.* pag. 280.

(12) *Elements of the Civil Law,* pag. 341. ubi, post relatum GELLII locum XV. 20. haec addit. — « *It is remarkable, that this little History of Euripides exactly suits with „ the sentiments, and with the way of arguing also, which he has given to one of „ his Characters in his Tragedy of* INO, *now almost all lost.*" — Mox, descripto Inûs Fragmento, subjicit: *A very comfortable Doctrine for the Fair sex truly!*

nollem tamen scripsisset, " istius loci sententiam ac vota apprime et rectissime convenire cum vitâ ac moribus Euripidis, qui, teste GELLIO, *quamvis abhorruerit a mulierum coetu, duas tamen simul habuerit uxores.*" Quam lubricum et suspectum hoc esset ex *Noctibus Atticis* testimonium, vel inde conficere Taylorus potuisset, quod addat Gellius, id *Decreto ab Atheniensibus facto jus fuisse;* apud Euripidem vero Athamas (13) aliave persona Tragica, ipso referente Tayloro, queratur: SECTIO I. §. 12.

Haud scripta recte jura quod sint nuptiis,
Quando UNA SOLA ACCIPITUR.
Νῦν δ' ΕΙ'Σ ΜΙ'ΑΝ *βλέπουσι.* (14)

Qui poterant cogi mariti *εἰς μίαν βλέπειν, unius uxoris parere imperiis,* si *Decreto ab Atheniensibus facto tunc licuisset, duas simul habere uxores?* Nec respondeat ad haec aliquis, Inô Euripideam bello Peloponnesiaco esse priorem, quippe quae Fabula ab ARISTOPHANE jam in *Acharnensibus* (15) rideatur; Acharnensium autem Comoedia acta fuerit Olympiados LXXXV^ae anno tertio vel quarto, judice etiam IOANNE-ALBERTO FABRICIO (16), adeoque quinque vel sex annis ante bellum funestissimum pestemque, quae Psephismati caussam dederint. Hoc, inquam, argumento nemo sententiam nostram convellere se posse existimet, quia, ex ipsis Comici verbis, post PALMERIUM et SAMUELEM PETITUM (17), errorem JOSEPHI SCALIGERI (18) et IOANNIS MEURSII luculenter EDUARDUS CORSINUS (19) demonstravit, probavitque, Acharnenses sexto demum belli Peloponnesiaci anno, Olympiados LXXXVIII^ae anno tertio, in scenam prodiisse. Porro recentem illius *Ino Euripidea quando acta.*

(13) Athamanti certe Inûs crimina et injuriae justam satis querelarum caussam dederant, ut hanc ipsi vel ministrorum alicui aut Choro ῥῆσιν tribuamus. Vid. HYGIN. Fab. II. pag. 19.

(14) Phrasis Euripidi hac in re familiaris et propria; sic paulo supra in loco ex *Andromache* v. 178. vidimus:

Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν
Στέργουσιν, ὅςις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει.

(15) *Acharn.* v. 433.

(16) *Bibl. Graecae* Vol. I. pag. 708.

(17) *Miscell.* Lib. I. Cap. 4.

(18) Illustrem SCALIGERUM constat Auctorem esse *Descriptionis Olympiadum*, qui, tanquam Anonymus Auctor veteris Chronologiae Graecae, permultos in errorem induxit, viros etiam doctissimos.

(19) *Fast. Att.* Tomo II. pag. 66. Tomo III. pag. 221.

Sectio I. §. 12. illius Tragoediae isto tempore fuisse memoriam, pendulaeque Inûs miserias Atheniensium animis adhuc velut obversatas, colligere licet ex *Vespis* (20), ubi iterum, risus captandi caussâ, Euripidem Comicus notat.

—— Καὶ σὺ δή μοι Χαιρεφῶν
Γυναικὶ κλητεύειν ἐοικὼς θαψίνῃ,
Ἰνοῖ κρεμαμένῃ πρὸς ποδῶν Εὐριπίδου.

Vespae actae fuerunt Olympiados LXXXIX^ac^ anno secundo (21), tres quatuorve annos post exhibitos *Acharnenses*. Idcirco, quando ambabus his Fabulis, quae sibi invicem tempore sunt proximae, Aristophanes Tragoediam Inûs Euripideam jocorum suorum materiam fecerit, satis tuto mihi videor affirmare posse, Euripidem haud diu antea illam docuisse, adeoque vetus Jus Atticum, quo *unius viri cum unâ tantum uxore justae erant nuptiae*, primis belli Peloponnesiaci annis non fuisse abrogatum: Atque id verum est, quamquam haud diffiteor, eâdem istâ tempestate Psephisma, quod Hieronymus Rhodius protulit, a Populo Atheniensi decretum esse; cujus tamen Decreti quae fuerit vis, quae sententia, quae caussa, deinceps, suo loco, latius ostendemus.

§. 13. *Aliae contra Διγαμίας fabulam rationes recensentur.*

§. XIII. *Aliae rationes recensentur, propter quas Διγαμίαν Athenis unquam licitam fuisse minus sit probabile.*

Et haec quidem sunt, quae contra communem opinionem, de *geminâ Uxore Socratis* et de *Διγαμίᾳ* Atticâ, certissima mihi argumenta videantur. Alia sunt, quae, probabilia licet et magnam veri speciem habentia, eodem tamen gradu consistere haud existimo: Tales duae sunt observationes, quarum prior a Bentlejo, altera profertur ab Hardionio. — Vidimus, quam severe, quam aspere Prideauxius in Socratem sit invectus, " qui exempli ,, sui auctoritatem praestiterit consuetudini, quae Naturae adeo adversatur, ,, et hominum societati tam est perniciosa; quandoquidem res est rationibus ,, et subductis calculis certissima, numerum marium, qui quotannis in ge- ,, nere humano nascantur, semper numero feminarum paullo esse majorem: ,, Quo

(20) V. 1405.

(21) Vid. Sam. Petiti *Miscell.* Lib. I. Cap. 8.

,, Quo constet, Numini, qui conditor est hujus Universi, propositum nunquam fuisse, ut unus vir plures unâ habeat uxores." Eadem ratio penes BENTLEJUM valuit, non ut Socratem censurâ vexaret, sed ut ridiculam minimeque similem veri fabulam esse de Decreto Διγαμίας Attico demonstraret. " Quod si esset tale Decretum, (Bentlejus (1) inquit, interprete Lennepio,) ,, profecto non multum sapientiae in eo appareret. Certum est, numero ,, fere pari nasci mares et feminas: Ut, si binae aliis obtingerent uxores, ,, alii coelibem vitam agere cogerentur: Quod quale remedium paucitatis ,, hominum? Praeterquam quod tali Lege divitibus, qui *par uxorum* alere ,, possent, tantum prospiceretur; qui vero foecundiores esse solent, pauperum, quam ante, deterior esset conditio." Diversa tamen Valentiniano Imperatori sententia fuisset, si HISTORICIS REI ECCLESIASTICAE Graecis, item JORNANDI aliisque istiusmodi Scriptoribus, fides esset habenda (2): Namque is, " dudum laudante Severâ uxore suâ pulchritudinem Justinae, ,, sibi eam [istis auctoribus] sociavit in matrimonio, Legesque propter illam ,, concessit, ut omnes viri, qui voluissent, impune bina matrimonia susciperent, quia ideo populosa Parthorum (3) gens esset, quia hoc apud eos ,, solemne est, ut multarum uxorum unus audiatur maritus." Regibus, scilicet, Tyrannisque, Veneri voluptatique indulgentibus, et Dionysii Siculi, et Ptolemaeorum, et nostrâ aetate licuit quod animo esset libitum; nec pro-

SECTIO I. §. 13.

Lex suo ipsius fini adversa.

Valentinianus senior an δίγαμος?

(1) d. Diss. §. XIII. pag. 75.

(2) In istam partem, ut illis fidem habeat, inclinat IOANNES TAYLORUS *Elements of the Civil Law* pag. 347. Ego vero sequi malim doctum Virum BONAMY, cujus dignissima lectu de hoc duplici matrimonio seu διγαμίᾳ Valentiniani senioris exstat Disquisitio in Monumentis Academiae Parisinae, *Réflexions sur une Loi de l'Empereur Valentinien Premier, par laquelle il permet à tous les Habitans de l'Empire Romain d'avoir deux Femmes légitimes en même tems*, (MÉM. *de l'*ACAD. *des Inscr. et Belles-Lettres*, Tome XXX. pag. 394. seqq.). Fabulam esse, post Baronium, Henricum Valesium, aliosque, jam intellexerat TILLEMONTIUS, cujus dubitationem pluribus argumentis confirmat Cl. BONAMY: Atque huic sententiae accedit Scriptor, qui certe in quaestione ejusmodi postremo loco non est censendus, GIBBON *the Decline and Fall of the Roman Empire* Cap. XXV. Vol. II. pag. 556. ed. in 4to.

(3) De Persis, HERODOTUM Lib. I. Cap. 135. secutus, STRABO Lib. XV. pag. 1066. ed. Alm. *γαμοῦσι δὲ πολλὰς, καὶ ἅμα παλλακὰς τρέφουσι πλείους πολυτεκνίας χάριν.*

SECTIO I. §. 13.

pterea color aut Julio Caesari aut Marco Antonio (4) erat quaerendus. Quid Germania, non multis abhinc annis, ab eo factum intellexerit, cui Patria nostra ruinam, omnesque ab illo inde tempore, seu priores, seu recentes etiam, miserias debuit, duramque, haud uno sub jugo, servitutem, -- cujus, inquam, Regiae διγαμίας Germania nuper testis fuerit, publica satis fama est, ut nec nostro aevo suus aut Anaxandrides aut Dionysius defuisse videatur: Sed Regum aut Tyrannorum exempla exemplisque quaesitae rationes consilium Naturae nascendique legem haudquaquam probant. Veruntamen haec Bentleji ratiocinatio eo minus certa ac dubio est vacua, quod utilitas Reip. aut salus universae etiam societatis humanae, si in ullâ civitate parum valet, parum certe illic spectatur, ubi populi cupiditas et Demagogorum artes leges figunt atque refigunt. Quae autem tum temporis Athenarum fuerit conditio, et ab aliis jam dictum et a nobis nuper demonstratum est, ita ut concionis Atticae sapientia mihi quidem levior contra Hieronymum Rhodium testis esse videatur.

Lex Διγαμίας Athenis non necessaria.

Paulo plus, si quid judico, tribuendum est argumento HARDIONII (5), secundum quod Athenienses, tum alias, tum tempore Belli Peloponnesiaci, ad augendum civium numerum tali Decreto minime indigebant. Omnia a Viro probe docto hanc in rem dicta repetere, foret fastidio: Neque tamen non possumus, quin adductum ab illo testimonium THUCYDIDIS (6) exhibeamus, qui, cum Athenienses expeditionem Siculam pararent, urbem, dum induciae fuerant, sic se a cladibus pestis bellique refecisse testatur, ut ju-

(4) « *Que César ait eu intention de permettre, par une Loi, d'avoir autant de Femmes „ qu'on voudroit, sans distinction de conditions, comme le dit Suétone; que Marc- „ Antoine ait été le premier Romain, qui en ait eu deux en même tems, comme „ l'écrit Plutarque; ces excès ne surprennent point dans des Hommes perdus de „ débauche, que leur pouvoir mettoit au-dessus des Loix.*" BONAMY *d. Diss.* pag. 402. Quae tamen et de Julio Caesare et de Marco Antonio non prorsus vere, aut potius non sine errore aliquo, scripta esse, patebit conferenti IOANNEM TAYLORUM *Elements of the Civil Law* pag. 345. Caeterum memoria fefellit Virum optimum scribentem (pag. 399.) « *Si l'on objecte la Loi de Solon, qui permit aux Athéniens d'épouser deux „ Femmes, pour réparer la perte, que la Peste avoit causée, on voit bien, que „ les circonstances de ce fait prouvent l'existence d'une Loi toute contraire, et qui „ étoit par-tout en usage.*"

(5) d. Diss. dans les *Mém. de l'Acad.* pag. 283.

(6) Lib. VI. Cap. 26.

ventute ad militiam aptâ opibusque jam abundaret: *ἄρτι δ' ἀνειλήφει ἡ πόλις ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς νόσου καὶ τοῦ ξυνεχοῦς πολέμου, ἔς τε ἡλικίας πλῆθος ἐπιγεγενημένης, καὶ ἐς χρημάτων ἄθροισιν, διὰ τὴν ἐκεχειρίαν· ὥςε ῥᾷον πάντα ἐπορίζετο.* Tredecim vel quatuordecim a peste et initio belli Peloponnesiaci elapsi tunc erant anni: Quare, si tam brevi temporis spatio tantus juventutis ad militiam habilis fuerit proventus, mira certe *διγαμίας* nobis virtus narratur; nec quidquam est, quod Montesquievius aliique Oeconomiae Politicae, quae dicitur, gnari illam incrementis civitatum contrariam doceant aut existiment. — Sed enim, de hoc augendorum civium modo, Thucydidis et illic et per universos octo Historiarum Libros perpetuum est silentium, pacique rerum optimae, quae per inducias Athenis obtigerat, vere tribuit promtam adeo feliceemque virium recuperationem. Sin tam singulare et propemodum unicum ad procreandam numerosam progeniem Decretum suâ aetate conditum fuisset, ut vir unus duas habere posset uxores, quaeso iterum, an, qui tantâ cum curâ res Atticas ejus temporis enarrat, illud silentio Thucydides pressisset? Sectio I. §. 13.

Omne Jus Atticum Legi Διγαμίας adversatur.

Verum, missis his Bentleji et Hardionii argumentis, aliud est, quod, ut verum fatear, plus etiam apud me valet, quamvis ex eorum argumentorum pariter sit numero, quae suadeant magis quam probent. Atque illud est tota ratio Juris Attici atque Romani (7), quod quidem Jus, si potestatem mariti, si nuptiarum legem, mulierum conditionem, dotisque sive dominium sive possessionem spectemus, tale est, ut haec omnia cum *πολυγαμίᾳ* vix consistere queant; imo vero unius viri, patrisfamilias, cum unâ feminâ, matrefamilias, individuam conjunctionem in se contineant, quin necessario postulare videantur. Jus Romanum, maximam partem, ex Jure Attico effictum atque expressum esse, res nota est ac manifesta omnibus; novimus autem maxime, qui partem aetatis in comparando utroque consumsimus: Novimus, connubiorum et dotium jura ejusmodi esse, ut, qui Leges Romanas de iis edoctus sit, idem, in Foro Attico si versetur, domi se esse crediderit. — Quae vero Romanorum ab antiquissimis inde temporibus de matrimonio fuit sententia seu persuasio? Non alia quam quae recentioribus fuit Jureconsultis, — matrimonium esse *unius maris cum unâ feminâ justam ac legitimam conjun-*

(7) Vere igitur Cl. Bonamy Dissertationem, qua falsam esse Valentiniani I. *διγαμίαν*, nullamque ab hoc Imperatore latam de eâ Legem probavit, his verbis orditur: « *Quelqu'étrange „ que cette Loi doive paroître à tous ceux, qui ont tant soit peu réfléchi sur „ les moeurs et les usages des Grecs et des Romains, chez qui la Polygamie étoit „ regardée comme une coûtume digne des seuls Peuples barbares; etc."*

Sectio I. §. 13.

ctionem; quae vero, praeter unicam illam, a marito deinceps, vivente priore uxore, contraheretur consuetudo cum aliâ muliere, *concubinatum* esse, non autem *justas nuptias.* Memorabile hujus rei exemplum est apud Ciceronem (8), quod neque Ioannis Taylori (9) effugit diligentiam. " *Quid* ,, (inquit Cicero,) *quod usu, memoriâ Patrum, venit, ut Paterfamilias,* ,, *qui ex Hispaniâ Romam venisset, cum uxorem praegnantem in Pro-* ,, *vinciâ reliquisset, Romaeque alteram duxisset, neque nuncium priori* ,, *remisisset, mortuusque esset intestato, et ex utrâque filius natus esset;* ,, *mediocrisne res in controversiam adducta est? cum quaereretur de duo-* ,, *bus civium capitibus, et de puero, qui ex posteriore natus erat, et de* ,, *ejus matre, quae, si judicaretur, certis quibusdam verbis, non novis* ,, *nuptiis, fieri cum superiore divortium, in* concubinae *locum duceretur.*"

Juris Romani cum Jure Attico convenientia.

Et vere quidem; nam, a Numae Pompilii usque aetate, *concubina et pellex* erat (10), *quae juncta consuetaque esset cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii caussâ foret,* quemadmodum, de Jure Papiriano scribens, Granius Flaccus (11) *pellicem* ait suâ quoque aetate *vulgo vocari, quae cum eo, cui uxor sit, corpus misceat.* Atque haec de justis nuptiis opinio, ab uno tantum cum unâ ineundis, et sub liberâ Republicâ et sub Imperatoribus ita perduravit, ut Praetoris Edicto *infamiâ* (12) notaretur, *qui suo nomine, non jussu ejus in cujus potestate esset, ejusve nomine, quem quamve in potestate haberet, bina sponsalia, binasve nuptias eodem tempore constitutas habuerit:* Quae infamia, a Numa usque ad Augustum διγάμοις irrogata, quando antiquae leges cum antiquis moribus jam diu obsoleverant, deinceps confirmata tamen et ab Imperatoribus Diocletiano et Maximiano (13) renovata est, ac tam stricte observata, ut διγαμία *capitali* etiam *poenae* obnoxia esse videretur (14). Cogitet jam aliquis, haec, ut alia omnia Connubiorum jura, non Romanis propria aut ab illis fuisse inventa,

(8) *De Orat.* Lib. I. Cap. 40.

(9) *Elements of the Civil Law* pag. 345.

(10) Gellius *N. Att.* Lib. IV. Cap. 3. Festus v. *Pellices.*

(11) L. 144. π. *de V. S.*

(12) L. 1. pr. π. *de his qui not. infamiâ.*

(13) L. 2. C. *de inc. et inut. Nuptiis.* Conf. I. A. Fabricius ad Sext. Empir. pag. 180.

(14) Vid. I. Taylor *Elements of the Civil Law,* pag. 347. Vere itaque Cl. Bonamy d. l. pag. 400. « *Pour ce qui est des Romains, on ne voit rien dans tout ce qui nous reste* ,, *de leur Droit, soit du tems de la République, soit sous les Empereurs, qui ne soit* ,, *opposé à la Polygamie: Il faudroit transcrire toutes les Loix, que nous avons* ,, *d'eux*

sed a Graecis, ab Atheniensibus praesertim desumta, moribus recepta, legibus sancita, jurisdictione Magistratuum vindicata, -- cogitet ista et credat, Athenis unquam licitum fuisse, binas eodem tempore justas nuptias constitutas habere, atque ita licitum, ut, si haec Lex rogata et perlata aliquando fuerit, ejus abrogatae tamen memoria non exstet, adeoque *perpetuo durasse* sit censenda. Qui hoc sibi in animum inducat, reperietur, opinor, nemo: Reperietur autem eo minus, quod eodem plane modo, quo materfamilias Romae in mariti erat manu mancipioque, ita et Athenis vir erat τῆς γυναικὸς ὁ κρατῶν καὶ κύριος γεγονὼς κατὰ τὸν νόμον, quae certe mariti potestas in uxorem, uti omnia τῆς κυριότητος sive *conventionis in manum* jura, sine individuâ unius cum unâ consortione, locum vix poterant habere. — Sed de istis Connubiorum apud Athenienses juribus, quibus διγαμία palam adversatur, in postremâ hujus Disputationis parte pluribus erit agendum: Quare jam ad alia transeamus.

Sectio I. §. 13.

§. XIV. *Scriptae Accusatorum probationes redarguuntur; infirmae, quin ipsis Accusatoribus contrariae, demonstrantur. Verba Decreti, ab* Hieronymo Rhodio *prolati, exponuntur.*

§. 14. *Decreti Attici verba exponuntur.*

Iis igitur omnibus, quae hactenus collegimus et proposuimus, consideratis, plures forsitan in suspicionem incidant, quae Viri summi fuit, Richardi Bentleji, jam supra memoratam (1), Decretum ab Hieronymo Rhodio prolatum *aeque commentitium* esse, atque ipsae sunt *Epistolae Socraticae:* Cui sane sententiae, si alia non esset ac melior (ut putamus) respondendi via, lubentes accederemus: Nunc autem existimamus, Decretum, quale retulit Peripateticus, Athenis latum fuisse et perlatum; quin ipsa fortassis Decreti verba ab eo fuisse recitata, sed, propriâ homini malitiâ, id illum fecisse, quod Sosia Plautinus:

Si dixero mendacium; solens meo more fecero;

quamvis, quod fecerit, *mendacium* non sit dicendum, sed *fraus*, et *fucus*, et *fallacia*, ut, veritatis vi pressus undique atque cinctus, (quod vere Bentlejus ait,)

,, d'eux sur les Mariages, si l'on vouloit faire voir, que depuis l'origine de Rome c'a
,, toujours été chez eux une maxime constante, qu'un Mari ne pouvoit avoir
,, qu'une Femme &c."

(1) §. X. initio.

SECTIO I. §. 14. *extremis angustiis se expediret.* De ipso Hieronymo Rhodio ac consuetâ illius malitià, quam nec Cicero ignoravit, postea latior dicendi erit locus. Nunc, quaeso, quae Decreti, ab Hieronymo prolati, fuerunt verba? Παρέθετο δὲ περὶ τῶν γυναικῶν ψήφισμα Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος, ὅπερ σοι διαπέμψομαι, εὐπορήσας τοῦ βιβλίου. Cum his ATHENAEI verbis jungendus DIOGENES LAËRTIUS: Ἔνιοι δὲ καὶ ἀμφοτέρας ἔχειν ὁμοῦ, ὧν ἐστι Σάτυρός τε καὶ Ἱερώνυμος Ῥόδιος· Φασὶ γὰρ βουληθέντας Ἀθηναίους, διὰ τοῦ λειπανδρεῖν, συναυξῆσαι τὸ πλῆθος, ψηφίσασθαι ΓΑΜΕΙ͂Ν ΜΕ`Ν Α᾽ΣΤΗ`Ν ΜΙ᾽ΑΝ, ΠΑΙΔΟΠΟΙΕΙ͂ΣΘΑΙ ΔΕ` ΚΑΙ` Ε᾽Ξ Ε῾ΤΕ῾ΡΑΣ· ὅθεν τοῦτο ποιῆσαι καὶ Σωκράτην· ἦν δ' ἱκανὸς καὶ τῶν σκωπτόντων αὐτὸν ὑπερορᾶν. — Fuerunt igitur verba Decreti, quod Hieronymus Rhodius protulit (si ultimam vocem excipiamus, in quâ unam fortassis mutandam esse literam, deinceps ostendetur:) Γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας, vel forsitan ἐξ ἑταίρας: Fuit quoque, initio Belli Peloponnesiaci, et paulo post quam atrocissima pestis Athenis grassata fuerat, ejusmodi Psephisma rogatum, latum, perlatum, (namque id negare nolim:) Satyrum vero, Hieronymos et Rhodium et Stridonensem, Porphyrium, Cyrillum Alexandrinum, Theodoretum, aut potius, (dum hos mittimus et suo permittimus ingenio,) quidquid est hominum cordatiorum rogatos velim, an istis probetur Decreti verbis, concessam Athenis unquam fuisse *binarum eodem tempore nuptiarum licentiam,* geminasve domi justas habendi uxores? an probetur Socratem, qui duas simul conjuges pro legitimis domum duxerit, ὃς γήμας Ξανθίππην καὶ Μυρτὼ ἀμφοτέρας εἶχεν ὁμοῦ, (Laërtii fere sunt verba) -- Socratem, inquam, istius Legis beneficio usum, atque ita usum, ut, quum vel nemo, vel pauci, isthoc more, quamvis legitimo, viverent, civium suorum jocos ac cachinnos homo libidinosus et intemperans non vereretur? Verba γαμεῖν et παιδοποιεῖσθαι in Decreto inter se opponuntur. Quid prius sit, omnes novimus, *justam* nimirum *uxorem domum ducere, secundum civitatis aut mores aut leges.* Quid vero παιδοποιεῖσθαι? Ipsa verbi compositio et forma demonstrant, nihil id aliud significare, nisi *liberos sibi quaerere,* sive id fiat justis nuptiis, sive extra matrimonium: XENOPHON, quo nemo forte Graecorum in usu hujus verbi frequentior est, semper eo utitur, respectu habito ad *actum procreandi liberos,* quo id fiat vel jure vel lege, seu in conjugio, seu in concubinatu, aut contubernio illegitimo: In *Memorabilibus Socratis* saepius: Καὶ μὴν (2) οὐ τῶν γε ἀφροδισίων ἕνεκα παιδοποιεῖσθαι τοὺς

Quid in Decreto παιδοποιεῖσθαι?

(2) *Memor.* Lib. II. Cap. 2. §. 4. ed. Ernestinae (pag. 432. 3. ed. Stephan.)

ἀνθρώπους ὑπολαμβάνοις, ἐπεὶ τούτου γε τῶν ἀπολυσόντων μεσαὶ μὲν αἱ ὁδοὶ, μεσὰ δὲ τὰ οἰκήματα: Et alibi (3), ubi de παιδοποιΐα multus sermo est, verbumque, de quo agimus, cum altero ἰσοδυνάμῳ, nempe τῷ τεκνοποιεῖσθαι, commutatur: Νὴ Δί' οὐ μόνον ἀγαθοὺς δεῖ τοὺς ἐξ ἀλλήλων παιδοποιουμένους εἶναι, ἀλλὰ καὶ ἀκμάζοντας τοῖς σώμασιν: Quemadmodum et Andromache EURIPIDI (4) dicitur: SECTIO I. §. 14

Δάμαρ δοθεῖσα παιδοποιὸς Ἕκτορι·

et de Polynice a matre Jocasta (5) ---- γάμοισι

Ζυγέντα, παιδοποιὸν ἀδονὰν
Ξένοισιν ἐν δόμοις ἔχειν.

Idcirco, si παιδοποιεῖσθαι et re ipsâ et constanti Veterum usu differat ἀπὸ τοῦ γαμεῖν vel γῆμαι, uti genus a specie, in Psephismate autem, de quo quaeritur, illi opponatur, sequitur, istam παιδοποιΐαν non fuisse *nuptias legitimas,* atque adeo isthoc Populi scito, quodcunque demum fuerit, licentiam Atheniensibus datam fuisse, non ut binas uxores, quae legitimae forent, domum ducerent, sed " ut UNAM habentibus justam uxorem, eamque ex veteri Lege Civem ,, Atticam, fas foret *ex alterâ* etiam *liberos sibi quaerere,* qui liberi juribus ,, legitimae prolis civilibus in Civitate Atticâ gauderent:" Etenim, nisi hoc posterius sententiae Legis adjungatur, nihil plane aliud Psephisma concessisset, nisi quod Athenis ab omni jam tempore licitum fuerat, ubi, quod modo verbis Xenophontis retulimus, scortorum μεσαὶ μὲν αἱ ὁδοὶ, μεσὰ δὲ τὰ οἰκήματα.

Hanc tamen interpretationem cum sequimur, dubium est, an ista παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας vel ἑταίρας tanquam *relata* (Logice loqui liceat) respiciant ad vocem ἀστὴν, an vero ad γαμεῖν: Quippe, si posterior illa pars sententiae, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας vel ἑταίρας, opponatur *justis nuptiis* sive τῷ γαμεῖν, id valebit, " ut, praeter unam uxorem legitimam, Civem Atticam, ,, fas fuerit *cum aliâ, prolis procreandae caussâ, consuescere, seu ex con-* ,, *cubinâ liberos quaerere,* sine discrimine, Civisne illa concubina esset, an ,, peregrina mulier." Sin Psephisma τῇ ἀστῇ opponat τὴν ἑτέραν vel τὴν ἑταίραν, haec posterior *femina* erit, *quae non sit Civis Attica;* adeoque finis istius Decreti fuerit, veterem ita Legem servare, " ut *nullae* quidem Athenis *justae*

(3) Ibid. Lib. IV. Cap. 4. §. 23. (pag. 470. 22. ed. Stephan.)
(4) Androm. v. 4.
(5) Phoen. v. 340.

„ essent *nuptiae nisi cum Cive Atticâ*, utque *unam tantum Civem Atticam* „ *domum ducere liceret;* liberum tamen cuique foret, uxorem habenti nec „ ne, *prolem suscipere ex muliere, quae in album Civium non esset rela-* „ *ta:"* — *Uxorem*, inquam, *habenti nec ne;* nam lata adeo et ampla Decreti sunt verba, ut *mariti* aeque ac *coelibes* istorum verborum veniâ comprehendantur: Et reverâ, hanc Legis sententiam fuisse, multa sunt quae me inducant ut credam, quamquam et altera interpretatio vera esse potest, ut *de concubinis* tantum *coelibum* agere Psephismatis fuerit propositum, nihilque sibi aliud Populus voluerit Atheniensis nisi sortem corrigere eorum, qui *nothi* habebantur, quia ipsorum mater, etsi a patre *justae uxoris loco habita*, tamen neque in ληξιαρχικῷ, neque ἐν τῷ κοινῷ γραμματείῳ, censeretur.

Nostra de Decreto sententia. Ex diversis his sententiis, si jam quaeratur, quae nobis vera aut potius vero similis esse videatur, nemo est in rebus Graecorum, Atheniensium praesertim, vel mediocriter versatus, qui priorem, secundum quam ex *binis mulieribus Civibus Atticis,* unâ uxore, alterâ concubinâ, prolem gignere Athenis Lex permisisset, non pronunciet tam absurdam, moribus Graecorum (6) tam contrariam et adversam, ut de eâ ne cogitare quidem queamus; qui disputationis nostrae locus in tertiâ hujus Diatribes parte accuratius a nobis excutietur, ubi simul probabimus, pro ἑτέρας CLAUDIUM SARRAVIUM (7) haud absque similitudine veri, in ipso saltem Psephismate, emendasse ἑταίρας; et Decreti verba, quibus Nothi ex concubinâ peregrinae originis procreati jus aequum cum legitimis, per aliquot annorum spatium, Athenis consecuti sunt, fuisse: γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑταίρας, (id est, ἐκ παλλακίδος.)

Igitur

(6) De Aegyptiis ubi agit HERODOTUS Lib. II. Cap. 92. καὶ γυναικὶ μιῇ (inquit) ἕκαστος αὐτέων συνοικέει, κατάπερ Ἕλληνες. Verissime igitur, cum de Anaxandride, Lacedaemoniorum Rege, HERODOTUS Lib. V. Cap. 40. dixisset, γυναῖκας ἔχων δύο, διξὰς ἱστίας οἴκεε, ποιέων οὐδαμῶς Σπαρτιητικά, —— verissime, inquam, ad haec Magnus VALCKENAERIUS scripsit sequentia: « Quin imo, nec in universum Ἑλληνικά· nam, quidquid nonnulli nobis narrent, nusquam „ in Graeciâ florente licuit duas simul uxores habere." Locum supra pleniorem adscripsimus.

(7) Referente AEG. MENAGIO ad *Diog. Laërt.* Lib. II. Segm. 26. qui tamen nihil mutandum existimat, quia ἐξ ἑτέρας non tantum apud Diogenem Laërtium, sed et legitur apud Athenaeum: Jure maximo, opinor, si de Hieronymo Rhodio atque illius fidem secutis, Diogene Laërtio et Athenaeo, agatur; non autem si quaeratur, quaenam ipsa Psephismatis verba fuerint. Sed ista in postremâ hujus Disquisitionis parte plenius pertractabuntur.

Igitur restat, ut Psephisma veniam dederit viro, sive marito, sive coelibi, *ex muliere peregrinâ liberos quaerendi.* — Quid vero illa Lex ad Socratem? Quid illa, Hieronyme Rhodie, — quid illa, Porphyri, — quid illa, Theodorete, — (vos enim omnes rogo, — vos etiam, qui eadem cum his Triumviris sentitis,) — quid illa demum Lex contra virum sanctissimum probat? Coelebs certe non fuit, qui duas unâ sibi junxerit uxores. An vero, cum maritus jam esset civemque Atticam, secundum patrios mores, haberet in matrimonio, *ex muliere* voluit *peregrinâ posteros sibi parare,* ac Legis propterea beneficio usus est? At enim Myrto peregrina certe non fuit, Aristidis Justi progenies, seu filiam dicamus, seu neptem an proneptem. —— Quid porro Xanthippe? De illâ, tanquam *de justâ et legitimâ uxore,* loquitur universa Antiquitas; loquuntur testes omnium probatissimi, Xenophon et Plato; loquuntur alii minus idonei, sed ab adversariis nostris probati plerique ac recepti, — Epistolarum Socraticarum Auctor, Plutarchus, Athenaeus, Aelianus, Libanius, caeteri. Quin ipse Aristoxenus, si recte illius dicta Porphyrius retulit, Porphyriique verba recte exscripserunt Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus Cyrensis, — Aristoxenus ipse Xanthippen dixit *πολῖτιν*, quamquam mulier esset plebeja, eâ saltem non insignis nobilitate generis, qua Myrto Aristidis ex filiâ neptis. — *Δύο δὲ σχεῖν γυναῖκας ἅμα, Ξανθίππην μὲν πολῖτιν καὶ κοινοτέραν πως, Μυρτὼ δὲ Ἀριςείδου θυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου· καὶ τὴν μὲν Ξανθίππην περιπλακεῖσαν λαθεῖν, ἐξ ἧς ἑαυτῷ Λαμπροκλῆς ἐγένετο· τὴν δὲ Μυρτὼ γάμῳ, ἐξ ἧς Σωφρονίσκος καὶ Μενέξενος.* — Quasi vero Athenis, ubi *ἰσότης*, — celebratissima ista jurium inter cives aequalitas, — tantum non pro Numine colebatur, moris fuisset, mulierem vilioris conditionis, civem tamen Atticam, pro concubinâ habere, *κοινοτέραν πως, ἢ περιπλακεῖσα ἔλαθε,* dum alia nobilior civis, velut conjux honoratior, legitimi tori juribus ac privilegiis gauderet! — Quis talia unquam vel fando audivit? — Sed, uti ex Xenophonte et Platone novimus, Sophronisci et Menexeni veram matrem fuisse, non Myrtô, sed Xanthippen, sic fabula quoque est quidquid de furtivis Xanthippes, tanquam vilioris feminae, cum Socrate amoribus mendax narravit Aristoxenus, atque Aristoxeno auctore Porphyrius: Et Psephisma, quod Aristoxeno suffragatus Hieronymus Rhodius protulit, quamquam vere propositum, latum et perlatum fuit, minime tamen probat, quod probandum fuerat, auctoritate istius Decreti Socratem binas eodem tempore habere potuisse et reverâ habuisse uxores: Adeoque prior auctoritas scripta, quâ utuntur *Διγαμίας* Socraticae Patroni, evanescit, ac pro nullâ in hac nostrâ caussâ debet haberi. De alterâ nunc dicendum.

SECTIO I. § 14.

Absurda Aristoxeni *narratio.*

Sectio 2 §. 15. *De Fragmento Libelli περὶ Εὐγενείας agitur.*

§. XV. *Altera scripta auctoritas, qua Veteres utuntur Socratis Accusatores, ad examen revocatur. Criminatio Aristotelis, si qua est, diluitur. Fragmentum ex Libello* περὶ Εὐγενείας, *a* Stobaeo *feliciter ad nos usque servatum, adfertur, corrigitur, explicatur.*

Praeter istud Psephisma Populi Atheniensis, ab Hieronymo Rhodio prolatum, altera auctoritas scripta, qua utuntur Fabulae Aristoxenéae patroni, locus est Libelli, qui sub Aristotelis nomine ferebatur, περὶ Εὐγενείας; iste tamen locus, de quo minime constet traditum illic fuisse, duas simul Uxores a Socrate domi habitas, sed talia tantum memoriae fuisse prodita, quae *ansam praebuerint, unde isthaec narratio postmodum fuerit propagata.* Quae eâ de re supra (1) animadvertimus, hîc non sunt repetenda; sed demus, scriptum fuisse in Libello περὶ Εὐγενείας, quod ex Plutarcho quis posset conficere, Μυρτὼ θυγατριδῆν Ἀριςείδου Σωκράτει τῷ σοφῷ συνοικῆσαι, γυναῖκα μὲν ἑτέραν ἔχοντι, ταύτην δ' ἀναλαβόντι χηρεύουσαν διὰ πενίαν, καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεομένην: Primum respondemus, nullam Libelli fore auctoritatem, de cujus Scriptore simus incerti, an is vere sit, quem se esse ferat, an personatus aliquis planus et falsarius. Ipse Plutarchus, si sua habuerit ex Libro περὶ Εὐγενείας, neque, memoriâ lapsus aut minus accurate locutus, huic tribuerit ac Demetrio Phaléreo, quae tantum legerat apud Aristoxenum Musicum et Hieronymum Rhodium, aut quae tanquam ab illis scripta per alios acceperat, (nam qui quatuor, uti isto loco Plutarchus, simul appellet Scriptores, non is hos omnes eodem omnia modo narravisse existimet, sed universe cunctis tribuat, quorum partem tantum prodiderint singuli,) Plutarchus igitur, de re ipsâ Panaetii potius judicium secutus, Scriptoris περὶ Εὐγενείας fidem infirmat, quando addit, εἰ δὴ τὸ περὶ Εὐγενείας βιβλίον ἐν τοῖς γνησίοις Ἀριςοτέλους θετέον. Jure ac merito supra jam rogabamus, " quis talem, in caussâ hominis privati etiam minimâ, ,, testem admittat, qui, cujas sit, et an vero nomine productus, ân sub ,, ementitâ personâ latens, adfirmare non sustineas?" Quam quaestionem validius urgeat, qui noverit τὸ περὶ Εὐγενείας βιβλίον non unicum fuisse Opusculum sub Aristotelis nomine confictum, in quo famae Socratis sit detra-

Auctor Libelli incertus.

(1) §. IV. pag. 22. et seqq.

cium, vel talia saltem de illo illiusque indole et ingenio sint prodita, quae existimationem hominum de verae Philosophiae parente minuere possent. Unum addamus exemplum. Referente Diogene Laërtio (2) scripsit Aristoteles, μάγον τινὰ ἐλθόντα ἐκ Συρίας εἰς Ἀθήνας τά τε ἄλλα καταγνῶναι τοῦ Σωκράτους, καὶ δὴ καὶ βίαιον ἔσεσθαι τὴν τελευτὴν αὐτῷ. In quo autem, qui germanus quidem sit, Aristotelis Libro ista reperiuntur? In nullo certe, qui supersit; et probabilis mihi est Ioannis Jonsii (3) sententia, existimantis petita illa esse ex Libro *Magico*, qui sub Aristotelis nomine circumferebatur, quemque et alibi adhibuit Diogenes Laërtius (4). Is vero inter suppositos Aristoteli omnino censendus est, quemadmodum inter eos illum jam retulit Auctor anonymus *Vitae Aristotelis*, editus ab Aegidio Menagio (5). Suidas autem (6) Antistheni τὸ Μαγικὸν tribuit, alii Rhodoni: Et ex illo tamen Libro ψευδεπιγράφῳ Clearchus Solensis, Peripateticus, uti a Jonsio (7) observatum est, plurima hausit, exemplum secutus reliquorum Peripateticorum, qui, quam lubrica etiam atque incerta esset auctoritas Librorum Sectae suae principi adscriptorum, solebant tamen testimonia inde repetere dictisque suis fidem facere, quin sub Aristotelis nomine Libellos fingere et palam venditare, quod Ptolemaeorum, Philadelphi praesertim, aetate factitatum, post Franciscum Patricium (8), Petrum Gassendum (9), aliosque, egregie ostendit Heynius (10), Vir clarissimus, cujus vestigiis insistentes nos etiam in secundâ hujus *Diatribes* parte nonnulla inde pro re nostrâ conficiemus. Idcirco, si et hunc περὶ Εὐγενείας Libellum Peripatetici alicujus, Aristotele junioris, foetum esse, regnante Philadelpho natum, existimemus (ut existimare, post Plutarchi dubitationem, prorsus licet,) quae istiusmodi testis in hac caussâ Socraticâ auctoritas esse potest? Nulla omnino, quod Plutarchus pulchre intellexit, et probabile est a Panaetio jam antea fuisse observatum.

Calumniae in Socratem ex confictis sub Aristotelus *nomine Libellis.*

(2) Lib. II. Segm. 45.
(3) De *Script. Hist. Phil.* Lib. I. Cap. 18. §. 2.
(4) Vid. ejus Prooemium seu Lib. I. §. 1.
(5) Ad Diog. Laërt. Lib. V. Segm. 35.
(6) v. Ἀντισθένης.
(7) De *Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 18. §. 2. pag. 116.
(8) *Discuss. Peripatet.* Tom. I. Lib. 3. pag. 18.
(9) In *Exercitationibus Paradoxicis adversus Aristoteléos* Lib. I. Exerc. 4.
(10) *De Genio Saeculi Ptolemaeorum*, in *Opusc. Academ.* Vol. I. pag. 126.

Sectio I. §. 15.

Sed fingamus ipsum Stagiritam τοῦ περὶ Εὐγενείας βιβλίου Scriptorem; atque ducem in istâ opinione sequamur Auctorem anonymum *Menagianum*, modo laudatum, qui Librum tamen *Magicum* illi abjudicabat: Fingamus porro id, quod minime concedendum, in isto, nimirum, Libello vere scripta fuisse, quae apud Plutarchum reperiuntur, quaeque Aristoxeno atque Hieronymo Rhodio potius sunt tribuenda, quam Demetrio Phaléreo aut Aristoteli: Fingamus, demusque haec omnia. Valebit tunc ista auctoritas praesertim apud eos, qui Ammonio credant, Aristotelem, postquam Athenas adolescens venisset, Socrati audiendo tres annos dedisse operam: Sed vere animadvertit Franciscus Patricius (11), " Vitam illam Aristotelis, quae Ammonii Commentariis in Aristotelis Categorias est praefixa, quaeque alibi sub Philoponi ejus discipuli nomine legitur, multa continere absurda:" Quae inter absurda illud certe haud minimum est, Socratem auditum ab eo, qui post haustam ab ipso cicutam sedecim annis fuerit natus. Eadem peritissimi harum rerum Baylii (12) est observatio. Idcirco, quae de διγαμίᾳ Socratis Aristoteles scripserit, necesse est eum accepisse ab aliis, quorum adfirmatio de re, quae ante quadraginta aut quinquaginta annos accidisset, haud multum ponderis foret habitura, nisi alia accederent argumenta, quae tamen argumenta non tantum hîc nulla, sed omnia adfirmationi etiam esse contraria, supra a nobis est demonstratum.

Lubrica Aristotelis hac in caussâ auctoritas.

Quod si Aristoteles calumniâ διγαμίας Socratem vere onerasset, neque ista omnia, uti sunt, levia essent, commentitia ac vana, testem suspectum diceremus, testimoniumque reprobaremus illius, qui, quamvis ab hoc auctore, tanquam ex fonte limpidissimo, sapientiae studium derivasset, principi tamen moralis disciplinae haud aequus fuisse videtur, sive id ignotae alicui caussae, sive ingenio hominis debeatur, qui, sui nimium plenus, pravâ ambitione ductus, atque inanis gloriae cupiditate, ut Francisci Patricii (13) verbis utar, " eam contra omnes, tum antiquiores, tum coaetaneos suos, exercuit aemulationem, quae omnibus ejus libris usque ad fastidium fere inserta est, quare et (ut alibi idem (14) ait)" non Platoni solum, sed Veteribus omnibus, sese opposuisse videri voluit." Et celebratum quidem est Anti-

(11) *Discuss. Peripatet.* Tomo I. Lib. 1. pag. 7. l. 40.

(12) In Dict. v. Aristote, pag. 324. in ipso textu.

(13) *Discuss. Peripatet.* Tomo I. Lib. 1. pag. 12.

(14) Ibid. Tom. III. Lib. 4. pag. 314.

quis (15) Recentioribusque (16) illius cum Platone dissidium, ingratus erga praeceptorem animus, aemulatio et invidia cum vi et injuriâ conjunctae contra Speusippum et Xenocratem; hinc iniquae reprehensiones (17) tum eorum quae ipse Plato (18) scripserat, tum disciplinae Platonicae, qualis a Speusippo ac Xenocrate sodalibus tradebatur; hinc simultas tam cognita omnibus, ut Alexander Magnus, odio in Aristotelem, donum Xenocrati (19) misisse feratur; hinc denique discidium istud Academiam inter et Lyceum, quod, summo verae Philosophiae detrimento, ad seros usque posteros fuit propagatum, et pro studio veri inanes peperit contentiones, pro sapientiâ rixas, pro rebus verba, pro summo bono ac felicitate generis humani odia ac calumnias, vanam gloriam, superbiam, et fumum. — Verum de hac veteris Philosophiae labe, seu de his potius antiquorum Philosophorum, Peripateticorum praesertim, vitiis, mox paulo plura a nobis, *ὡς ἐν παρόδῳ* tamen et aliud agentibus, erunt adjicienda. In illis hoc quidem loco diutius insistere, aut quae apud Antiquos Timaei, Eubulidis, Cephisodori, apud Recentiores Francisci Patricii, Petri Gassendi, multorumque aliorum censura in Aristotele vitia notavit, ambitiose huc colligere eo minus est animus, quod sine ullâ id a nobis fieret necessitate; in reprehensione autem magnorum Virorum versari, nisi id fiat veri et recti tuendi caussâ, tum per se ingratum est, tum a personâ viri boni quam maxime alienum.

Auctor Libelli Aristotelici de Nobilitate *non scripsit*, *Socratem duas simul uxores habuisse.*

Et vero Aristotelis fidem in hac caussâ Socraticâ arguere vel suspectam reddere non tantum supervacaneum existimamus, tum quia Libelli *περὶ Εὐγενείας* Auctor incertus est, tum quod minime ex Plutarcho vel aliunde constet, hunc *περὶ Εὐγενείας* Scriptorem de *διγαμίᾳ* Socratis quidquam memoriae prodidisse, quum simpliciter *ansam praebuisse* videatur, *unde isthaec narratio postmo-*

(15) Dion. Halic. Opp. Tomo II. pag. 127. 2. 138. 10. ed. Sylb. Cyrillus Alexandr. c. *Jul.* Lib. II. pag. 47. e. ed. Spanh.

(16) Plura collegit Bayle *Dict. Hist. Art.* Aristote. Nota e.

(17) Vide Franciscum Patricium *Discuss. Peripat.* Tomo I. Lib. 1. pag. 4. Tomo III. Lib. 4. pag. 313.

(18) Quocirca Eubulus, Philosophus Platonicus, qui haud multum ante Longini aetatem Athenis docuit, atque adeo minime confundendus est cum Eubulide, acerrimo Aristotelis hoste, Librum scripsit, quo Platonis *Commentarios de Republicâ* a reprehensione Aristotelis vindicaret: ----- *γέγραπται Εὐβούλῳ τὸ περὶ τοῦ Φιλήβου καὶ τοῦ Γοργίου, καὶ τῶν Ἀριστοτέλει πρὸς τὴν Πλάτωνος Πολιτείαν ἀντειρημένων*, uti a Longino discimus apud Porphyrium *de Vitâ Plotini*, pag. 13. edit. Basil. Vid. *Fragmenta* Longini, pag. 120. ed. *Toup.*

(19) Diog. Laërt. Lib. V. Segm. 10. De ipso Alexandri dono omnium, ni fallor, e Veteribus, qui ejus meminerunt, testimonia collegit diligens et utilis ante omnes alios Ciceronis interpres, Ioannes Davisius ad *Tusc. Quaest.* Lib. V. Cap. 32. Junge Bentlej. *Diss. de Epist. Eurip.* §. XI. pag. 93.

Sectio I. § 15. *dum fuerit propagata;* sed iniquum etiam censemus, quoniam probabile, immo veri simile et propemodum certum est, ab illo Auctore plane nihil ejusmodi scriptum esse, nisi unum hoc, *Myrtonem, ex Aristide prognatam, Socratis fuisse uxorem.* Propemodum autem *certum* hoc dicimus, quandoquidem ipsum Libelli περὶ Εὐγενείας superstes exstat Fragmentum, in quo istarum Socratis cum Myrtone nuptiarum facta mentio reperitur. Quod cum, *Florilegium* Stobaei, (inter jucundissimos mihi, ab ineunte aetate, vitae comites cum Euripide ac Cicerone praecipuum) studiose ac diligenter evolvens, ante complures jam annos animadvertissem, haud mediocriter gavisus sum comperto, in eâdem mecum sententiâ fuisse Virum, inter paucos eosque primarios numerandum, Ioannem Seldenum, in Praefatione ad praeclarum Opus, quod *de Titulis Honorum* Anglice scriptum edidit, monente (quem nihil ferme in hoc genere latebat) Viro laudatissimo, Ioanne-Alberto Fabricio (20). Quocirca mirari subit, tum alios, tum inprimis *Diatribes de Aristoxeno* Auctorem, qui ipsa duo Libri περὶ Εὐγενείας Fragmenta, apud Stobaeum servata, memoravit, animo tam parum attento illa considerasse, rerum suarum securos, ut Scriptoris de Socrate dicta, *Myrtonem, scilicet, propter nobilitatem generis, ab eo ductam uxorem,* non animadversa neglexerint ac praeterierint. Quomodo enim, qui ea Fragmenta non perlegerit, scribere potuit (21), " ex istis non apparere, an ille Liber ab Aristotelis manu pro- „ fectus sit nec ne?" Sin perlegerit, quî factum, ut nulla ipsi suspicio oborta sit, quae isthic scripta reperiantur, non alia esse nisi eadem illa, quorum gratiâ auctoritatem τοῦ περὶ Εὐγενείας βιβλίου Plutarchus atque Athenaeus in hac nostrâ laudaverint controversiâ? Locum Scriptoris corruptum esse fatemur; neque tamen ita corruptum, ut vel rei ipsius mentio plane delitescat, vel ratio emendandi ingenio, quod haud prorsus sit hebes, non sit in promtu. — Agedum, utrumque Fragmentum, nonnullis hîc atque illic animadversionibus atque emendationibus nostris auctum, adscribamus; et verbis, de quibus potissimum quaeritur, mendum, quo foedata sunt, eximamus.

Fragmentum loci, de quo quaeritur, apud Stobaeum *superstes.*

I. Seldeni *auctoritas et consensus.*

Fragmentum Libelli Aristotelici de Nobilitate *ex* Stobaeo *adfertur.*

In Stobaei *Florilegio,* Sermone LXXXIV. qui est *de Nobilitate* (22), haec leguntur tanquam Aristotelis *ex Libro de Nobilitate* (23).

(20) *Bibl. Graecae.* Lib. III. Cap. 7. Vol. II. pag. 190.

(21) *Diatribe de Aristoxeno*, pag. 82.

(22) Pag. 494. ed. Aurel.

(23) In Editione primâ Venetâ Zanettiana, anni 1536. cujus lectiones vel sequemur, si probae sint, vel adnotabimus, si dubiae aut falsae, simpliciter in margine additur: Ἀριστοτέλους.

Ὅλως δὲ περὶ Εὐγενείας ἐγὼ ἀπορῶ, τίνας χρὴ καλεῖν τοὺς εὐγενεῖς· εἰκότως γὰρ (1) ἔφην τοῦτο εὐ διαπορῶν· καὶ γὰρ παρὰ τῶν πολλῶν (2), καὶ παρὰ τῶν σοφῶν, τὰ μὲν ἀμφισβητεῖται, τὰ δὲ οὐ λέγεται σαφῶς, εὐθὺς τὰ περὶ τῆς δυνάμεως· λέγω δὲ τοῦτο πότερον τῶν τιμίων ἐςὶ καὶ σπουδαίων, ἢ, καθάπερ Λυκόφρων ὁ σοφιςὴς (3) ἔγραψε, καινόν τι (4) πάμπαν· ἐκεῖνος γὰρ ἀντιπαραβάλλων ἑτέροις ἀγαθοῖς αὐτὴν, SECTIO I. §. 15.

(1) Sic et Veneta Zanettianâ aut Trincavellianâ; sed Aurel. recte in margine γε.

(2) Veneta, omittens voces, παρὰ τῶν πολλῶν, simpliciter habet: καὶ γὰρ καὶ παρὰ τῶν σοφῶν τὰ μὲν ἀμφισβητεῖται, κ. τ. λ. fortasse rectum. Neque enim τῶν πολλῶν est de talibus aut ἀμφισβητεῖν, aut σαφῶς λέγειν, aut omnino philosophari: Sin autem de rebus ejusmodi philosophentur οἱ πολλοὶ, quid eveniat, nuper, eheu! nos docuit experientia.

(3) Vox ὁ σοφιςὴς omittitur in Cod. Paris. cujus Collatio, ab HUGONE GROTIO instituta, ad marginem STOBAEI Aurel. ed. servatur in Bibliothecâ Leidensi: Sed Λυκόφρων ὁ σοφιςὴς laudatur et alibi ab ipso ARISTOTELE, e. gr. *Polit.* Lib. III. Cap. 9. ad quem locum P. VICTORIUS in Comment. pag. 223. quis et cujas fuerit hic Lycophron Sophistes haud magis exploratum habuisse videtur quam peritissimus I. ALB. FABRICIUS *Bibl. Gr.* Lib. III. Cap. 16. Tomo II. pag. 424. Suspecta autem Aristotelis fides fuit Victorio, qui, quod dictum Lycophroni Sophistae tribuit Philosophus, ὅτι ὁ νόμος ἐγγυητὴς ἀλλήλοις τῶν δικαίων, ἀλλ᾽ οὐχ οἷος ποιεῖν ἀγαθοὺς καὶ δικαίους τοὺς πολίτας, — id *ab Aristotele ipso excogitatum* putat.

(4) Lycophron Sophistes, quisquis fuerit, scribere haud potuit εὐγένειαν esse καινόν τι πάμπαν, *rem novam et insolitam*, sed KENO'N τι πάμπαν, *rem omnino futilem et inanem;* quemadmodum in hoc ipso argumento EURIPIDES in Fragmento, quod STOBAEUS hoc Tit. LXXXIV. habet, quodque GROTIUS (*Florileg. Grot.* Tit. LXXXVI.) ex Melanippe petitum e Codice didicit Parisiensi.

Ἐγὼ μὲν οὐδὲν οἶδα πῶς σκοπεῖν χρεὼν
Τὴν εὐγένειαν· τοὺς γὰρ ἀνδρείους φύσιν,
Καὶ τοὺς δικαίους, τῶν κενῶν δοξασμάτων,
Κἂν ὦσι δούλων, εὐγενεςέρους λέγω.

Postrema vertit Grotius.

Vincunt tumentes nominis vani sono.

Κενὴ δόκησις, *opinio falsa et vana*, est apud eundem *Helena* v. 36. et magis accommodate etiam ad rem nostram, *Phoen.* v. 554.

Τί τὴν Τυραννίδ᾽, ἀδικίαν εὐδαίμονα,
Τιμᾷς ὑπέρφευ, καὶ μέγ᾽ ἥγησαι τόδε;
Περιβλέπεσθαι τίμιον; κενὸν μὲν οὖν.

PLUTARCHO περὶ Εὐγενείας apud STOBAEUM *Flor.* Tit. LXXXVI. pag. 494. εὐγένεια est πεφυσημένον ὄνομα, qui Plutarchus in alio ejusdem Libelli Fragmento (Tit. LXXXVI. pag. 498.) quum ἄπιςον ait τὴν τῶν σοφιςῶν συκοφαντίαν κατὰ τῆς εὐγενείας, nescio an Lycophrona Sophisten prae oculis habuerit, ex Aristotelico Libello cognitum: Etenim dubium videri, an hic Libellus a Plutarcho lectus sit, supra a nobis est indicatum. — De confusione vocum καινὸς et κενὸς in MSS. vid. Interpr. ad LUCIANUM T. I. pag. 712. ad CLEM. ALEX. *Strom.* Lib. II. pag. 493.

SECTIO I. §. 15.

εὐγένειαν μὲν οὖν ἧς (5) ἀφανὲς τὸ κάλλος, ἐν λόγῳ δὲ τὸ σεμνὸν, ὡς πρὸς δόξαν οὖσαν τὴν αἵρεσιν αὐτῆς, κατὰ δ' ἀλήθειαν, οὐθὲν (6) διαφέροντας τοὺς ἀγεννεῖς τῶν εὐγενῶν.

Ἀμφισβητεῖται δὲ καθάπερ καὶ περὶ τοῦ πηλίκον ἀγαθόν ἐστι, οὕτω καὶ τίνας δεῖ καλεῖν εὐγενεῖς· οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἐξ ἀγαθῶν γονέων εὐγενεῖς εἶναι νομίζουσι, καθάπερ καὶ Σωκράτης· διὰ γὰρ τὴν Ἀριστείδου ἀρετὴν, καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ γενναίαν εἶναι (7), Σιμωνίδην δέ φασιν ἀποκρίνασθαι διερωτώμενον, τίνες εὐγενεῖς, τοὺς ἐκ πάλαι πλουσίων φάναι, καίτοι, κατὰ τοῦτον τὸν λόγον, οὐκ ὀρθῶς ἐπιτιμῶσι· Θέογνις δ' ὁ ποιητὴς (8) ὁ ποιήσας·

Ὡς τὴν

(5) Nullum in hisce sensum esse, nullam sententiae aut verborum structuram, cuique est perspicuum: Equidem in istis ΟΥ'Ν 'ΗΣ latere existimo, ΦΗΣΙ', legendumque plano verborum cursu: ἐκεῖνος γὰρ, ἀντιπαραβάλλων ἑτέροις ἀγαθοῖς αὐτὴν, εὐγενείας μὲν φησὶ ἀφανὲς τὸ κάλλος, ἐν λόγῳ δὲ τὸ σεμνὸν, ὡς κ. τ. λ.

(6) Aurel. οὐδὲν.

(7) In istis γενναίαν εἶναι nemo, opinor, qui animum adverterit, vitium esse negaverit: Quod quomodo sanandum videatur, quoniam hisce in verbis rei cardo potissimum vertitur, deinceps in ipsâ disputatione dicemus.

(8) Et haec corrupta esse manifestum est: Remedium certissimum praebet Collatio Grotiana Codicis Parisini prioris, ubi pro Θέογνις δ' ὁ ποιητὴς est Θέογνις οὐδ' ὁ Ποιητὴς κ. τ. λ. Nempe Jambici, qui sequuntur, uti versus esse nequeunt Poetae Elegiaci, ita constat esse senarios Euripidéos ex Tragoediâ *Thyeste*, (nisi *Cressas* dicere malimus cum VALCKEN. *Diatr. Eurip.* Cap. II. pag. 12.) qui supersunt apud STOBAEUM Tit. XC. pag. 505. (STOB. *Grot.* Tit. XCII. pag. 373.) cum tertio versu sic juncti.

Πλούτου δ' ἀποῤῥυέντος, ἀσθενεῖς γάμοι·
Τὴν μὲν γὰρ εὐγένειαν αἰνοῦσιν βροτοὶ,
Μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖς εὐδαίμοσιν.

Locus autem Theognidis, quem ipsis non adfert verbis Auctor *de Nobilitate*, notissimi sunt isti, qui, quod omnium erant in ore et libris, omissi ab eo videntur:

Κριοὺς μὲν καὶ ὄνους διζήμεθα, Κύρνε, καὶ ἵππους
Εὐγενέας· καί τις βούλεται ἐξ ἀγαθοῦ
Κτήσασθαι· γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει
Ἐσθλὸς ἀνὴρ, ἤν τις χρήματα πολλὰ διδῷ.
Οὐδὲ γυνὴ κακοῦ ἀνδρὸς ἀναίνεται εἶναι ἄκοιτις
Πλουσίου· ἀλλ' ἀφνειὸν βούλεται ἀντ' ἀγαθοῦ.
Χρήματα γὰρ τιμῶσι, καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημε,
Καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθοῦ· πλοῦτος ἔμιξε γένος.

quemadmodum in elegantissimâ Gnomicorum editione (THEOGNID. v. 185.) lectionem constituit Vir de literis Graecis optime meritus R. F. P. BRUNCKIUS, e Regio scilicet Codice STOBAEI: Namque in *Florilegio* Tit. LXXXVI. notum est XENOPHONTIS Fragmentum legi, in quo

Ὡς τὴν μὲν εὐγένειαν αἰνοῦσι βροτοὶ,
Μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖσι πλουσίοις (9).

Ἢ (10) πρὸς Διὸς οὐχ αἱρετώτερος ὁ πλουτῶν αὐτὸς, ἢ οὗ ὁ πρόπαππος ἢ τῶν προγόνων τὶς πλούσιος ἦν, αὐτὸς δὲ πένης; πῶς γὰρ οὐκ εἶπε, καὶ (11) δέοιτ' ἂν κηδεύειν τοῖς πλουσίοις μᾶλλον ἢ τοῖς εὐγενέσιν; εὐγενεῖς γὰρ οἱ παλαιοί· κρείττους δὲ οἱ νῦν· Οὐκοῦν ὁμοίως κἂν τις ὑπολαμβάνῃ, οὐ τοὺς εὐγενεῖς εἶναι τοὺς ἐκ πάλαι πλουσίων (12), ἀλλὰ τοὺς ἐξ ἀγαθῶν πάλαι· κρείττων (13) γὰρ ἂν δόξειεν ἀρχαίας ἀρετῆς πρόσφατος, καὶ μετέχειν μᾶλλον ἕκαστον πατρὸς ἢ προπάππου, αἱρετώτερον δ' αὐτοῦ εἶναι (14) σπουδαῖον, ἀλλ' οὐ τὸν πρόπαππον ἢ τινὰ τῶν ἄλλων προγόνων. Ὀρθῶς ἔφη λέγειν. Ἆρ' οὖν (15) οὐκ ἐπεὶ ἐν μηδετέρῳ τούτων ὁρῶμεν τὴν εὐγένειαν, σκεπτέον ἄλλον τρόπον; τίνα τοῦτον; ἐνίοτε σκεπτέον δ' ἔφη (16) τὸ εὖ σημαίνει τὶ δήπου τῶν ἐπαινετῶν καὶ σπουδαίων, οἷον τὸ

quo octo isti versus reperiantur: Eosdem in animo habuit Plutarchus *de Nobilitate* (ibid. pag. 498.) μηδὲ τὰ ἐν μέσῳ καὶ πᾶσι γνώριμα σκοποῦσιν, ὅτι πρὸς τὰς ὀχείας τοὺς εὐγενεῖς ἵππους καὶ κύνας ὠνοῦνται καὶ κιχρῶνται: Secutus autem hic videtur lectionem, quae est apud Stobaeum *Floril.* Tit. LXVIII. pag. 425.

Κύνας μὲν δὴ νῶϊ διζήμεθα, κ. τ. λ.

Grotius tamen (*Floril. Grot.* pag. 290.) alteram praetulit, uti et Tit. LXXXVIII. pag. 360. Caeterum ad sententiam Libanius Epist. 257. pag. 126. καὶ μοι δοκεῖς ἐν τῇ περὶ τοῦ γάμου βουλῇ οὐ μέτρα γῆς καὶ χρυσοῦ σταθμὸν θαυμάσασθαι μᾶλλον ἢ ὅτι γε τὴν ψυχὴν εὕρηκας χρυσῆν ὡς ἀληθῶς. Vid. Lambin. *ad* Horat. pag. 310. — Idcirco Fragmentum Libelli *de Nobilitate* hoc modo corrigimus: Καί τοι, κατὰ τοῦτον τὸν λόγον, οὐκ ὀρθῶς ἐπιτιμᾶσι Θέογνις οὐδ' ὁ ποιητὴς ὁ ποιήσας, κ. τ. λ.

(9) Diversam alibi sententiam plus semel Euripides expressit, uti in *Inone*, Fragm. XV. (Stob. Grot. Tit. LXXXVIII. pag. 360.)

Τὴν εὐγένειαν, κἂν ἄμορφος ᾖ γάμος,
Τιμῶσι πολλοὶ πρὸς τέκνων χάριν λαβεῖν,
Τό, τ' ἀξίωμα μᾶλλον, ἢ τὰ χρήματα.

Conf. Fragm. *Archelai* XX. (Stob. *Grot.* Tit. eodem.) Valck. *Diatr. Eur.* pag. 162. Cum Theognideo praecepto convenit Fragm. ex *Antiopa* XVIII. (in Stob. Grot. Tit. LXX. pag. 292.)

(10) Veneta Ἠ, male!

(11) Legendum videtur, καὶ δέοι τ' ἂν κηδεύειν, κ. τ. λ.

(12) Sic legit Veneta. Male in Aurel. ἢ ἀλλὰ.

(13) Veneta κρείττω, male!

(14) Aurel. in margine vere corrigit αὐτὸν εἶναι.

(15) Veneta Ἄρ' οὖν, male!

(16) Ordo colloquii postulat, ut legamus ἔφην. Ipse enim, qui in hoc Dialogo disquirentis agit partes, sic sermonem dirigit ad disputationis finem.

Sectio I. §. 15.

εὐπρόσωπον, καὶ τὸ εὐόφθαλμον· ἀγαθὸν γάρ τι ἢ καλὸν σημαίνει κατὰ τοῦτον τὸν λόγον πάνυ γε (17) εἶπεν· οὐκοῦν εὐπρόσωπον μεν ἐϛι τὸ ἔχον ἀρετὴν προσώπου, εὐόφθαλμον δὲ τὸ ὀφθαλμοῦ ἀρετήν; οὕτως εἶπεν· ἀλλὰ μὴν ἔϛι γένος τὸ μὲν σπουδαῖον, τὸ δὲ φαῦλον, ἀλλ' οὐ σπουδαῖον; πάνυ γε εἶπε. σπουδαῖον δέ γε φαμὲν ἕκαϛον κατὰ τὴν αὐτοῦ ἀρετὴν εἶναι· ὥϛε καὶ γένος σπουδαῖον ὡσαύτως; οὕτως, εἶπε. δῆλον ἄρ' ἔφην, ὅτι ἐϛὶν ἡ εὐγένεια, ἀρετὴ γένους.

Item alterum.

Alterum ex eodem Libello Aristotelico *de Nobilitate* Fragmentum est apud Stobaeum Serm. LXXXVI. quod, quamvis ad caussam nostram proxime non pertineat, quippe in quo nulla amplius de Socrate ejusve uxoribus est mentio, addere tamen priori h. l. visum est, quia universa disputationis ratio sic melius perspicitur, et haud multa inter prius ac posterius Fragmentum deësse videntur. In primâ quidem Editione Trincavellianâ Venetâ hoc Fragmentum, nullâ in margine additâ notâ, qua Aristoteles auctor appelletur, cohaeret cum praecedenti laciniâ, quae petita est ex deperdito Plutarchi Libello similis περὶ Εὐγενείας argumenti: Sed, alterius esse Scriptoris disputationem diversam, legenti facile patet; recteque adeo sequentes Editiones *Aristotelis de Nobilitate* indicium in margine adjecerunt.

Φανερὸν τοίνυν ἔφην ἐγὼ, περὶ ὧν πάλαι διηπορήσαμεν (1), διὰ τί ποτε οἱ ἐκ πάλαι πλουσίων, ἢ οἱ ἐκ πάλαι σπουδαίων, εὐγενέϛεροι δοκοῦσιν εἶναι μᾶλλον τῶν σύνεγγυς τἀγαθὰ κεκτημένων· αὐτὸς γὰρ ἐγγύτερος σπουδαῖος ὢν, ἢ πάττου σπουδαίου τετυχηκὼς (2), ὥϛ' εἴη ἂν εὐγενὴς ὁ ἀγαθὸς ἀνήρ· καί τινες εἰρήκασιν οὕτως, ἐκ τοῦ διελέγχειν προσποιούμενοι τὸν συλλογισμὸν τῆς εὐγενείας, ὥσπερ φησὶ καὶ Εὐριπίδης, οὐχὶ τῶν ἐκ πάλαι σπουδαίων (3)

(17) Et hic et mox Veneta male, πάνυ γὰρ.

(1) Sic recte Veneta Ed. cum coll. Grot. Cod. A. quum in Aurel. vitiose sit διησαρήπομεν.

(2) Vitiose etiam in eâdem Ed. τετυχηκός.

(3) Ejusmodi dicta Euripidéa reperiuntur multa: Hoc quidem loco unum laudasse satis sit, egregium Fragmentum ex *Alexandrâ* vel *Alexandro*, (Stob: *Grot. Floril.* Tit. LXXXVI pag. 350.)

Περισσόμυθος ὁ λόγος, εὐγένειαν εἰ.
Βρότειον εὐλογήσαμεν.
Τὸ γὰρ πάλαι καὶ πρῶτον ὅτ' ἐγενόμεθα,
Διὰ δ' ἔκρινεν ἁ τεκοῦσα γᾶ βροτούς.
Ὁμοίαν χθὼν ἅπασιν ἐξεπαίδευσεν ὄψιν.
Ἴδιον οὐδὲν ἔχομεν· μία δὲ γονὰ

Τά

εὐγένειαν φάμενος εἶναι, ἀλλ' οἷς τὶς ἀνὴρ ἀγαθοὶ ἁπλῶς. τὸ δ' οὐκ ἔςιν, ἀλλ' ὀρθῶς ζητοῦσιν οἱ τὴν ἀρχαίαν ἀρετὴν προτιθέντες (4)· τὰ δ' αἴτια εἴπομεν τουτέςιν, ὅτι ἡ μὲν εὐγένειά ἐςιν, ἀρετὴ γένους, ἡ δ' ἀρετὴ, σπουδαῖον· σπουδαῖον δ' ἐςὶ γένος, ἐν ᾧ πολλοὶ σπουδαῖοι πεφύκασιν ἐγγίνεσθαι· συμβαίνει δὲ τὸ τοιοῦτον, ὅταν ἐγγένηται ἀρχὴ σπουδαία ἐν τῷ γένει· ἡ γὰρ ἀρχὴ τοιαύτην ἔχει τὴν δύναμιν, πολλὰ παρασκευάζειν, οἷά περ αὐτή. τοῦτο γάρ ἐςιν ἀρχῆς ἔργον, ποιῆσαι (5) οἷον αὐτὴ, ἕτερα πολλά. ὅταν οὖν ἐγγένηται τοιοῦτος εἷς τις ἐν τῷ γένει, καὶ οὕτω σπουδαῖος, ὥς' ἔχειν τὸ ἀπ' ἐκείνου ἀγαθὸν πολλὰς γενεὰς, τοῦτο σπουδαῖον ἀνάγκη εἶναι τὸ γένος· πολλοὶ γὰρ ἔσονται σπουδαῖοι ἄνθρωποι, ἄν τε ἀνθρώπων ᾖ τὸ γένος, ἄν τε ἵππων, ἵπποι· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων, ὥς' εὐλόγως οὐχ οἱ πλούσιοι, οὐδ' οἱ ἀγαθοὶ, ἀλλ' οἱ ἐκ πάλαι πλουσίων, ἢ ἐκ πάλαι ἀγαθῶν, εὐγενεῖς εἶεν ἄν· ζητεῖ γὰρ ὁ λόγος τἀληθῆ· ἀρχὴ γὰρ ἄνωθεν πάντων· οὐ μὴν, ἀλλ' οὐδὲ οἱ ἐκ προγόνων ἀγαθῶν εὐγενεῖς πάντως, ἀλλ' ὅσοι τυγχάνουσιν ἀρχηγοὶ τῶν προγόνων ὄντες (6)· ὅταν μὲν οὖν αὐτὸς ἀγαθὸς, μὴ ἔχει δὲ τοιαύτην δύναμιν τῆς φύσεως, ὡς τίκτειν πολλοὺς ὁμοίως (7), οὐκ ἔχει ἀρχὴν (8) τοιαύτην δύναμιν ἐν τούτοις· ἀρχὴ τοῦ γένους, καὶ εὐγενεῖς, οἱ ἀπὸ τούτου τοῦ γένους ὄντες, οὐκ ἐὰν ὁ πατὴρ εὐγενὴς ᾖ, ἀλλ' ἐὰν ὁ ἀρχηγὸς τοῦ γένους· οὐ γὰρ δι' αὐτὸν ὁ πατὴρ ἐγέννησεν ἀγαθὸν, ἀλλ' ὅτι ἐκ τοιούτου γένους ἦν. SECTIO I. §. 15.

Τό, τ' εὐγενὲς καὶ τὸ δυσγενές.
Νόμῳ δὲ γαῦρον αὐτὸ κρίνει χρόνος.
Τὸ φρόνιμον εὐγένεια· καὶ τὸ συνετόν
Ὁ Θεὸς δίδωσιν, οὐχ ὁ πλοῦτος.

In iis, quae apud Stobaeum in Fragmento nostro sequuntur, manifestum est, mendosa vere esse correcta in margine Aurel. hoc modo: ἀλλ' ἔςις ἀνὴρ ἀγαθός.

(4) Aurel. in marg. προστιθέντες, rectius, ut videtur.

(5) Coll. Grot. Cod. A. ἅπερ αὐτή.

(6) Si lectio sana sit, ista hoc modo interpretanda videntur: *Neque vero omnes, qui ex majoribus fortibus et bonis prognati sunt, nobiles sunt; sed illi, qui et ipsi auctores sint novae illustrium majorum seriei.* Forte tamen melius sit statuere, vocem excidisse aliquam, legendumque e. gr. ἀλλ' ὅσοι τυγχάνουσιν ἀρχηγοὶ τῶν προγόνων ὄντες ὅμοιοι· ὅταν μὲν οὖν κ. τ. λ. ut ista vox propter similitudinem praecedentium et sequentium omissa videatur; vel denique legendum ἀρχηγοὶ τῶν ἐγγόνων ὄντες. Vide THOM. MAG. pag. 850. ibique OUDENDORP.

(7) Praestaret, ni fallor, ὁμοίους; atque ita vertit Interpres.

(8) Sensus omnino nullus est in hisce: Aurel. in margine pro ἀρχὴν potius legendum existimat ἀρχή: Ego vero prorsus omittendam censeo vocem inutiliter repetitam, totumque locum constituendum hoc modo: Ὅταν μὲν οὖν αὐτὸς ἀγαθὸς, μὴ ἔχει δὲ τοιαύτην δύναμιν τῆς φύσεως, ὡς τίκτειν πολλοὺς ὁμοίους, οὐκ ἔχει τοιαύτην δύναμιν ἐν τούτοις ἀρχὴ τοῦ γένους· καὶ εὐγενεῖς, κ. τ. λ.

Sectio I. §. 15.

Sententia Auctoris Aristotelici de Nobilitate exponitur.

Atque haec duo, quae modo descripsimus, Fragmenta, quantum ego noverim, sola sunt, ex naufragio, quod Libellus περὶ Εὐγενείας cum tot aliis fecit eruditae Antiquitatis monumentis, ad nostram usque aetatem servata a Ioanne Stobaeo, cujus diligentiae quam plurimas debemus ex eodem naufragio tabulas. Quod si quaeratur, an aliqua ex iis conjectura capi possit, utrum vere, nec ne, Aristoteles Libelli sit auctor, equidem hunc foetum ab ipso non propterea quidem abjudicaverim, quod perspicue ex illis reliquiis apparet, scriptum fuisse Sermonem formâ Dialogi, quum tamen Librorum Aristotelicorum, quos qualesque hodie legimus, ne unus quidem illam formam habeat: Etenim multos olim ab illo scriptos fuisse libellos dialogo, eo verius docuit Ioannes-Gerardus Vossius (1), quod ipse Cicero (2) Libros suos de *Oratore* " Aristoteléo se more exarasse professus sit." Alia mihi est, eaque firmior, dubitandi ratio, — scribendi nempe genus, copiosum, floridum, luminibus ornatum Poëtarumque sententiis, magis quam mos fert Aristotelis, in iis quidem qui supersunt ejus Commentariis, atque adeo stylus (ut ita dicam) a severitate Aristoteleâ alienior. Paucis ille in Libro *de Republicá* tertio (3): Οἱ δὲ ἐλεύθεροι καὶ εὐγενεῖς, ὡς ἐγγὺς ἀλλήλων· πολῖται γὰρ μᾶλλον οἱ γενναιότεροι τῶν ἀγεννῶν· ἡ δὲ εὐγένεια παρ' ἑκάστοις οἴκοι τίμιος, ἔτι διότι βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων· εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους. Noster Libelli *de Nobilitate* parens, iisdem plane verbis usus, atque, nisi ipse Aristoteles, hunc tamen ob oculos habens, ἡ μὲν εὐγένειά ἐστιν ἀρετὴ γένους, ἡ δ' ἀρετὴ, σπουδαῖον, caetera amplificat et ornat, ut juniorem aliquem e Peripateticis, qualis fuit Aristoxenus aut Demetrius Phaléreus, potius quam ipsum Stagiriten, audire te existimes. Utrique Plato praeiverat in laudatissimâ illâ Oratione funebri, quam Socrates, ut ab Aspasiâ habitam, apud eum retulisse dicitur (4). Δοκεῖ μοι χρῆναι, κατὰ φύσιν, ὥσπερ ἀγαθοὶ ἐγένοντο, οὕτω καὶ ἐπαινεῖν αὐτούς. ἀγαθοὶ δὲ ἐγένοντο διὰ τὸ φῦναι ἐξ ἀγαθῶν. — Atque ita cum sentiret quoque noster περὶ Εὐγενείας Auctor, sic tamen disserit, ut prius sententiam proponat, quam (sicut ipse solebat in talibus Aristoteles) Lycophroni Sophistae, velut dissentienti, tribuit, qui

(1) *De Philosophorum Sectis* Cap. XVII. §. 12.

(2) In Epist. *ad Lentulum* Lib. I. ad Div. Ep. 9. in f. « *Scripsi igitur, Aristoteléo more,* ,, *quemadmodum quidem volui, tres Libros, in disputatione ac dialogo de Oratore.*"

(3) Pag. 244. ed. P. Victorii.

(4) In *Menexeno* initio, pag. 404. E. ed. Lugd.

Et genus et proavos, et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra

SECTIO I. §. 15.

putaret; summamque dictorum hanc colligeret:

Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, Nobilitas sola est atque unica Virtus.
Paullus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto.

Quam EURIPIDES ante Juvenalem sic extulerat sententiam (5):

Οὐκ ἔςιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια,
Παρ' ἀγαθοῖσι δ' ἀνδρῶν·

atque alibi (6).

Εἰς δ' εὐγένειαν ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά.
Ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνὴρ·
Ὁ δ' οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.

Noster, Lycophronem ut refelleret, initio ducto ab ipso τῆς εὐγενείας etymo, atque istud, quod est in antiquâ voce ἐὺς vel ἠὺς, *veriloquium* latius persecutus, altero deinceps apud STOBAEUM Fragmento, quod cum priori propemodum cohaeret, HORATIANAM sententiam pluribus confirmat.

Fortes creantur fortibus et bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Quam ῥῆσιν ex Theognide ductam quivis agnoscit. — Neque tamen universe omnes, qui ex fortibus et bonis creati sint, *generosos* esse ait Noster (sic enim τοὺς εὐγενεῖς in hac re commode vertamus,) sed qui, praeclaro genere nati, ipsi avitam hanc virtutem, ex se suam, ad posteros propagare queant, ὅσοι, ἐκ προγόνων ἀγαθῶν εὐγενεῖς, καὶ αὐτοὶ ἀγαθοὶ, τοιαύτην δύναμιν τῆς φύσεως ἔχοιεν, ὡς τίκτειν πολλοὺς ὁμοίους, ἀρχηγοὶ τῆς εὐγενείας ὄντες.

(5) In *Alex.* Fragm. XIII.
(6) In *Dictye* Fragm. X.

Sectio I. §. 15.

Fragmentum Libelli de Nobilitate emendatur.

Igitur, quum perspicuus satis sit horum Fragmentorum, foede licet habitorum, sensus, unus tamen restat locus, quem corruptum et depravatum quivis, ni fallimur, monitus sentiat, quique ut emendetur eo magis nostrâ interest, quod in eo, ut supra dicebamus, caussae nostrae cardo potissimum verti videatur. Quid, quaeso, ista sibi volunt? *Καθάπερ καὶ Σωκράτης διὰ γὰρ τὴν Ἀριςείδου ἀρετὴν, καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ γενναίαν εἶναι. Σιμωνίδην δέ φασιν κ. τ. λ.* Primum nulla in iis, uti leguntur et interpunguntur, — nulla prorsus est constructio Grammatica, dein nullus sensus. Si sit aliquis, hic esse debet, " Socratem existimasse, propter Aristidis virtutem ejus etiam filiam genero-,, sam fuisse magnoque animo praeditam." Sed cur existimavit aut quomodo? An simplex et nuda haec Philosophi fuit opinio, nullo facto, nullo rei testimonio probata? Neutiquam, ut arbitror: Novimus scilicet, indicio Plutarchi atque Athenaei, in isto περὶ Εὐγενείας Libello Aristoteléo traditum fuisse, Myrtonem, Aristide prognatam, Socratis fuisse uxorem, qui eam, virtutis paternae potissimum gratiâ, matrimonio sibi junxerat; novimus praeterea, ansam hanc fuisse junioribus sive principium rumoris, secundum quem adfirmarent, geminam Philosopho, eodem tempore, conjugem fuisse, quacum domi viveret. Persuasissimum itaque mihi est, ut fuit ante me Viro summo Ioanni Seldeno (7), hunc ipsum esse locum, de quo quaeritur, sed ab Auctore

(7) In Praefatione ad Librum *de Titulis Honorum*, Opp. Vol. III. pag. 101. Quoniam opus istud in paucorum extra Angliam est manibus, labori parcendum non existimavi, quin hic totum adscriberem.

« One Book was written by Aristotle, being also of better blood and descent than ,, most of the known Philosophers, περὶ Εὐγενείας, or *of Gentry*, (which was then most ,, usually taken to be as an inheritance of remarkable estate and virtue, derived from the ,, Ancestors,) a Fragment whereof is put at the end of some of his editions. And that he ,, wrote such a one, is justified also by *Laërtius* in his Life, and by *Athenaeus* (*Deipn.* ,, Lib. 13.) though indeed *Plutarch* doubts (*in Arist.* sub extr.) whither that were his ,, or no, which in his time was inscribed so. And I verily believe, *Plutarch* meant but ,, the self-same, whereof the Fragment attributed to him is a part. For the passage in ,, him is, « that *Demetrius Phaléreus*, *Hieronymus Rhodius*, *Aristoxenus*, and *Ari-* ,, ,, *stotle* (εἰ δὲ περὶ Εὐγενείας βιβλίον ἐν τοῖς γνησίοις Ἀριςοτέλους θετέον, *if that Book* of ,, ,, Gentry *be truly* Aristotle's) all agree, that *Socrates*, while his wife *Xanthippe* lived, ,, ,, took also in his house *Myrto* (θυγατριδῆν Ἀριςείδου, niece to *Aristides*,) and maintai- ,, ,, ned her." Now, in that Fragment the words are, οἱ μὲν γὰρ ἐξ ἀγαθῶν γονέων Εὐγενεῖς ,, εἶναι νομίζουσι, καθάπερ καὶ Σωκράτης· διὰ τὴν Ἀριςείδου ἀρετὴν καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ γενναίαν ,, εἶναι, *for some esteem those well-born or of gentle blood, that are born of good* ,, *parents, as* Socrates *did, in that he esteemed Aristides his daughter generous, by* ,, *reason of her fathers virtues.* This was part of that, which I presume *Plutarch* ,, had,

scriptum hoc fere modo: *Οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἐξ ἀγαθῶν γονέων εὐγενεῖς εἶναι νομίζουσι, καθάπερ καὶ Σωκράτης· διὰ γὰρ τὴν Ἀριστείδου ἀρετὴν, καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ* ΓΕΓΑΜΗΚΕΝΑΙ, *Σιμωνίδην δέ φασιν ἀποκρίνασθαι διερωτώμενον κ. τ. λ. Hi quippe fortibus et bonis prognatos parentibus generosos esse censent, quemadmodum et olim Socrates: Illum enim propter Aristidis virtutem filiam quoque ejus duxisse, Simonidem autem ferunt interrogatum, quinam essent nobiles, respondisse* &c. — Sic sua verbis constat sententia, sua argumento vis et efficacia, quum iste infinitivus modus *γεγαμηκέναι*, continuâ constructione et periodo, pendeat a sequenti *φασὶ*, haud minus quam subjuncta, *Σιμωνίδην δὲ ἀποκρίνασθαι διερωτώμενον.* Quam vicini sint ductus literarum ΓΕΝΝΑΙ̃ΑΝ ΕΙ̃ΝΑΙ et ΓΕΓΑΜΗΚΕ΄ΝΑΙ quivis intelligit. Quod si utile aut necessarium cuiquam videatur, ut vox *γενναῖα*, tanquam epitheton de filiâ Aristidis valde appositum, in isto loco servetur, (quod tamen secus existimem) per me licet, mendum tollat hoc modo: *διὰ γὰρ τὴν Ἀριστείδου ἀρετὴν καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ γενναίαν* ΓΗ͂ΜΑΙ, ut haec posterior vox tantum succedat in locum corrupti *τοῦ* ΕΙ̃ΝΑΙ. Alterutro modo legamus, ea, quae omnino desideratur, mentio existet ejus facti, quo Socrates probaverit, paternam se virtutem in Aristidis filiâ agnoscere, — mentio, scilicet, nuptiarum, quas cum generosâ, sed paupere, civis justissimi prole iniverit; quae matrimonii Socratis cum Myrtone prodita ab Auctore nostro posteris memoria *ἐνδόσιμον ἔδωκε* junioribus Peripateticis *τοῦ περιτιθέναι Σωκράτει δύο γαμετὰς γυναῖκας, Ξανθίππην καὶ τὴν Ἀριστείδου Μυρτώ.* — Verum, donec haec latius in postremâ hujus Diatribes nostrae Parte persequamur, juvabit interim utrumque Fragmentum Aristoteléum, uti a nobis expurgatum est, Latine legisse, antequam primae huic Parti coronidem imponamus.

„ had, in that Book of *Aristotle*, concerning *Myrto*, though he more truly make her
„ niece to the great *Aristides*. For, that Socrates should marry *Aristides the Just*,
„ (who is meant here) his daughter, the concurrence of times, the most exquisite touch-
„ stone for story, permits not, as it was long since (*Athen.* lib. cit.) also observed: Unless
„ you will interpret *Aristotle* according to that of the old Civilians (*π. de verb. sign.*
„ L. 220. 201. 104. et 56.) received doubtless out of such as were antient also to them:
„ *Liberorum appellatione, nepotes et pronepotes, caeterique qui ex his descendunt,*
„ *continentur.*" —

Ex qua quidem loci Aristotelêi interpretatione, verba, uti hodie leguntur, Seldeno suspecta de vitio fuisse non videntur, ita ut vocem *ἐνόμισε* ex praecedentibus repetierit subintelligendam, *διὰ γὰρ τὴν Ἀριστείδου ἀρετὴν, καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ (ἐνόμισε) γενναίαν εἶναι.* Durior tamen et a scriptore erudito alienior est locutio, quam ut facile eam admittamus. Sin verba nobiscum emendentur, Seldeni inde confirmabitur sententia, non alium fuisse locum, quem Plutarchus et Athenaeus spectaverint; atque haec est sententia, in qua non levem pro opinione meâ, dudum susceptâ, me reperisse auctoritatem, est quod impense gaudeam.

SECTIO I. §. 15.

Interpretatio utriusque Fragmenti.

" *Omnino autem* de Nobilitate *dubius equidem haereo ; quos appellare* ,, Nobiles *oporteat. Neque vero de hac meá me dubitatione sine ratione* ,, *sic loqui, apparet: Namque et a vulgo et a sapientibus haec in quae-* ,, *stionem adducuntur; illa minus traduntur perspicue: Ac primum quidem* ,, *de eo, quid valeat: Illud nimirum dico, an nobilitas sit hominum hono-* ,, *ratiorum ac laudatiorum, an, quemadmodum Lycophron scripsit Sophi-* ,, *sta, res prorsus inanis et vana. Quippe, nobilitatem cum aliis inter se* ,, *componens bonis, rem esse ille ait, cujus pulchritudo sit évanida, omnis* ,, *autem decor verbis tantum contineatur, utpote cujus cupido ad opinionem* ,, *hominum spectet, sed re verá ignobiles a generosis nullá parte esse* ,, *diversos."*

" *Sicuti vero disceptatur, quo bonitatis gradu nobilitas consistat, ita etiam* ,, *quaeritur, quos* generosos *seu* bene-natos *appellare oporteat: Alii enim* ,, *eos, qui parentibus bonis creati sint,* bene-natos *esse existimant, quem-* ,, *admodum et Socrates: Namque cum, propter Aristidis virtutem, filiam* ,, *quoque illius (tanquam generosam) duxisse uxorem ferunt; Simonidem* ,, *autem, cum ab eo quaereretur, quinam essent* bene-nati, *respondisse,* ,, *hos esse, qui majoribus a longo inde tempore locupletioribus essent pro-* ,, *gnati: Quamquam, si id verum est, minus aequa reprehensio est Theo-* ,, *gnidis, illiusque Poetae, qui scripsit:*

,, Nam celsa gentis decora qui laudant, tamen
,, Opulentiores potius affines legunt. [GROT.]

,, *Nonne per Jovem potior hic tibi magisque exoptandus videtur, qui ipse* ,, *dives sit, quam cujus proavus aut majorum aliquis opibus fuerit beatus,* ,, *ipse vero sit pauper? Quidni igitur dixit Poëta, affinitatem divitum magis* ,, *quam nobilium esse expetendam: Nobiles quippe sunt antiqui; potiores* ,, *autem sunt, qui nostrá aetate opibus valent. Atqui vero nonne idem* ,, *dicendum, si quis censeat, nobiles haud esse, qui majoribus a longo* ,, *inde tempore opulentis sint prognati, sed qui ex majoribus a longo inde* ,, *tempore probis ac honestis orti? Nam potior recens quam antiqua vir-* ,, *tus esse videatur, et e patris potius indole unusquisque partem ad se ali-* ,, *quam derivasse, quam ex indole proavi. Optabilius vero est, ipsum* ,, *laudatum esse virum, quam proavum habuisse majorumve alium quem-*

,, piam,

,, *piam, qui cum laude vixerit. Recta me dicere, adsensus est. Itaque,* SECTIO I. §. 15.
,, *quandoquidem videmus, in neutrá harum rerum nobilitatem consistere,*
,, *alione hoc modo considerandum est? Quo demum? Hoc, inquam, ut*
,, *jamjam consideremus, an vox illa* bene *quidpiam significet, quod inter*
,, *res laudandas et expetendas referatur; e. gr. si* bonâ facie praeditum *aut*
,, bene-oculatum *dicamus: Namque secundum hanc quidem rationem excel-*
,, *lens aliquid et pulchrum significat. Omnino, inquit. Nonne igitur* bonâ
,, facie praeditum *illud est, quod habet excellentiam faciei, et* bene-ocula-
,, tum *illud, quod habet excellentiam oculi? Sic est, inquit. Atqui vero*
,, *est genus aliud laudatum et probum; aliud nullius pretii ac nequam,*
,, *minimeque laudatum? Certe est, inquit. Laudatam autem rem unam-*
,, *quamque dicimus, secundum ejus excellentiam; pariterque adeo genus*
,, *laudatum ac probum? Prorsus ita est, ait. Idcirco, inquam, manifestum*
,, *est,* bonos natales *seu* nobilitatem generis *illius esse excellentiam.*"

" *Igitur, qua de re antea dubii haesimus, perspicuum jam est, cur demum*
,, *illi, qui ex majoribus a longo inde tempore locupletibus essent orti, vel*
,, *illi, qui ex majoribus a longo inde tempore laudatis, generosiores esse*
,, *videantur illis, qui haecce bona proxime sint consecuti. Propior enim*
,, *est, qui ipse sit laudatus, quam qui avum laudatum sit nactus; sic quidem*
,, *ut vir excellens idem sit nobilis: Et sunt, qui ita dixerint: Disputando*
,, *quippe adducti argumentum* de Nobilitate *isto concludunt modo, quemad-*
,, *modum etiam Euripides ait, nobilitatem non deduci ex majoribus antiqui-*
,, *tus laudatis, sed nobilem esse simpliciter, qui bonitate praestet. Id vero*
,, *minime sic se habet: Sed recte de hac quaestione agunt, qui priscam*
,, *recentiori addunt excellentiam. Rationem damus hanc, quod* nobilitas
,, *sit excellentia generis; excellentia vero res est laudata. Laudatum autem*
,, *est genus, in quo plures laudati nasci adsolent. Illud porro accidit, quan-*
,, *do generi inest principium laudatum: Nam principium rei hanc habet*
,, *vim, ut multa sequentia efficiat, quale sit ipsum. Id scilicet principii*
,, *opus, ea vis est, ut alia multa talia reddat, quale sit ipsum. Quando*
,, *itaque generi alicui talis inest vir unus, qui adeo sit laudatus, ut bonum*
,, *istud, quod ab illo exorsum est, multas deinceps posterorum aetates occu-*

SECTIO I. §. 15. „ *pet, necesse est, hanc esse laudatam gentem: Namque multi erunt laudati „ homines, si de genere hominum agatur aliquo; sin de genere equorum, „ equi; et de caeteris animantibus similiter; ita ut optimâ cum ratione, non „ qui divites sint, neque qui bonitate praestent, pro nobilibus habeantur, „ sed qui orti sint ex majoribus a longo inde tempore divitibus aut ex majo- „ ribus jam antiquitus bonis: Ratio enim, quid verum sit, quaerit. Princi- „ pium quippe rerum omnium inde ab origine est repetendum. Neque vero „ hoc satis est; nam neque qui bonis majoribus sint prognati, omnino sunt „ nobiles, sed quicunque ipsi novae stirpis, majorum instar, sint auctores. „ Cum quis igitur ipse quidem sit bonus, neque tamen hanc naturae habeat „ facultatem, ut progignat multos similes, principium gentis in talibus istam „ vim minime habet; atque ex illâ gente nati non sunt nobiles, si pater „ eorum sit nobilis, sed si princeps atque auctor gentis: Nam pater non „ ipse per se fortem creavit ac bonum, sed quia ex genere ejusmodi origi- „ nem duxerat."*

§. 16. *Totius disputationis, sub uno conspectu, conclusio.*

§. XVI. *Universa de Διγαμίᾳ Atticâ et binis Socratis Uxoribus argumentatio sub uno conspectu proponitur; alteriusque disputationis de iis, qui Socratem διγαμίας accusarunt, brevis descriptio exhibetur.*

Restat, ut, quae plenius disputavimus, jam facilioris intellectûs gratiâ in breviorem gyrum contrahamus, et, quod inde ducitur, argumentum paucis concludamus. Demonstratum a nobis est, quum Fabula de *geminâ Uxore Socratis* duplici nitatur fundamento, tum testium, tum scriptae auctoritatis, ne de ipsis quidem testibus, quid singuli dixerint, constare; tum testimonia inter se esse diversa, repugnantia, contraria; factum vero ipsum labefactari silentio aliorum, et universe per adjuncta ac consequentia refelli; pugnare item cum fide Historiae, cum ratione Juris Attici, cum moribus in scenâ Atticâ conspicuis; denique haud dubium esse, narrationem illorum testium cum veritate congruere non posse: Quod autem ad duplicem attinet auctoritatem scriptam, qua Fabulae utuntur Patroni, utramque ipsis esse adversam, ejusmodi saltem illas esse, ut accusationem minime probent: Quando vero, ab alterâ parte, ostensum a nobis antea est, ex universâ Antiquitate nullos omnino nisi Peripateticos istam Fabulam ad posteros prodidisse, eamque ab

Aristoxeno quidem maxime, deinceps ab Hieronymo Rhodio et Satyro, tanquam per manus fuisse traditam, ita ut illam, a primo horum Aristotelicorum acceptam, Porphyrius porro propagaverit, et velut certissimum Socratis opprobrium ad Patres Ecclesiae Christianae transmiserit; — his igitur omnibus expositis, demonstratis, et probatis, jure ac merito colligere nobis videmur, non inconsiderate, non temere, non falso, sed vere, sed meditato certoque consilio a nobis olim fuisse scriptum, " inter Peripateticos, πολυϊστορίαν affectan-,, tes, fuisse, quorum fallax auctoritas Historiae Philosophicae Scriptores de-,, ceperit: Atque inter haec mendacia insignem esse, cujus Aristoxenum ,, praesertim auctorem tulit Porphyrius, fabulam *de geminâ Uxore*, quam ,, eodem tempore habuerit Socrates. Hanc enim in virum sapientissimum ,, accusationem, ut et similem, quam in Euripidem memorat Gellius, ,, meram esse calumniam." Sectio I. §. 16.

At vero, quum talia nemini displicere possint, qui quidem Antiquos eo, quo virum bonum ac sapientem decet, amore colat et amet, id est, illo, qui a studio veri nunquam disjungatur, accidit praeter opinionem, ut in offensionem inciderem illius, qui honori ac famae Aristoxeni jam tum temporis patrocinium suum ita addixerat, ut quod ad unum omnes, Veteres ac Recentiores, in illo agnoscunt vitium *maledicentiae* seu *malevolentiae*, non dissimularet tantum aut, quantum pote, velaret ac tegeret, sed omnino, suâ solius auctoritate ac judicio, sine caussae dictione, negaret et tanquam falsum crimen depelleret. Quin, quasi illicitum foret et nefas, ea, quae nonnulli ex Antiquis, sive secta fuerit, sive aliquis scriptor unus e multis, peccaverunt aut perperam atque aliter tradiderunt quam fides bona postulasset, notare vel etiam in clarâ luce collocare, repertus est, qui scriberet (1) " videri ,, sibi *gravi in errore versari* eos, qui aut praejudicatâ opinione, aut nimio ,, aliorum Philosophorum amore capti, auctoritatem Peripateticorum in du-,, bium vocare et labefactare conentur; imo potius sic se existimare, vel *ma-,, ximam illorum esse auctoritatem*, summâque diligentiâ operum eorum ,, fragmenta esse colligenda." *Seqvxentis disputationis brevis descriptio.*

Igitur, cum tam *gravem erroris* mihi *dicam* scriptam viderem, factum est hujus potissimum viri operâ, cui, (quaecunque demum stomachi caussa fuerit,) ista debetur *erroris* accusatio, ut, quod mihi in praesenti disputatione *de binis Socratis Uxoribus* πάρεργον fuisset, eâ tantum tenus tractandum, quâ tres testes *e* sectâ Peripateticorum, Aristoxenus, Hieronymus Rhodius, Satyrus, crimine

(1) Auctor *Diatribes de Aristoxeno* pag. 94.

Sectio I. §. 16. ψευδομαρτυρίας erant convincendi, quaque id crimen ex adjunctis, levitate eorum inprimis, indole morosâ, fraudulentâ, ac maledicâ, erat confirmandum; — ut illud igitur πάρεργον jam ut justum opus et tanquam pars caussae nostrae pertractandum videretur: Quocirca illi disceptationi alteram nostrae Diatribes partem destinavimus, in qua hic ordo erit servandus, ut, post praemissa nonnulla de dissensione aut discordiis veterum Philosophorum, atque inde natis calumniis, ostendamus, praecipuos in istis litibus ac contentionibus Aristotelicos fuisse, quorum plures erga alias sectas fuerint invidi, praecipue erga Academicos: Quumque has, quibus se invicem insectarentur, calumnias et opprobria Philosophi peterent etiam ex scriptis et orationibus eorum, qui universae Philosophiae erant hostes, (de quibus hostibus paucula adjungemus,) demonstrabimus deinceps, huic insectandi ac calumniandi proposito maxime inserviisse, quae Ptolemaeorum aetate invaluit, πολυϊστορίαν, cumque hac fere conjunctam libros sub alieno nomine fingendi licentiam. Qua πολυϊστορία cum prae aliis omnibus ita eminuerint Peripatetici, ut a fingendi quoque licentiâ sibi non temperarent, (quod de Theophrasto tamen, de Demetrio Phaléreo, similibusve, dicere non ausimus) Satyrum in hunc censum referemus, mendacemque Hieronymum Rhodium, et maledicentissimum Aristoxenum, de cujus viri indole in universum, praesertim autem de illius erga Socratem animo, agemus datâ haud leviter operâ; eandemque operam Porphyrio impendemus ante omnium oculos producendo, ut tanquam acerbissimus Socratis hostis cognoscatur. Quando vero Cyrillus, Hieronymus Stridonensis, Theodoretus, aliique ex eorum numero, qui *Ecclesiae* dicuntur *Patres*, haud veriti fuerint Porphyrium, quem ipsi alias redarguebant et oderant, in re Socraticâ ut *testem fide dignum* appellare et sequi, de istâ Patrum etiam levitate et credulitate malevolâ, ne omissis quidem Tertulliano et Salviano, breviter agemus. — Tu, porro, Lector, qui veri mecum studio duceris, veritati favere pergito.

* * *

SECTIO SECUNDA; Sectio II.

de fide et auctoritate HISTORIAE PHILOSOPHICAE, *illius praesertim; quae Scriptoribus Peripateticis debetur,* ARISTOXENO *maxime,* HIERONYMO RHODIO, *et* SATYRO, *tum etiam* PORPHYRIO, *quos Patres, qui dicuntur, Ecclesiae plures sunt secuti.*

---

§. I. *De discordiis Philosophorum, mutuisque inter eos calumniis, ipsi tamen Philosophiae non imputandis.*

§. 1. *De discordiis Philosophorum.*

Inter omnes, qui aliquâ literarum laude, sive apud Antiquos, sive recentiori aetate floruerunt, nullus reperitur, qui Philosophiam, id est, verae virtutis ac sapientiae studium, pluris fecerit aut majori honore celebraverit quam M. TULLIUS CICERO, Philosophorum ipse inter Romanos eloquentissimus, cui *mater* (1) illa dicebatur *artium, bene factorum, beneque dictorum omnium, inventum ac munus, quo nullum majus aut melius hominum generi a Deo datum* est (2): Et idem tamen Cicero, res a personis, praecepta a moribus, doctrinam ab exemplis praeclare discernens, quas Philosophiae dabat laudes, non illas ipsorum semper esse Philosophorum arbitrabatur, neque sapientiae monita *apud ipsos valere, nisi admodum paucos, a quibus inventa, disputata, conscripta sunt. Quotus enim quisque,* inquit (3), *Philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vitâ constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam, non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat? Videre*

(1) *Disput. Tuscul.* Lib. I. Cap. 26.
(2) *Tusc. Disp.* ibid. *Acad. Quaest.* Lib. I. Cap. 2. *Epist. ad Div.* Lib. XV. Cap. 4.
(3) *Tusc. Disp.* Lib. II. Cap. 4. ubi plura notavit DAVISIUS.

SECTIO II. §. 1. *licet, alios tantâ levitate et jactatione, ut his fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vitâ mirabiliter pugnet oratio.* — Neque hoc solius Tullii judicium est: Fuerunt inter Graecos, qui pulcherrima Philosophos disserere, pessima facere, prudentiamque illam et intelligentiam, quam sermonibus et scriptis prae se ferebant, ipsorum factorum experientiâ refellere eos ac confutare faterentur.

Philosophorum vitia non ipsius sunt Philosophiae. Neque tamen, si haec aut similia de Philosophis palam aut Tullius conquestus est, aut quisquam alius, propterea pro Philosophiae inimico vel contemtore habeatur: Nec vero, si quid Philosophis exprobratur, illud aut in damnum Philosophiae interpretandum est, aut propterea succensendum illis, qui dedecora non ipsius artis detegunt, sed magistrorum, qui artem vitae profitentur: Nec denique ex ipsâ Philosophiâ argumentum desumendum est, quo istiusmodi vitia negemus, quasi qui artem vitae profiteatur, idem in vitâ labi aut delinquere non possit. Quae si falsa argumentatio jam olim sic quaesita tamen ac proposita fuit, ut illam eodem loco Cicero redarguat, non est quod miremur, reperiri et hodie, qui viro ingenuo dicam scribant, *gravisque erroris* culpam impingant, si is ausit veterum Philosophorum inter se invidentiam, rixas, atque ex rixis ortas calumnias et mendacia memorare. — Sed *erroris* istam ac pravae futilisque sententiae accusationem res ipsa deinceps revincat: De GELLIO nunc tantum agamus, qui cum memorasset (4) de Xenophontis Platonisque vitâ et moribus a Veteribus scripta, " non „ abfuisse scilicet ab iis motus quosdam tacitos et occultos simultatis aemula„ tionisque mutuae," ejusque rei *argumenta conjectatoria* (uti vocat) protulisset, post plura sic tandem concludit: *Sed enim de viris optimis et gravissimis si credendum hoc aut suspicandum fuit, caussam equidem esse arbitror non obtrectationis, nec invidiae, neque de gloriâ majore parandâ certationis: Haec enim procul a moribus Philosophiae absunt, in quibus illi duo omnium judicio excelluerunt. Quae igitur est opinionis istius ratio? Haec profecto est: Aequiparatio ipsa plerumque et parilitas virtutum inter se consimilium, etiamsi contentionis studium et voluntas abest, speciem tamen aemulationis creat.* — Sic in ipsâ Athenarum urbe, tot tantarumque inter Philosophos Philosophorumque Scholas discordiarum teste, otiosus noctem disputando (5) transegerit Gellius, sui ipsius oblitus, qui iisdem Com-

(4) *Noct. Att.* Lib. XIV. Cap. 3.

(5) Eadem nobiscum de hac Gellii excusatione sentit Cl. HINDENBURG *Animadv. in* XEN. *Mem. Socr.* Lib. III. Cap. 6. pag. 137. " Mihi (inquit) simultates istae, non tam a parilitate vir-
„ tutum

mentariis (6) antea illuserat in *Graecas istorum praestigias philosophari sese dicentium, umbrasque verborum inanes fingentium, qui se nihil habere, et nihil tamen egere ac nihil cupere dicerent, quum et habendo, et egendo, et cupiendo arderent:* Universa veteris Philosophiae Historia (ne de recentiori dicamus) contrarium sententiae Gellianae probat: Nec quisquam est, qui, inde a Socratis morte ad aetatem usque Ciceronis et Augusti, vitas Philosophorum, mores ac fata exploraverit, cui incognitum sit vere scripsisse Tatianum (7), quamquam in insectandis illis saepe nimium: Πολλὰ παρ' αὐτοῖς ἐςι προσκρούματα· μισεῖ μὲν γὰρ ἕτερος τὸν ἕτερον· ἀντιδοξοῦσιν δὲ ἑαυτοῖς, διὰ τὴν ἀλαζονείαν τόπους ἐπιλεγόμενοι τοὺς προὔχοντας. Sectio II. §. 1.

At vero putet aliquis, talia jure ac merito a Tatiano scribi potuisse de sui temporis Philosophis, cum eo impudentiae delapsa erat falsa ista, nihilque reliquum nisi barbam et pallium habens, Philosophia, ut stipem rogaret ac,

„ tutum consimilium, quam potius a studiorum vitaeque ratione, quam utrique secuti sunt, „ disparitate et dissimilitudine profectae esse videntur." Vid. praesertim I. G. Vossium *de Hist. Graecis* Lib. I. Cap. 5. Sed, ne de junioribus dicamus, Aristocles Peripateticus apud Eusebium *Praep. Euang.* Lib. XV. pag. 793. E. ubi sectae suae principem contra reliqua crimina defendit, duo tamen agnoscit sola, quorum alterum est, quod erga Platonem fuerit ingratus, ἕτερον δὲ, ὅτι ἠχαρίςησε Πλάτωνι.

(6) *Noct. Att.* Lib. XIII. Cap. 23. Pariter Quinct. *I. O.* Lib. I. Prooem. pag. 8. ed. Burm. « *Ac veterum quidem sapientiae professorum multos et honesta praecepisse, et, ut „ praeceperunt, etiam vixisse facile concesserim: Nostris vero temporibus sub hoc „ nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac studiis, ut „ haberentur Philosophi, laborabant, sed vultum et tristitiam, et dissentientem a „ caeteris habitum, pessimis moribus praetendebant.*" Ubi plura in istam sententiam loca indicarunt Interpretes, quibus, praeter Gebhardum et Pricaeum, ab iis laudatos, addendus est Laelius Bisciola *Horar. Subsec.* Lib. III. Cap. 7. Jam longo ante Quinctilianum tempore Plautus in *Curcul.* A. II. sc. 3. v. 9.

Tum isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant;
Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis;
Constant, conferunt sermones inter sese drapetae:
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis:
Quos semper videas bibentes esse in Thermopolio:
Ubi quid surripuere, operto capitulo calidum bibunt:
Tristes atque ebrioli incedunt. ——

(7) *Oratione ad Graecos* Cap. 6.

SECTIO II. §. 1.

nisi acciperet quod peteret, convicio turpi solita esset negantes incessere (8); priori autem, aureâ scilicet illâ Academiae et Lycéi, aetate alios Philosophorum fuisse habitus, aliam vivendi rationem, sacrumque tunc chorum sine invidentiâ fuisse: Φθόνος γὰρ ἔξω θείου χοροῦ, καὶ ζηλοτυπία δι' ἀσθένειαν ἀποκρύψαι μὴ δυναμένη τὸ ἀλγοῦν. — Ita existimaverit, qui Historiae Philosophicae nunquam pervolutaverit reliquias: Et de primis quidem Socraticis nos nonnulla mox dicemus. Saeculum autem, quo Philosophorum inter se calumniae consuetae maxime et vulgares fuisse videntur, aetas fuit Ptolemaeorum, qua scripsit Colotes: De hoc vero Colote, iisque qui Colotae scribendi morem imitabantur, idem, cujus verba modo retulimus, PLUTARCHUS (9) sic ait: τὰ γὰρ ἐν ἀνθρώποις αἴσχιστα ῥήματα, βωμολοχίας, ληκυθισμοὺς, ἀλαζονείας, ἑταιρήσεις, ἀνδροφονίας, βαρυστόνους, πολυφθόρους, βαρυεγκεφάλους συναγαγόντες, καὶ Πυθαγόρου, καὶ Πρωταγόρου, καὶ Θεοφράστου, καὶ Ἡρακλείδου, καὶ Ἱππάρχου, καὶ τίνος γὰρ οὐχὶ τῶν ἐπιφανῶν κατεσκέδασαν, ὥστε εἰ καὶ τὰ ἄλλα πάντα σοφῶς εἶχεν αὐτοῖς, διὰ τὰς βλασφημίας ταύτας καὶ κατηγορίας, ποῤῥωτάτω σοφίας ἂν εἴργεσθαι.

Mutua Philosophorum convicia, praecipue aetate Ptolemaeorum.

Caussam tam invidiosae maledicentiae tamque inhumanae calumniandi libidinis pulchre perspexit CICERO, qui, cum de criminationibus reliquorum Philosophorum in Epicurum Epicuréosque dixisset (et quis ignorat Zenonis praecipue ac Stoicorum erga illos acerbitatem?) — *sit* (10) *ista*, inquit, *in Graecorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de veritate dissentiant;* et alibi (11) Platonem in Gorgiâ admiratus, qui in Oratoribus irridendis ipse Orator summus videretur, *verbi,* inquit, *controversia jam diu torquet Graeculos homines, contentionis cupidiores quam veritatis.* — Ex isto fonte derivanda est tanta decori universae veteris Philosophiae famaeque Philosophorum illata clades; tam infinita probrorum cujuscunque generis multitudo, quae de illis apud Plutarchum, apud Diogenem Laërtium, apud Athenaeum praesertim, in congerendis ex omni Antiquitate sordibus sibi mire placentem, — inde apud Aelianum, Suidam, alios denique propagata ad posteros reperiuntur. — Κακήγορος ipse, si quisquam alius, *Deipnosophistarum* Scriba et Interpres, πεφύκασι δὲ, inquit, οἱ πλεῖστοι (12) τῶν φιλοσόφων

(8) Rem refert idem GELLIUS Lib. IX. Cap. 2. adeoque calumniatus non est TATIANUS *Orat. ad Graecos* Cap. 41. scribens: Ὁ δὲ κεκραγὼς δημοσίᾳ μετ' ἀξιοπιστίας, ἔκδικος γίνῃ σαυτοῦ, κἂν μὴ λάβῃς, λοιδορεῖς.

(9) In Diss. *suaviter vivi non posse sec. Epic.* Tomo II. Opp. pag. 1086. D.

(10) *De Finibus* Lib. II. Cap. 25.

(11) *De Orat.* Lib. I. Cap. 11.

(12) ATHENAEUS Lib. V. pag. 220. A.

φων κωμικῶν κατήγοροι μᾶλλον εἶναι. Cujus maledicentiae cum nonnulla ex Aeschinis et Antisthenis libris exempla sub Masurii personâ protulisset, acerrimam istam in Philosophos accusationem ipse his verbis absolvit: Ἐπιλείποι δ' ἄν με πᾶς χρόνος, εἰ ἐκτίθεσθαι βουληθείην τὰς σεμνὰς τῶν Φιλοσόφων μέμψεις· κατὰ γὰρ αὐτὸν δὴ τὸν Πλάτωνα ἐπιῤῥεῖ δὴ ὄχλος μοι τοιούτων Γοργόνων καὶ Πηγάσων καὶ ἄλλων ἀμηχάνων πλήθει τε καὶ ἀτοπίᾳ τερατολογιῶν τινῶν φύσεως. SECTIO II. §. 1.

Haec itaque de Philosophorum inter se reprehensionibus, nec disciplinae tantum aut opinionum sed vitae morumque vituperationibus, materia si tam ampla, tam varia est, ut *Gorgonum velut nubes* Athenaeo videretur, minime nobis animus est, istam disputationis nostrae accessionem datâ adeo operâ pertractare, ut ejus summam plene adnumeremus. Nondum exploratam hanc satis, aut sub uno saltem conspectu nondum collocatam, *Historiae Philosophicae* partem aliis, qui utilissimam rebus humanis doctrinam cum *veri studio* conjungant, elaborandam lubentes relinquemus. Nobis quidem exempla e pluribus pauca satis erunt superque, ut ab odio et invidiâ liberemur, si calumniarum, quibus Socrates a nonnullis, Scriptoribus maxime Christianis, tertio ac quarto post Christum natum saeculo, infamatus est, primam originem et quasi fontem investigando referamus ad Aristoxenum aliosque Aristotelicos, qui paulo post illum vixerunt, quorumque erga Academiam et antiquam disciplinam Socraticam invidentia in hoc κατηγορίας campo pabulum quasi quoddam quaesivisse videtur.

§. 2. *De origine et caussis discordiarum inter Philosophos.*

§. II. *De origine et caussis dissidii ac discordiarum inter Philosophos.*

Aristocles, ipse Peripateticus, et Philosophorum suae praesertim Scholae contra discipulos Isocratis ac reliquos Lycei obtrectatores defensor et vindex, in Libro tamen septimo *de Philosophiâ* (1) apud Eusebium, οἱ μέν τοι Σωκράτην διαδεξάμενοι, inquit, καὶ πάνυ τινες ἐγένοντο παντοῖοι, καὶ ὑπενάντιοι τὰς γνώμας. Quod suo more elegantius Cicero, (2) " Socratis, ait, multiplex ratio disputandi

(1) Namque περὶ φιλοσοφίας apud Euseb. in *Praep. Euang.* Lib. XI. pag. 510. legendum esse, et non περὶ φυσιολογίας, Fabricius observavit in *Bibl. Graecâ* Vol. VI. pag. 40. cui tamen praeiverat Jonsius in *Hist. Philos.* Lib. IV. pag. 250.

(2) *Tusc. Disp.* Lib. V. Cap. 4.

SECTIO II. §. 2.

„ rerumque varietas et ingenii magnitudo, Platonis memoriâ et literis consecrata, plura genera effecit dissentientium Philosophorum," atque ita dissentientium, ut, *terrigenarum fratrum instar, exemplo pari, omnis turba velut furere videretur:* Vereque adeo idem TULLIUS (3): " Cum essent plures orti „ fere a Socrate, quod ex illius variis et diversis et in omnem partem dif- „ fusis disputationibus alius aliud apprehenderat, proseminatae sunt quasi „ familiae dissentientes inter se, et multum disjunctae, et dispares, cum „ tamen omnes se Philosophi Socraticos et dici vellent et esse arbitrarentur."

Aemulatio et simultas inter Philosophos.

Quamquam vero in isto inter aemulos dissensu satis jam esset quod pateretur, discerptis membris palpitans, studium sapientiae, pejus etiam actum est cum Philosophiâ, quando latens et occulta nunc invidia, alio iterum tempore aliosque inter alumnos Socraticos apertae irae et in calumniam erumpens livor, cupidinem obtrectandi conjungerent cum malevolentiâ, quae virus suum in mores vitamque adversariorum spargeret. — Et latentis atque occultae

De indole Platonis a vitiosâ aemulatione non alieni.

quidem erga aemulos invidiae (ut Philosophorum princeps nobis exemplo sit,) — invidiae, inquam, quis Platonem absolvat? Τὴν κενοδοξίαν, ipse aiebat, ὡς τελευταῖον χιτῶνα ἡ ψυχὴ πέφυκεν ἐν τῷ θανάτῳ ἀποτίθεσθαι (4). Igitur, quamquam Hegesandri in Platonem maledicta atque ATHENAEI, post illum, calumniandi libidinem jam olim in ipsâ damnavimus adolescentiâ nostrâ, nondum tamen poenitet aequius tunc secutos esse DIONYSII HALICARNASSENSIS judicium, dicentis (5): ἦν γὰρ ἐν μὲν τῇ Πλάτωνος φύσει πολλὰς ἀρετὰς ἐχούσῃ τὸ φιλότιμον: Cujus φιλοτιμίας si non comes fuerit ἡ πρὸς πάντας κακοήθεια, quam Platoni adfingit Hegesander (6), ζηλοτυπία saltem hinc exstitit (7), seu illa *aemulatio*, quam *vitiosam* CICERO dicit (8), *rivalitati similem.* Inde istud cum Xenophonte dissidium, cujus verissimum indicium in ipso Platonis de Xenophonte silentio se reperisse haud injuriâ arbitrati videntur Veteres, praeter Athenaeum prae-

(3) *De Orat.* Lib. III. Cap. 16.

(4) Vid. CASAUB. *Animadv. ad Athen.* Lib. XI. Cap. 15. pag. 822. 55.

(5) In *Epistolâ ad Pompejum*, Tomo II. Opp. pag. 126. 40. ed. Sylb. quem locum plenius adscripsimus in *Observationibus* nostris *Apologeticis pro Jureconsultis Romanis*, ante hos 33. annos editis, Cap. III. §. 2.

(6) Apud ATHENAEUM Lib. XI. pag. 507. A.

(7) Ζηλοτύπως πρὸς ἅπαντας διακείμενος Plato dicitur IOANNI CHRYSOSTOMO, Homiliâ IV. *in Acta Apostolorum*, Tomo IX. pag. 38. E. ed. Montfauc. quem locum notavit MENAGIUS ad *Diog. Laërt.* Lib. III. §. 36. Confer eundem IOANNEM CHRYSOST. Homiliâ *in Epist. ad Rom.* Tomo IX. pag. 443. B.

(8) *Tusc. Quaest.* Lib. IV. Cap. 8. et 26.

sertim Diogenes Laërtius (9), inter Recentiores J. G. Vossius (10) Bentlejus (11), Hindenburgius (12), alii: Inde subnatae aliquando contra carissimum suique amantissimum Xenocratem (13) irae: Inde adversus Aeschinem, cum fastidio etiam et contemtu demonstrata, quando in Siciliam venerat, malevolentia (14): Inde Aristippo parum aequa reprehensio, seu quod Socrati non adfuisset in carcere (15), seu quod luxui indulgeret, lauteque nimis viveret (16), seu quod in Siciliam navigasset (17), Dionysio Tyranno turpiter adulatus. Sectio II. §. 2.

Quod si Platonis memoratur erga Xenophontem et Aristippum occulta simultas, non magis sincera aut amica Xenophonti adversus Aristippum voluntas (18) fuit, quam ille in Libris *Memorabilium Socratis* magis etiam διαῤῥήδην quam Plato declaravit (ut verbis utar elegantissimi περὶ Ἑρμηνείας (19) Libelli, qui Demetrio Phaléreo tribui solet,) ita tamen ut εὐπρεπείαν servaret, et manifestae λοιδορίας evitaret speciem. — Quid autem Aristippus? Aeschini certe amicus haud fuerit oportet, qui *latronem* (20) ipsum dixerit; propter surreptos editosque, tanquam suos, a Socrate scriptos, scilicet! Dialogos, quamvis inter hos duos, Aeschinem atque Aristippum, ista deinceps amicitiae redintegratio locum habuerit, quae ab hoc exspectari poterat, viro ad virtutem ac vitium aeque facili, mutabili ac levi (21): Οὐ διαλλαχθησόμεθα; dicebat ad Aeschinem; οὐ παυσόμεθα ληροῦντες; ἀλλὰ ἀναμενεῖς, ἕως ἄν τις ἡμᾶς ἐπὶ τῆς κύλικος φλυαρῶν διαλλάξῃ; cum, suâ iterum vice, ingenui pectoris comitate amico veteri minime tum cedens Aeschines: Πολλῷ μου, respondit, βελτίων ὑπάρχεις· ἐγὼ μὲν γὰρ ἔχθρας, σὺ δὲ φιλίας ἄρχεις. — Ab ejusmodi autem viro, qualem Aristippum modo di- De incidentiâ inter alios Philosophos.

(9) Lib. III. Segm. 34.
(10) *De Historicis Graecis* Lib. I. Cap. 5.
(11) In Diss. *de Epist. Socrat.* §. XIV.
(12) *Animadv. in* Xenoph. *Memor. Socr.* Lib. III. Cap. 6. pag. 137.
(13) Vid. Aelian. *Var. Hist.* Lib. XIV. Cap. 9. ibique Perizonium.
(14) Diog. Laërt. Lib. III. Segm. 36.
(15) Diog. Laërt. Lib. II. Segm. 65. Lib. III. Segm. 36. Menagio ad priorem locum laudatus Auctor Libelli περὶ Ἑρμηνείας, §§. 306. et 307.
(16) Diog. Laërt. Lib. II. Segm. 69.
(17) Athenaeus Lib. XI. pag. 507. b.
(18) Diog. Laërt. Lib. II. Segm. 65. Vide Bentlej. *Diss. de Epist. Socr.* §. VIII.
(19) d. l. §§. 306. et 307.
(20) Diog. Laërt. Lib. II. Segm. 62. in f. Vide quae supra notavimus Sect. I. §. 9. in Notâ.
(21) Diog. Laërt. Lib. II. Segm. 82.

SECTIO II. §. 2.

Suppositi Aristippo Commentarii.

cebamus qui moribus erat facilis, comis, humanus, quamquam in vitâ desultorius, sibique ac suis praeceptis minime constans, — a tali, inquam, viro proficisci neutiquam potuerunt Commentarii περὶ παλαιᾶς τρυφῆς, probrorum in summos sapientiae magistros vivendique praeceptores pleni; quos Libros tanquam Aristippi plus semel in testimonium Diogenes quidem vocat Laërtius, sub tanti tamen viri nomine suppositos censet BRUCKERUS (22) ab hominibus impudentibus, qui suos ipsi mores illius auctoritate tegere vellent: Cui equidem plane assentior, etiamsi BAYLIUS (23) caeterique fidem istorum Libellorum sine ulla fraudis suspicione fuerint secuti. Praeterquam enim quod calumniae in Philosophos aliarum Sectarum principes alienae videantur fuisse ab illius personâ, qui, ab ἀγελάςῳ Aristoxeno similibusque valde diversus, delectationem amabat et gaudia, jocosque excipiebat jocis, non maledictis et injuriis; ipsa insuper temporum ratio, tali in caussâ argumentum certissimum, non patitur, ut turpia de moribus Aristotelis ad posteritatem prodere, aut Polemonem foedo amore a severissimo Xenocrate dilectum, Socratis auditor scribere potuerit, diu ante demortuus quam florerent in Scholâ Aristoteles ac Xenocrates. — Reliqua inter Philosophos dissidia silentio praeterimus, Antisthenis praesertim tantum erga Platonem odium, ut illum per contumeliam probroso Sathonis (24) nomine appellaret, et scripto Commentario publice sic designaret; aut quae alia tum Socraticorum inter se, tum inprimis erga Academiae principem, φιλονεικείας et δυσμενείας exempla in medium possent adferri.

Antisthenis in Platonem odium.

(22) *Hist. Philos.* Vol. I. pag. 592.

(23) In Lex. v. *Aristote* Nota F. Caeterum infrequens haud fuit Antiquis sive astus sive fraus, ut inimicos atque adversarios opprimerent, edendi, sub falso illorum nomine, Libros probrorum et calumniarum plenos, quibus maximum iis odium conflarent. De Epistolis sub Epicuri nomine a Diotimo Stoico confictis res satis nota est et postea dicetur: Sed atrocior etiam et invidiae plenior Anaximenis fuit contra Theopompum Historicum dolus: Nam, sophisticâ suâ arte usus, ut orationem illius et dicendi genus aptissime imitaretur, Historiam conscripsit maledictis in civitates Graeciae principes, Athenas, Lacedaemona, Thebas, atque opprobriis refertas: Qua machinâ Historici, cujus exquisitam dictionem feliciter expresserat, nomenque Libro inscripserat, fidem non tantum convellit, sed ipsi quoque magnam apud omnes Graecos invidiam paravit. Rem narrant PAUSANIAS Lib. VI. pag. 496. SUIDAS in v. Ἀναξιμένης. Vid. VOSSIUM *de Hist. Graecis* Lib. I. Cap. 10.

(24) DIOG. LAËRT. Lib. III. Segm. 35. juncto Lib. VI. Segm. 3. & 17. ibique Interpp. ATHENAEUS Lib. V. pag. 220. D. Lib. XI. pag. 507. A.

(25) Sect. I. §. 15. pag.

Neque vero inter *terrigenas hosce fratres*, sive, ut magis perspicue loquar, inter alumnos disciplinae Socraticae, ab ipso institutos, substitit haec aemulatio, seu ex aemulatione natae rixae et discordiae. Quanta fuerit Aristotelis erga Platonem, Peripateticorum erga Platonicos invidentia, supra (25) a nobis animadversum est et deinceps memorabitur. Nunc Epicuri atque Epicureorum caussam tam vere ac candide cum GASSENDO (26), JONSIO (27), BRUCKERO (28), agere vellemus, ut illos hac quoque adversariis non tantum obtrectandi sed etiam male dicendi culpâ plane absolveremus: Et Epicurus quidem, quem *virum bonum, et comem, et humanum* fuisse haud negabat Cicero, Epicuréae quamvis disciplinae adversarius acerrimus, — ipse, inquam, *bonus* ille *Epicurus* Socrati haud aequus exstitit, cujus ab aliis praedicatam tanto opere et laudatam εἰρωνείαν, illam sale Attico ac civili lepóre conditam dissimulationem, reprehendebat (29), paulo pudentius tamen, opinor, quam recentiori aetate *acriculus senex, Epicureorum acutissimus* (30), Sidonius Zeno, cui parens Philosophiae, Latino verbo, *scurra Atticus* dicebatur. *Bonus* vero *Epicurus* et, secundum amicissimum illi ATHENAEUM (31), ὁ φιλαληθέστατος, de Socrate sic judicavit non solo. Si aliqua quippe TULLIO (32) fides, *Aristotelem contumeliosissime vexavit; Phaedoni Socratico turpissime male dixit; Metrodori, sodalis sui, fratrem, Timocratem, quia, nescio quid, in Philosophiâ dissentiret, totis voluminibus conscidit; in Democritum ipsum, quem secutus est, fuit ingratus; Nausiphanem, magistrum suum, male accepit.* Quid porro de discipulis et amicis Epicuri eodem loco Noster? — "Istisne fidentes somniis non modo Epicurus, et Metrodorus, et Hermachus, „ contra Pythagoram, Platonem, Empedoclemque dixerunt, sed meretricula

SECTIO II. §. 2.

Epicurus Socrati iniquus.

(26) *De Vita et Moribus Epicuri*, praesertim Lib. III. Cap. 1. seqq. in *Apologiâ Epicuri* Lib. I. Cap. ult.

(27) *De Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 20. §. 2. seqq. Lib. II. Cap. 15. §. 4.

(28) *Hist. Philos.* Parte II. Lib. 2. Cap. 13. praesertim §. 5. pag. 1244. seqq.

(29) CIC. *in Bruto* Cap. 85.

(30) CIC. *Tusc. Quaest.* Lib. III. Cap. 17.

(31) Lib. VIII. pag. 354. B.

(32) *De Nat. Deorum* Lib. I. Cap. 33. Plura de ingrato Epicuri erga Nausiphanem animo, studioque quo is praeceptori obtrectavit, vid. apud SEXTUM EMPIR. *adv. Mathem.* Lib. I. §. 2. seqq. ubi diligentissimus I. A. FABRICIUS Gassendianae pro Epicuro Apologiae haud semel meminit, quam consulat quicunque istam *de vitâ et moribus Epicuri* controversiam cognoscere ac dijudicare velit.

Sectio II. §. 2.

„ etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa est? scito illâ quidem „ sermone et Attico, sed tamen....... Tantum Epicuri hortus habuit „ licentiae?"

Epicurei reliquis Philosophis, Socraticis praesertim, inimici.

Et certe tulit iste Epicuri hortus ipsi fortassis et sodalibus rosas, aliis vero spinas et vepres, quibus reliquas Sectas pungerent, vellicarent etiam, et laederent. Falsa fuerint (per nos licet) atque a Diotimo Stoico confictae Epistolae, ubi lascivia viri libidinosis sese ipsa non tantum prodebat sententiis, sed in quibus petulantia quoque, linguae intemperantia, studiumque male dicendi elucebant conviciis in praecipuos aliarum Sectarum Philosophos, Aristotelem inprimis: Constat tamen Ciceronis judicio, Plutarchi (33) praeterea, Sexti Empirici (34), quin ipsius Aristoclis Peripatetici (35) testimonio, Epicurum Platoni et Aristoteli infensum fuisse, quemadmodum illius quoque discipuli atque amici et Academiam et Lycéum odio habuerunt ac contemtui. Et Hermachus quidem (36), Epicuri in Horto successor, *περὶ τῶν μαθημάτων* scripsit adversus utriusque illius Scholae auctorem: Ita vero scripsit aliique scripserunt dixeruntque ex Epicuréa disciplinâ prodeuntes, Metrodorus, Leontium, Zeno, Vellejus, caeteri, ut illiberale nihil esset, sordidum nihil ac foedum, quod in adversariorum doctrinam et personam ab iis non effunderetur; qua de re Plutarchi querelae supra a nobis sunt relatae. Igitur non fuit, quod ipsi cum Stoicis iracundius aut vehementius de injuriâ expostularent, si Cittiéus Zeno, si Cleanthes, si Chrysippus acerbius secum agerent; si rigidi morosae virtutis satellites suam contra voluptatem sensusque veri nuncios disputationem saepe a rebus ad personas traducerent; si denique, quae de sententiis aut opinionibus instituta erat concertatio, tandem in probra ac calumnias de moribus evaderet; si Chrysippus, inter alios, non *Chesippum* se Epicuréis ostenderet, sed talem, qui cum hoste auderet congredi et aperto Marte in campum descendere. — Sed, quae plura hujus generis addi possent, *Historiae Philosophicae* Scriptoribus sunt relinquenda.

(33) In Libro *adv. Colotem* Tomo II. Opp. passim, praesertim pag. 1108. E. et alibi.

(34) *Adversus Mathem.* d. Lib. I. §. 2. ubi Epicurus dicitur οὐδὲ ἐν ταῖς κοιναῖς ὁμιλίαις καθαρεύων, τάχα δὲ καὶ διὰ τὴν πρὸς τοὺς περὶ Πλάτωνα καὶ Ἀριστοτέλη καὶ τοὺς ὁμοίους δυσμένειαν πολυμαθεῖς γεγονότας.

(35) Apud Euseb. *Praep. Evang.* Lib. XV. pag. 791. A. B.

(36) Diog. Laërt. Lib. X. Segm. 25. ex emendatione Is. Casauboni.

Sectio II.
§. 3.
De inimicitiis Peripateticorum erga alios, praesertim Socraticos sive Academicos.

§. III. *Peripateticos, in his concertationibus non postremos, erga Scholam autem Socraticam invidos maxime, et cum Epicureis ipsi Socrati minus aequos fuisse, demonstratur.*

Quando igitur ex communi Socraticae sapientiae jugo (Tullianis verbis (1) uti liceat) tanquam ex Apennino fluminum, ita sententiarum facta sunt divortia, nulla fortasse (si bellum Stoicos inter et Epicureos excipiamus) — nulla, inquam, inter Philosophos dissensio tam acris fuit et permanens, quam cujus caussa fuit Aristotelis a Platone, Speusippo, ac Xenocrate dissensio. Tametsi enim verbis magis quam re ipsâ (2) secum invicem dissiderent, ipsa tamen discidii ratio et coecus Peripateticorum erga Sectae suae principem amor id effecerunt, ut, quo longius a communi stirpe discederent, tanto magis divergerent studiisque contrariis ferrentur: Namque cognitum est, postquam Aristoteles se juvenem senescenti jam, labante memoriâ, Platoni in disputationibus opposuisset (3), et, tanquam pullus ingratus matrem calcibus petens ac mordens, Lycéum exaedificasset, ut luminibus Academiae obstrueret, istam a Speusippo sive injuriam sive culpam lascivienti et gloriosius sese efferenti sodali non fuisse condonatam; sed infixam alte animo contumeliam sedisse, ita ut nec tempus eam disjunctionem sarciret, nec commune veri studium dissociatos sapientiae magistros reconciliaret. — Et vero Aristoteles, qui *veteres* ante se *Philosophos stultissimos aut gloriosissimos* fuisse (4) aiebat, praeceptorem ipse suum et voce et scriptis parum amice appetens (5), classicum (ut ita dicam) cecinit, quod classicum perpetuus inter utramque Scholam conflictus consecutus est, tanto majori animorum ardore atque impetu,

(1) *De Orat.* Lib. III. Cap. 19.

(2) Vid. Cic. *de Legg.* Lib. I. Cap. 13. *Academ.* Lib. I. Cap. 4. Lib. II. Cap. 5. et alibi.

(3) Aelianus *Var. Hist.* Lib. III. Cap. 19. Lib. IV. Cap. 9. ibique Interpp.

(4) Ciceronis sunt verba *Tusc. Quaest.* Lib. III. Cap. 28. *Itaque Aristoteles, veteres Philosophos accusans, qui existumassent Philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ait eos aut stultissimos aut gloriosissimos fuisse, sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore Philosophiam plane absolutam fore.* Confer laudatum a Davisio Lactantium *Div. Inst.* Lib. III. Cap. 28. §. 20.

(5) Καὶ γὰρ τὰ δόγματα (Πλάτωνος) διέβαλον αὐτοῦ τινες, καὶ τοὺς λόγους ἐμέμψαντο· πρῶτον μὲν ὁ γνησιώτατος αὐτοῦ μαθητὴς Ἀριστοτέλης, ἔπειτα οἱ περὶ Κηφισόδωρόν τε καὶ Θεόπομπον, κ. τ. λ. Dion. Halic. *Epist. ad Pompejum* Tomo II. Opp. pag. 127.

SECTIO II. §. 3.

quanto Peripatetici Auctori suo plus tribuerent, eumque, qui Veteribus omnibus contradicere solebat, neque Pythagoreis magis pepercerat quam Speusippo aut Xenocrati (6), pro fonte et capite omnis humanae doctrinae haberent (7). " Saepissime enim (inquit, neque id sine causa, (8) BRUCKERUS) deprehen-,, dimus, eos qui Philosophis, praecipue Veteribus, posteriores eorum dogma-,, ta retulerunt, vel inscitiâ, vel detrahendi et odium conflandi studio, si-,, nistre ea exposuisse: Qua in culpâ praecipue versatur Aristoteles, qui ,,, magno studio coëmtis et expilatis Veterum libris, ita haud raro eorum ,, mentem expressit, ut nocentior quidem et a vero alienior videretur, longe ,, tamen a verâ eorum sententiâ recederet."

Peripatetici cum Epicuréis soli in Socratem contumeliosi.

Itaque, cum Lycéi sectatores, hoc praeceptoris sui exemplum secuti, ab Academiâ praesertim essent alieniores, Plato autem a Socrate sua se omnia derivasse tot libris esset testatus, ut disciplina Platonica eximie Socratica haberetur, hinc factum videtur, ut Aristotelici *complures* (namque de *omnibus* id adfirmare nec possim nec velim, uti postea pluribus declarabitur) — hinc, inquam, factum videtur, ut plures ex Aristotelicorum numero de Socrate parum benigne sentirent; quin ejus vitam, mores, dicta, ac facta illiberaliter carperent, proscinderent etiam, et cum Epicuréis, Socrati haud magis aequis, velut conspirantes, turpiter calumniarentur. Etenim, quod nescio an observatum unquam fuerit, ex omni Antiquitatis memoriâ, (si unum alterumve Grammaticum, HERODICUM CRATETIUM (9) exempli gratiâ, excipiamus,)

(6) Πρὸς τοὺς Πυθαγορείους Aristotelis Librum inter ejus opera recenset DIOG. LAËRT. Lib. V. Segm. 25. qui Liber nescio an diversus fuerit ab aliis Commentariis περὶ τῶν Πυθαγορείων, περὶ τῆς Πυθαγορικῆς Φιλοσοφίας, vel alius a Πυθαγορικῷ, quem laudat THEO SMYRNAEUS. Conf. JONS. *de Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 11. §. 1.

(7) Vid. DION. HALIC. in *Epist. ad Ammaeum* Tom. II. Opp. pag. 120. seqq. ubi plura habet de nimiâ Peripateticorum erga praeceptorem admiratione et reverentiâ. FR. PATRICII *Discuss. Peripat.* Tomo IV. Lib. 1. pag. 373. haec sunt verba: « Sed licuit sibi quidquid ,, voluit, et tamen omnia credita a suis sunt oracula; in contrariis dogmatibus permultis ,,, fides par illi habita."

(8) *Hist. Philos.* Diss. Praelim. pag. 14.

(9) Quando in eo est ATHENAEUS, ut, quae Plato et Antisthenes tradiderant de Socratis fortitudine ac virtute militari, tanquam mendacia et falsa argueret, Herodici Cratetii Libros πρὸς τὸν Φιλοσωκράτην in testimonium vocat, Lib. V. pag. 215. F. atque paulo post pag. 219. C. ex eodem habet decem versus, quos, quasi Aspasiae Milesiae forent, elegantiâ istius mulieris tametsi neutiquam dignos, Herodicus in medium protulerat, amoris, quo Socrates Alcibiadem deperierat, testes; qui tamen amor, ut caetera hujus generis a Platone exornata

mus,) nemo, nisi Peripateticus aliquis aut Epicuréus, ante Porphyrium repertus est, qui de Socrate minus honorifice senserit aut parum decora ad posteritatem propagarit. Illos non dico ex Antiquis Scriptores, quibus deliberatum constitutumque fuit omnem in ridendo et calumniando operam collocare, qualis Timon fuit Sillographus aut Lucianus, et e Comicis complures; sed de Philosophis loquor aut de iis, qui Historiam Philosophiae attigerunt: Nam, praeter Aristoxenum, Hieronymum Rhodium, Satyrum, de quibus ampla deinceps nobis disputandi erit materia, Durin quoque Samium invenimus, inter Peripateticos haud postremo loco censendum, qui cum aliis hujus familiae Polyhistoribus inaudita de Socrate tradiderit, non tantum (quod supra omne dubium positum videtur) statuariam artem factitando victum ab eo juvene quaesitum, neque adeo illustri loco illum fuisse natum, sed hoc praeterea (atque id omnino novum et prioribus indictum) tam sordidâ etiam et humili nascendi conditione Socratem usum, ut ne civis quidem Atticus fuerit, servus quippe, non liber: Δοῦρις δὲ καὶ δουλεῦσαι αὐτὸν καὶ ἐργάσασθαι λίθους (10).

Sectio II. §. 3.

Duris Samius in isto est numero.

Quid pariter (ut e Lycéo in Hortos Epicuri transeamus) — quid ab Idomeneo erat exspectandum, cujus *de Socraticis* exstiterunt, a Diogene Laërtio adhibiti, Commentarii? — Fuit is nimirum principe loco inter familiares ac discipulos Epicuri, quem ipsi haud minus quam Metrodoro (habebat autem Metrodori sororem (11) Batidem Idomeneus in conjugio) τῆς γαστρὸς καὶ τῆς κατὰ σάρκα ἡδονῆς ἕνεκεν adsentatum fuisse ATHENAEUS (12) scribit, Epicuréae disciplinae fautor haud infimus, sed antiquum obtinens, id est κακόλογος (13). Sectae igitur suae consuetudinem Idomeneus secutus est; et, quemadmodum περὶ τῆς τῶν ἐνδόξων τρυφῆς suaviter scripserit oportet, si ex iis judicandum est, quae apud ATHENAEUM (14) referuntur, ita fieri etiam non potuit, quin idem ageret quod Epicurus, quod

Idomeneus Epicureus injurius in Socraticos.

nata et aucta, ISOCRATI plane incognitus fuit, scribenti initio Orationis *in Busiridem* (pag. 222. c. ed. Steph.) Σωκράτους δὲ κατηγορεῖν ἐγχειρήσας, ὥσπερ ἐγκωμιάσαι βουλόμενος, Ἀλκιβιάδην ἔδωκας αὐτῷ μαθητὴν, ὃν ὑπ' ἐκείνου μὲν οὐδεὶς ᾔσθετο παιδευόμενον. — De HERODICO CRATETIO vel CRATETÉO vid. I. G. VOSSIUM *de Hist. Graec.* Lib. I. Cap. 21. in f. JONS. *de SS. Hist. Philos.* Lib. II. Cap. 13. §. 6.

(10) DIOG. LAËRT. Lib. II. Segm. 19.

(11) Fallitur FABRICIUS *Bibl. Gr.* Vol. II. pag. 816. in Catalogo Epicurearum, qui Batida Epicuri sororem ait.

(12) Lib. VII. pag. 279. F.

(13) Verissime BRUCKERUS Tomo I. pag. 730. ATHENAEUM ait *in congerendis sine magnâ veritatis curâ Philosophorum opprobriis justo liberiorem.*

(14) Exempla vide Lib. XIII. pag. 590. D. pag. 592. F.

SECTIO II. §. 3.

Epicuri amica sive scortum Leontium, quod Hermarchus, quod Sidonius Zeno, quod caeteri denique egerunt Epicurei, scilicet, ut Socratem Socraticosque maledictis figeret, talia de iis ad posteros tradens, quae non nisi indecora videantur. Nihil saltem neque apud Diogenem Laërtium, neque apud Athenaeum, ex Idomeneo petitum legitur, quod aut Socrati aut Socratico alicui non quandam adspergat labem. Sic (quod falsum esse, Xenophontis omniumque Antiquorum constat testimonio) Rhetoricae Artis praecepta scribit (15) a Socrate juvenibus tradita fuisse, ut deinceps ab ejus discipulo Aeschine; hunc vero Dialogos (16), quos suo nomine ediderit, a Xanthippe habuisse, ab ipso olim Socrate exaratos. Calumniam nimirum Idomeneus secutus est, qua Menedemus Eretriensis Aeschinem (17) quondam vexaverat: Platonem autem ait (18), Aeschini infensus cum esset, Critoni, in cognomine Dialogo, tribuisse consilium fugae, quo carissimus sapientiae parens instanti jam supplicio se subduceret, cum tamen amica illa parandae fugae voluntas non a Critone sed ab Aeschine foret profecta. — Atque haec, fateor, ejusmodi non sunt, ut inimicum prorsus scribentis animum probarent, si et alia adessent in contrariam partem ab illo relata, quibus laudatio eorundem virorum contineretur: Sed, quando nihil reperitur ab eo memoriae proditum, quod in laudem aut commendationem accipi queat, tum certe testimonium testis, nihil nisi parum decora testificantis, merito suspectum haberi arbitramur. — Verum de hoc argumento deinceps videndum erit, quum ad Aristoxenum ventum erit atque Aristoxeni patronos.

§. 4. *De mutuâ Oratores inter et Philosophos offensâ.*

§. IV. *De mutuâ Oratores inter et Philosophos offensâ, multarum erga hos calumniarum origine.*

Igitur sic praecipuum nos fontem indagasse et demonstravisse existimamus, unde tot fluxerunt dubia, tot contraria, tot repugnantia et absurda, de quibus harum rerum peritissimus BAYLIUS sic conqueritur, ut, illo judice (1), " miserrima sit conditio et facies *Historiae* illius *Philosophicae*, qualem

(15) Diog. Laërt. Lib. II. Segm. 19 et 20.

(16) Athenaeus Lib. XIII. pag. 611. E.

(17) Diog. Laërt. Lib. II. Segm. 60.

(18) Diog. Laërt. ibid. et Lib. III. Segm. 36.

(1) Art. *Archelaus* Nota A. Tomo I. *Dict.* pag. 290.

„ celebrati tanto opere Veteres nobis reliquerunt." — Nescio, quid aliis accidat: Mihi quidem (fateor, enim, candide et ingenue) — quoties hunc Historiae Philosophicae campum ingredior, mihimet delatus ipse videor

SECTIO II. §. 4.

in obnubila, obsita tenebris loca.

Fons autem iste malorum, de quo loquimur, est dissensus dissidentium secum invicem Sectarum, mutua Philosophorum odia et calumniae: Accedit altera caussa, quâ effectum est, ut incerta sit fides omnium fere eorum, quae in vituperationem ac dedecus praestantissimorum inter Antiquos Philosophorum narrari et velut de manu in manum tradi solent: Quippe, cum mutua inter Sectas philosophantium aemulatio in apertas tandem discordias et inimicam concertationem exiisset, juniores, ut adversariorum Scholam ab ipsâ inde origine infamarent, haud veriti sunt tela petere ab ipsis universae Philosophiae hostibus, et quae Oratores quondam, caussae suae inservientes, vel ex Oratorum disciplinâ prodeuntes Historici, ante centenos annos, ad conflandam apud Populum Atheniensem Philosophis invidiam, exaggeraverant, amplificaverant, planeve confinxerant, opprobria diversae Sectae conditoribus ac coryphaeis tanquam certissima crimina objicere et exprobrare. Observationem istam, quae nec inutilis nec injucunda est, quanquam in transitu et aliud agentes, paulo latius tamen explicemus.

Socratem inter et Sophistas odium.

Nemo, ut a principio rem repetamus, ignorat, quae Socrati cum Sophistis suae aetatis, Gorgiâ praesertim et Protagorâ, fuerint simultates, inde natae, quod veri nimium amans esset Philosophiae parens, quam ut horum hominum ferre posset veteratoriam et docendi et dicendi rationem: Quum vero illorum disciplina proxime conjuncta esset cum caussâ Demagogorum, quorum nonnulli artem fallendorum civium ab iis erant edocti, factum hinc est, ut istud sapientiae studium, cujus princeps et auctor Socrates censebatur, jam a primordiis, quae Athenis habuit, invisum atque odiosum utrique huic esset hominum generi, quibus sociis tertios se adjunxerunt Poetae, severam istam tristemque, quam opinabantur, doctrinam exosi: Nam, nisi quis Aeschylus foret, Euripides, aut Pindarus, id est, vir talis, cui divinae Poëseos — (quis artem *divinam* neget?) — cui igitur Poëseos dos et maxima facultas in commendandâ virtute spectaretur, Philosophia fabulis ac corruptricis scenae artibus adversa nimis erat, quam ut illam Poëtae non proscinderent Comici, aut frigidorum et mendacium Carminum Scriptores. Hinc ista in hominem innocentissimum, civem optimum, conjuratio, de quâ, si Deus vitam viresque

P 2

Sectio II. §. 4.

nobis largiatur, promissis stantes alio tempore dicemus. Nunc Socratis apud Platonem (2) verba, quae Diogenes Laërtius (3) secutus est, tantum adscribamus: Ἐκ τούτων καὶ Μέλιτος μοι ἐπέθετο, καὶ Ἄνυτος, καὶ Λύκων· Μέλιτος μὲν ὑπὲρ τῶν ποιητῶν ἀχθόμενος, Ἄνυτος δὲ ὑπὲρ τῶν δημιουργῶν καὶ τῶν πολιτικῶν, Λύκων δὲ ὑπὲρ τῶν ῥητόρων.

Inimicitiae Oratorum et Demagogorum cum Philosophis.

Neque vero cum acerbâ Socratis morte exstinctae sunt, quas Oratores, Rhetores, ac Demagogi contra Philosophos susceperant, inimicitiae; neque irae horum hominum solus praeceptor pro salute discipulorum fuit piaculum. Exstat adhuc apud eundem illum, qui tot reliquias servavit obsoletae malevolentiae atque obtrectationis erga praecellentes ex omni Antiquitate Viros, — exstat, inquam, apud Athenaeum (4) insigne Fragmentum vehementissimae Orationis, quam contra Aeschinem Socraticum habuit Lysias, — idem ille Lysias, qui egregiam tuendi Socratis voluntatem aliquot ante annos tam luculenter probaverat. Equidem objecta Aeschini crimina seu agnoscere seu diluere nostri non est juris, neque, si et maxime velimus, in tantâ controversiae ignoratione, illius dijudicandae foret facultas: Sed habuit certe Lysias, cur Platoni, Scholae Socraticae jam principi, minus amicus esset, qui, sub Socratis personâ, editis Dialogis, Rhetoras non tantum vexaret eorumque arrogantiam increparet, utpote qui juvenes pro scientiâ bene dicendi artem docerent argutiarum, verum ipsam quoque Rhetoricam tanquam improbum artificium a sapientiae studioso procul arceret (5): Quae cum Platonis erga omnes Oratores universe esset culpa, tum Lysiam prae reliquis, eximium illum disertae ac commodae elocutionis magistrum et exemplar, offenderat, sive sermonem, quem Lysiae tribuebat, animi caussâ refellens (6), deque illius ingenio parum honorifice judicans, sive invidiosâ comparatione institutâ, qua suas ipse in dicendo ac scribendo virtutes, non sine propriâ laude, componeret ad illa, quae in aemulo Oratore (7) tanquam vitia notabat. Commune tamen non

Simultas Platonem inter et Lysiam.

(2) In *Apologiâ Socratis* Tomo I. Opp. pag. 23. E. ed. Steph. (pag. 361. E. ed. Lugd.)

(3) Lib. II. Segm. 39.

(4) Lib. XIII. pag. 611. E. F. Vid. I. Taylor *Fragm. Lysiae* pag. 617.

(5) Vid. Cicer. *de Orat.* Lib. I. Cap. 11. Quinctil. *Inst. Orat.* Lib. II. Cap. 15. Aristidem in *Orat. Platon.* I. (Tomo III. pag. 8. seqq. ed. Canteri.)

(6) In *Phaedro* Tom. III. Opp. pag. 230. ed. Steph. (pag. 338. C. ed. Lugd.) ad quem locum respicit Diog. Laërt. Lib. III. Segm. 25. ubi ait: Καὶ πρῶτος τῶν φιλοσόφων ἀντεῖπε πρὸς τὸν λόγον τοῦ Λυσίου τοῦ Κεφάλου, ἐκθέμενος αὐτὸν κατὰ λέξιν ἐν τῷ Φαίδρῳ.

(7) Πλάτων τὸ φορτικώτατον καὶ ἐπαχθέστατον τῶν ἔργων προελόμενος, αὐτὸν ἐπαινεῖν κατὰ τὴν δύναμιν τῶν λόγων, οὐδὲν ᾤετο ποιεῖν κατηγορίας ἄξιον, εἰ παρὰ τὸν ἄριστον τῶν τότε ῥητόρων τοὺς

fuit contra omnes Oratores istud Platonis judicium : Nam, praeterquam quod discipulos habuerit Oratores clarissimos, Demosthenem, Hyperidem, Lycurgum, idem ille Philosophus *unum Isocratem miratus est, et aequalis et exagitator omnium Rhetorum.* Quippe, ut CICERO (8) ait, cujus modo verba usurpavimus, " Isocratem divinus auctor Plato, suum aequalem, admi- „ rabiliter *in Phaedro* laudari fecit a Socrate : Est enim quasi in extremâ „ paginâ *Phaedri* his ipsis verbis loquens Socrates: *Adolescens etiam nunc,* „ *o Phaedre, Isocrates est, sed, quid de illo augurer, lubet dicere: Majore* „ *mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur.* „ *Praeterea ad virtutem major indoles, ut minime mirum futurum sit, si,* „ *cum aetate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tan-* „ *tum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus, qui unquam orationes* „ *attigerunt; aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo motu majora* „ *concupiscat. Inest enim naturâ Philosophia in hujus viri mente quae-* „ *dam."* — Haec, quae Socratem de adolescente augurantem facit Plato, ipse scribebat, cum senior jam esset Isocrates; neque tamen, ut sic scriberet, a se impetrare potuisse videtur, nisi amici Oratoris laus cum alterius injuriâ conjungeretur, istaque, quam semel animo susceperat, contra Lysiam seu aemulatio seu invidia, ipsi utriusque comparationem exprimeret vel contentionem, quae tota in detrimentum alterius sese converteret.

SECTIO II. §. 4.

Amicitia inter Platonem et Isocratem.

§. V. *De inimicitiis Isocratem inter et Aristotelem, mutuoque, quod inde auctum est, Oratorum ac Philosophorum odio.*

§. 5. *De inimicitiis Isocratem inter et Aristotelem.*

Quod si tanta Platonis erga unum Oratorem Isocratem fuit benevolentia, eo inimiciorem sibi hic Aristotelem expertus est. — Atque hoc loco spectemus, quaeso, quae vis sit studii et cupiditatis ab unâ, odii et invidiae ab alterâ parte, in judiciis hominum non solum doctorum, sed ipsorum etiam qui

τοὺς ἰδίους ἐξετάζειν ἠξίου λόγους, ἐπιδεικνύμενος Λυσίαν τε ἐν οἷς ἡμάρτηκε καὶ ἑαυτὸν ἐν οἷς κατώρθωκε. DION. HALIC. *in Epist. ad Pomp.* Tomo II. pag. 126. 29. ed. Sylb.

(8) In *Orat.* Cap. 13. *de opt. gen. Orat* Cap. 6. Locus ex PLATONIS Dialogo *Phaedro* est Tom. III. Opp. pag. 279. ed. Steph. (pag. 358. B. ed. Lugd.) Eo respexit DIOG. LAËRT. Lib. III. Segm. 8. Isocratem hospitio Platonis ruri usum referens. Ὁ δ' οὖν φιλόσοφος καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν· καὶ αὐτῶν Πραξιφάνης συνέγραψε διατριβήν τινα περὶ Ποιητῶν, γενομένην ἐν ἀγρῷ παρὰ Πλάτωνι, ἐπιξενωθέντος τοῦ Ἰσοκράτους.

SECTIO II. §. 5.

sapientiae se magistros profiteantur: Nam qui acerbas meminerit Platonem inter Platonisque familiares et Aristotelem, juvantibus Peripateticis, controversias, atque inimica sibi invicem sententiarum divortia, non longe ille caussam repetat, cur dilectus adeo et laudatus Platoni Isocrates tam adversum sibi infensumque Aristotelem habuerit, ut, qui ex Isocratis ludo exierunt, quique Lycéum sunt sectati, perpetua inter se bella gessisse videantur. *Aristotelem* certe *Isocrati impensius adversatum*, luculentus auctor est TULLIUS (1), ita ut, illum aemulatus et *lacessens* (2), *commutatâ repente totâ formâ prope disciplinae suae* (3), *dicendi artem, quam despiciebat* (4), *adolescentes docere*, ejusque artis *praecepta cum Philosophiâ* (5), *prudentiam cum eloquentiâ conjungere* coeperit, Euripidéi Philoctetae versum non sine contemtu in Oratorem, aemulo Platoni amatum, sibi vero invisum, detorquens:

Αἰσχρὸν σιωπᾷν, Ἰσοκράτην δ' ἐᾷν λέγειν.

Quare in iis, quae ad Isocratem pertinent, nullam plane Aristotelis auctoritatem esse, DIONYSIUS scribit (6) HALICARNASSENSIS, quum id ageret Stagirites, ut de famâ Viri, quantum posset, detraheret.

De Scholâ Isocraticâ Aristoteli inimicâ.

Verum, si in amabilem Oratoriae artis magistrum, cujus scripta mirâ nunc etiam suavitate animos legentium tenent, neque honestâ tantum voluptate perfundunt, sed virtutis quoque incendunt amore, — si in Isocratem iniquior fuit Aristoteles, impune id neutiquam tulit; sed ex Isocratis Scholâ exorti sunt ultores, quorum si gratam erga Praeceptorem memoriam laudemus, est tamen quod acerbum nimis vindictae culpemus studium, maledicentiae ac calumniae adfine: Nam inter principes, qui *ex ejus ludo, tanquam ex equo Trojano* (7), exierunt, fuerunt plures et eorum qui *in pompâ*, et eorum qui *in acie, illustres* esse voluerunt, — fuerunt, inquam, et Historici et Oratores, qui Lycéum omnibus modis vexarent, ipsiusque Aristotelis vitam, mores, indolem, disciplinam crudeliter proscinderent, sic ut ab illo inde tempore perpetuae

(1) In *Orat.* Cap. 51.

(2) CIC. in *Orat.* Cap. 19.

(3) Idem *de Orat.* Lib. III. Cap. 35. *Tusc. Quaest.* Lib. I. Cap. 4. ibique DAVISIUS.

(4) Idem *de Orat.* Lib. II. Cap. 38. Confer *de Off.* Lib. I. Cap. 1. in f.

(5) Idem *de Divinat.* Lib. II. Cap. 1.

(6) Καὶ οὔτε Ἀριστοτέλει πείθομαι, ῥυπαίνειν τὸν ἄνδρα βουλομένῳ. DION. HALIC. *in Isocr.* Tome II. Opp. pag. 102. 14. ed. Sylb.

(7) CIC. *de Orat.* Lib. II. Cap. 22.

Oratores inter et Philosophos, praesertim Peripateticos, inimicitiae fuisse videantur, de quibus post JONSIUM (8) ùnus et alter BRUCKERI (9) exstat locus. " Id (inquit) mirum nemini debet esse, cogitanti, semper, et potissimum ,, circa Critolai tempora, internecinum inter Philosophos et Oratores fuisse ,, odium, utrâque parte alteri detrahente." — Cephisodorus prae aliis, quem DIONYSIUS HALICARNASSENSIS (10) inter praestantiores illius aetatis Oratores haud sine laude memorat, illum (11) alibi γνησιώτατον appellans τοῦ Ἰσοκράτους ἀκουστὴν, ut praeceptoris injurias ulcisceretur, integros quatuor *contra Aristotelem* Libros conscripsit, quibus Philosophum in illo non tantum reprehendit multorumque Librorum (12) auctorem, sed vitia quoque Aristoteli et probra objecit, quae viro valde fuissent indecora, τρυφερὸν (ARISTOCLIS apud EUSEBIUM sunt verba) καὶ τένθην, καὶ ἄλλα ταῦτα λέγων αὐτὸν εἶναι, qualia certe vix credendum est Cephisodorum Platoni exprobrasse, quamvis hunc quoque, Praeceptoris sui amicum licet et familiarem, stilo castigaverit, illiusque scripta ad examen revocaverit, ita tamen, judice DIONYSIO (13), ut id fecerit, οὐ διὰ φθόνον, ἢ διὰ φιλαπεχθημοσύνην αὐτὸν κωμῳδῶν, ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν ἐξετάζων. Quae si de Cephisodoro vera fuerint, dubium tamen est, an aeque de altero Historico, Isocratis discipulo, Theopompo Chio, possint adfirmari: Et universe quidem non talem fuisse omnium Platonis adversariorum, quos ibi Halicarnassensis enumerat, benevolentiam erga Academiae parentem, non eundem iis animum, non idem veri studium ab odio alienum, nobis persuasissimum est: De Aristo-

SECTIO II. §. 5.

Auctum inde Oratores inter et Philosophos odium.

(8) *De SS. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 17. pag. 109. seqq.

(9) Vid. *Hist. Philos.* Tom. I. pag. 852.

(10) In *Epistolâ ad Ammaeum* Tomo II. Opp. pag. 120. 31. Confer eundem *in Isaeo* pag. 111. 35.

(11) In *Isocrate* pag. 102. 17.

(12) Petita haec sunt ex egregio ARISTOCLIS Peripatetici Fragmento, Libri nempe septimi *de Philosophiâ*, quod Fragmentum servavit EUSEBIUS *in Praeparatione Evangelicâ* Lib. XV. pag. 791. quo cum loco omnino jungendus est ATHENAEUS Lib. VIII. pag. 354. B. Si porro eundem ATHENAEUM Lib. II. pag. 60. E. et Lib. III. pag. 122. B. conferamus cum DIONYSIO HALIC. *in Isocrate* loco laud. patebit, quatuor istos, quos ait Athenaeus, Libros Cephisodori κατὰ Ἀριστοτέλους, non diversos esse ab eâ, quam Dionysius dicit, τὴν ἀπολογίαν τὴν πάνυ θαυμαστὴν ἐν ταῖς πρὸς Ἀριστοτέλη ἀντιγραφαῖς. Caeterum de Cephisodoro, post VOSSIUM *de Hist. Graec.* Lib. III. Cap. 30. pag. 341. accurate, ut solet, egit JONSIUS *de Script. Hist. Philos.* Lib. 1. Cap. 13. §. 1. paucaque de eo adjecit Cl. RUHNKENIUS in *Hist. Crit. Orat. Graec.* pag. 82.

(13) In *Epist. ad Pompejum* Tomo II. Opp. pag. 127. 3.

Sectio II. §. 5. tele, quem inter hos adversarios primum ibi ponit, id certe dici vix posse, supra vidimus: De Theopompi autem Chii Libro κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς, quam amico et benevolo animo fuerit conscriptus, καὶ οὐ διὰ φιλαπεχθημοσύνην, si aliqua Athenaeo (14) fides, vel inde judicari potest, quod plures Platonis Dialogos *ineptos* dixerit ac *mendaces*, — τοὺς πολλοὺς, φησὶν, τῶν διαλόγων αὐτοῦ ἀχρείους καὶ ψευδεῖς ἄν τις εὕροι. — Timaeus denique, simili contra Aristotelem odio indulgens, ab Historici, quam gerebat, personâ id abhorrere non existimavit, si turpissimis Philosophum maledictis appeteret ac conscinderet, quorum specimen exstat apud eundem Aristoclem: Ἢ πῶς (inquit hic) ἄν τις ἀποδέξαιτο Τιμαίου τοῦ Ταυρομενίτου, λέγοντος ἐν ταῖς ἱςορίαις, ἀδόξου θύρας αὐτὸν ἰατρείου καὶ τὰς τυχούσας, ὀψὲ τῆς ἡλικίας, κλεῖσαι; (15)

Bellum denique inter utrosque apertum. Ex tantis itaque Oratores inter et Historicos ab unâ, Philosophos ab alterâ parte, inimicitiis et iris, exortum denique fuit bellum apertum, quod accusationes publicas peperit, exilia, et fugas: Atque hae postulationes, nominum delationes, et crimina quum, lege velut accusatoriâ, amplam licitamque maledicendi facultatem darent, origo illa fuit multarum calumniarum, quas avida juniorum curiositas collegit, et, dum Historiam Philosophicam monumentis mandaret, vix satis prudenter literis consignavit, immemor neque posteros admonens, quam impuris e fontibus, ex domo nimirum adversariorum, talia facinora aut maledicta essent petita, quae de vitâ et moribus gravissimorum Virorum memoriae omnium temporum proderentur. Exarsit autem maxime internecinum istud, de quo loquimur, bellum tum, quando compressa diu, sub justo et moderato, severo tamen, Demetrii Phalérei imperio, Oratorum ac Demagogorum licentia, expulso illo Athenis et capitis damnato, in vindictam erupit, quumque istam, quam tam diu sub Cassandro

(14) Lib. XI. pag. 508. c. Quod si Platoni ac reliquis Philosophis iniquior fuit Theopompus, illorum vicem ultus est Duris Samius, ex disciplinâ Peripateticâ profectus Historicus, uti discimus a Photio Bibl. N. 176. pag. 393. quo iterum exemplo patet, quantum in judiciis Veterum, de Scriptoribus sui priorisve temporis, studium partium valuerit ac cupiditas, sectarumque inter se et disciplinarum diversitas, quamque adeo utile sit et pene necessarium huic Historiae Philosophicae ac Literariae parti, quantumvis hactenus neglectae, haud levem operam dedisse. — Quae Anaximenis Lampsaceni, e Diogenis Cynici Scholâ Rhetoris et Historici, adversus eundem Theopompum fuerit malitia, supra vidimus.

(15) Cum Aristoclis loco apud Eusebium, et cum loco Athenaei, quos supra excitavimus, conferendus omnino est Themistius Orat. XXIII. pag. 285. Insigne, quod illius verbis inest, vitium mox emendabimus.

dro Macedone, auctore potissimum Philosopho Peripatetico, summâ auctoritate tunc potito, ferre debuerant, modestiae et silentii necessitatem ulti sunt, adjutore Demetrio Poliorcete, per accusationem publice institutam latamque Legem, quâ Aristotelici expulsi omnesque in universum Philosophi urbe et terrâ Atticâ sunt ejecti. Violentissimae hujus tempestatis, quae in magistros sapientiae desaeviit, augurium aliquod fuisse videtur impietatis accusatio, quam contra Philosophum, omnium suae aetatis non tantum *facundissimum* (uti eum Gellius (16) vocat) sed Virum optimum et Peripateticorum longe praestantissimum instituit Agnon quidam seu Agnonides Orator, cujus tamen accusationis (17) parum abfuit quin hunc fructum tulisset homo impurus et nequam, ut ipse eodem incendio conflagraret, etsi deinceps, erga integerrimum Phocionem ingratus et perfidus, meritam tandem scelesti oris acceperit poenam (18). Sed ista felicitas, quae Theophrasto obtigit propter caritatem, qua Athenienses ipsum complectebantur, quemadmodum discipulum tunc quoque ejus, Demetrium Phaléreum, impense colebant, — istâ, inquam, felicitas non fuit sequentium temporum: Namque, uno fere anno postquam Deme- Sectio II. §. 5.

(16) In argumento Cap. 9. Libri VIII. deperditi.

(17) Diog. Laërt. Lib. V. Cap. 37. — Hanc *Vitae Theophrastéae* partem, ut reliqua omnia, quae ad illustrem atque amabilem hunc Peripateticum pertinent, nuper cum curâ tractavit Vir eleganti ingenio haud minus quam doctrinâ conspicuus, recens Veteri Graeciae ex Novâ ornamentum, Corayus, in *Prolegomenis*, quae *Theophrastéis Characteribus*, Graece et Gallice a se editis, praemisit, pag. 7. Est tamen quod dubitemus, an fidum satis ducem Corayus Aelianum sit secutus, qui *Var. Hist.* Lib. VIII. Cap. 12. hanc ἀσεβείας γραφὴν coram Areopago institutam dicere videtur. Γραφαὶ ἀσεβείας an ad Areopagum pertinuerint, quaeritur, an ad magnam Heliastarum Curiam. In illâ Curiâ cum quingeni, vel milleni, vel etiam mille et quingenti Judices *Populi vice* fungerentur, hinc factum, ut *Populus ipse* tunc judex haberetur: Atque sic rectius dixerit Gellius, Theophrastum, « cum *ad* » *Populum Atheniensem* pauca verba facturus esset, deturbatum verecundiâ obticuisse." — Idem error in caussâ Socraticâ vulgo locum habet, cum ab Areopago fertur ad cicutam damnatus, quae iniqua tamen sententia non a sanctissimo Tribunali Areopago, verum a populari et turbulentâ Heliastarum Curiâ, fuit pronunciata: Sed hunc errorem, quem summi etiam Viri errarunt, post Meursium Richardus Bentlejus praeter alios, (in Diss. *de Epist. Socrat.* §. VI. pag. 67. ed. Lennep.) nos alibi, si Deus otium cum animo ac viribus largiatur, demonstrabimus et revincemus, interim gavisi, reperisse nos eadem de hoc argumento nobiscum sentientem Cl. Meiners, *Geschichte der Wissenschaften in Griechenland*, Tomo II. pag. 482. seq.

(18) Quae de hoc Oratore Agnone vel Agnonide dicenda erant, accurate et eleganter, sed breviter strictimque; uti solet, collegit Cl. D. Ruhnkenius *Hist. Crit. Orat. Graec.* pag. 89. et 90.

SECTIO II. §. 5.

trius Phaléreus potestate, quam per decennium Athenis, auspicio Cassandri Macedonis, tenuerat, a Demetrio Poliorcete exutus et patriâ fuerat pulsus, statuae ejus dejectae, ipse capitis damnatus et ad Ptolemaeum Lagidem in

Sophoclis Suniéi rogatio contra Philosophos.

Aegyptum se recipere coactus, Sophocles Amphiclidae filius, e pago Sunio, rogationem ad populum tulit, qua Philosophis seu Sophistis (ut illos adversarii appellare consueverant) interdictum fuit, " ne juvenes in disciplinam ,, reciperent, Scholamve haberent, nisi Senatûs ad id auctoritatem Populique ,, veniam impetrassent; quod si quis contra fecisset, id ei capital esset." Istiusmodi interdictum, *μηδένα τῶν Φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι*, ut DIOGENES LAËRTIUS (19) id refert, seu secundum POLLUCEM (20), *μὴ ἐξεῖναι μηδενὶ τῶν σοφιςῶν διατριβὴν κατασκευάζεσθαι*, — istiusmodi igitur interdictum idem valuisse videtur, ac si cuncti Athenis Philosophi pellerentur, nisi forte cum ipso exilio eorum, qui tum in urbe erant, fuerit conjunctum. Certe ait ATHENAEUS (21), Sophoclem istum suâ rogatione omnes e terrâ Atticâ Philosophos exegisse, *Σοφοκλῆς, ὅςις ψηφίσματι ἐξέλασε πάντας Φιλοσόφους τῆς* Ἀττικῆς: Et testimonio DIOGENIS LAËRTII (22) constat, Theophrastum cum reliquis Philosophis exulare Athenis coactum. — Sed haud diuturna fuit fuga, quando paucos post menses e Peripateticis unus, quem Philliona idem Laërtius, Philona Athenaeus rectius (uti videtur) vocat, Philosophos in universum, suos praesertim e Lycéo sodales, ab injuriâ vindicaturus, Sophoclem, Psephismatis auctorem, violatarum Legum reum fecit et vicit, ita ut, abrogato Populi Decreto, reditus Philosophis honorifice permissus, Sophocles in mulctam quinque talentorum fuerit damnatus.

Rem ipsam, de qua plures Viri doctissimi loca Veterum cum curâ collegerunt, vix est, ut latius exponamus: Sed, quod ad rem nostram pertinet, addendum est, — in nobili nimirum illâ caussâ, cum Sophocles *παρανόμων* a

Demochari contra Philosophos Oratio.

Philone esset postulatus, suppetias ipsi tulisse Democharem (23) Leuconoensem, Demosthenis sorore natum, clarissimum istius aetatis Oratorem; hanc vero ejus pro Sophocle Suniéo defensionem, multorum testimoniis celebratam, unum mihi videri fontem praecipuum, unde foedissimae in Philoso-

(19) Lib. V. Segm. 38.

(20) Lib. IX. Segm. 42.

(21) Lib. XIII. pag. 610. Vid. CORSINUM *Fast. Att.* Tomo IV. pag. 68.

(22) d. l. Segm. 38.

(23) Post alios, Paulum Leopardum, inquam, G. I. Vossium, Jonsium, et H. Valesium, praesertim CORSINUM *F. Att.* Tomo II. pag. 97. quos ipse laudat, de Demochare etiam, ejusque pro Sophocle Apologiâ, cum curâ et eleganter egit Cl. DAV. RUHNKENIUS ad *Rutilium Lupum* pag. 7.

phos calumniae ad posteros sunt propagatae. " Minime vero dubitandum, ,, (inquit (24) Jonsius) quin hac Oratione Demochares multas Philosophorum ,, fraudes atque machinas, impia facinora, vitia omnia exposuerit, ut jure ,, eos pulsos esse omnibus probaret (25)." Equidem sua Philosophis fuisse Sectio II. §. 5.

(24) *De Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 17. §. 4.

(25) Huc pertinet locus Themistii, quem supra jam indicavimus, hic emendandus, Orat. XXIII. pag. 285. c. *Πλάτωνος δὲ οὐ μέχρι νῦν καταβοῶσιν, ὡς τρὶς πλεύσαντος εἰς Σικελίαν ἐπὶ χρήμασι καὶ τραπέζῃ; Κηφισοδώρους δὲ καὶ Εὐβουλίδας καὶ Τιμαίους, Δικαιάρχους, καὶ ςρατὸν ὅλον τῶν ἐπιθεμένων Ἀριςοτέλει τῷ Σταγειρίτῃ ποτ' ἂν καταλέξαιμι εὐπετῶς, ὧν καὶ λόγοι ἐξικνοῦνται εἰς τόνδε τὸν χρόνον, διατηροῦντες τὴν ἀπεχθείαν καὶ φιλονεικίαν;* — Cephisodori, Eubulidae, Timaei erga Aristotelem odium et scripta novimus: Sed quis vel fando audivit, Dicaearchum Peripateticum ipsi Sectae suae auctori fuisse adversatum, quin Orationem aliumve Commentarium reliquisse, istius disjunctionis testem? Ioannes Harduinus ad illum l. de Dicaearcho Suidam laudat, « quem tamen (inquit) vix eundem credo fuisse, de quo hic » noster, cum Aristotelis discipulum illum faciat." Et revera nec Suidas, nec quisquam alius, inter scripta Dicaearchi ullum unquam librum memoravit, de quo Themistius ut documento *τῆς ἀπεχθείας καὶ φιλονεικίας* adversus praeceptorem Aristotelem hic loqui potuerit: Nam de Dicaearcho Lacedaemonio, Grammatico, discipulo Aristarchi, quem memorat Suidas, nemo, opinor, suspicionem movebit, quem contra Aristotelem scripsisse inauditum est. Neque tamen sola haec ratio, Dicaearchum Phidiae F. Siculum discipulum Stagiritae fuisse, nos moveret, qui Aristoxenum novimus, pulli ingrati instar, Lycéi principem calcibus petiisse; quapropter etiam existimare quis posset Themistium, memoriâ lapsum, pro Aristoxeno Dicaearchum scripsisse. — Verum alia emendandi via mihi potior videtur, ut Librariorum culpa fuerit non Themistii; — Librariorum, inquam, qui pro ΔΗΜΟΧΑ'ΡΕΙΣ scripserunt ΔΙΚΑΙΑ'ΡΧΟΥΣ. Constat enim Democharem in celebri istâ pro Sophocle Sunieo defensione probris omnibus maledictisque tum Philosophos ac Philosophiam universe vexasse, tum Aristotelem praecipue ac Lycéum. — Testis est, inter alios, Aristocles apud Eusebium d. l. — *Τὴν μὲν γὰρ Δημοχάρους κατηγορίαν κατὰ τῶν φιλοσόφων τί χρὴ λέγειν; οὐ γὰρ Ἀριςοτέλην μόνον ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους κακῶς εἴρηκεν.* Tum sequitur criminatio a Demochare contra Aristotelem relata, quasi is Athenarum civitatem literis esset calumniatus, Stagiram Patriam Macedonibus prodidisset, in direptione Olynthi opulentiores cives Philippo indicasset &c. Igitur, quum Themistius calumniatores Aristotelis memoret Cephisodorum, Eubulidem, Timaeum, uti et memoraverat Aristocles, cujus locum illi ista scribenti obversatum fuisse suspicor, mirum certe foret, Democharem ab ipso omissum et (nisi forte Aristoxenum voluerit) Dicaearchum ab eo nominatum; quocirca corrigendum esse putamus: *Κηφισοδώρους δὲ καὶ Εὐβουλίδας καὶ Τιμαίους, Δημοχάρεις, καὶ ςρατὸν ὅλον τῶν ἐπιθεμένων Ἀριςοτέλει τῷ Σταγειρίτῃ ποτ' ἂν καταλέξαιμι εὐπετῶς κ. τ. λ.* — Sed videtur nomen istud Dicaearchi apud Librarios Graecos aliquid fatale habuisse: Nam, uti in Themistii Oratione locum *τοῦ Δημοχάρους* occupavit, sic contra apud Nemesium de *Naturâ Hominis* ter (pag. 28. 29. 35. ed. Antverp.) in nomen *τοῦ Δεινάρχου* abiit, uti nuper a Cl. Chr. Frid. Matthaei in editione pereleganti utilissimi Libelli, quam procuravit, est observatum.

SECTIO II. §. 5.

„ vitia, impia forte etiam ab illis commissa facinora, haud diffitemur; et lubentes agnoscimus (quod ad Ciceronem (26) CORNELIUS scribebat NEPOS,) " nullis magis opus fuisse magistris vivendi, quam plerisque qui in dispu„ tandâ vitâ beatâ versarentur." Id a nobis supra (27) jam animadversum est; et, quando aliquot quoque fraudes ac machinae eorum, qui Philosophi nomen usurpabant, deinceps a nobis, tanquam disputationis nostrae argumentum praecipuum, in clarâ luce collocabuntur, vix est ut a Jonsio dissentiamus, aut negemus, nonnullam ipsorum etiam Philosophorum fuisse culpam, quod haud semel (28) civitatibus fuerint ejecti. Enimvero, quam certa ista sint, existimamus tamen inter quaedam vitia, actiones turpes, et opprobria manifesta, plura a Demochare fuisse per calumniam exaggerata aut conficta, sive ab Oratore, ut caussae suae serviret, reumque Sophoclem periculo liberaret, quemadmodum Muraenae defensor Cicero in Catonem postea et Stoicos lepide ac jocose illusit, — sive ab adversario Philosophiae, ut odium saturaret, quo ipse cum caeteris Demagogis doctores sapientiae prosequebatur. Ex paucis, quae Athenaeus habet, de istâ Oratione hanc in partem satis tuto judicari potest.

(26) Apud LACTANT. Lib. III. *Div. Inst.* Cap. 15.

(27) Hujus Sectionis §. I. Laudatis ibi Scriptoribus jungendus L. CRESOLLIUS *Theatr. Rhet.* Lib. V. Cap. 8.

(28) Multa exempla talium ejectionum collegerunt LAELIUS BISCIOLA *Horar. Subs.* Lib. III. Cap. 7. et JONSIUS *de Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 17. §. 4. — Junge SEXT. EMPIR. *adv. Mathem.* Lib. II. pag. 294. ubi ait: τὸ μὲν γὰρ λέγειν ὡς καὶ φιλοσόφους ἐξώρισάν τινες τῶν Ἑλληνίδων πόλεων, εὐηθές ἐςι, ibique FABRICIUM: De Epicureis ejectis vid. AELIAN. *Var. Hist.* Lib. IX. Cap. 12. — ATHENAGORAS, quamvis vere de Philosophis dicat (*in Legatione pro Christ.* Cap. XI. pag. 43. ed. Dechair) ἀεὶ διατελοῦσι κακῶς τὰ ἀπόῤῥητα ἐπ᾽ αὐτοὺς ταῦτα μεταλλεύοντες, καὶ ἀεί τι ἐργάσασθαι ἐπιθυμοῦντες κακὸν, τέχνην λόγων, καὶ οὐκ ἐπίδειξιν ἔργων τὸ πρᾶγμα πεποιημένοι, — ATHENAGORAS tamen caussam odii atque malorum, quibus eos sui plerumque presserunt cives, non ab improbitate sed a virtute Philosophorum repetit (Cap. XXVII. pag. 123.) εἰδότες, inquit, ὅτι ἄνωθέν πως ἔθος, καὶ οὐκ ἐφ᾽ ἡμῶν μόνον, κατά τινα θεῖον νόμον καὶ λόγον παρηκολούθηκε, προσπολεμεῖν τὴν κακίαν τῇ ἀρετῇ. Tum Pythagorae, Democriti, Socratis exempla in medium adfert, eodem fere modo quo id post Philosophum hunc vere Christianum egit Sophista Gentilis THEMISTIUS Orat. XXIII. pag. 284. D. ἀλλ᾽ ὅπερ πάλαι εἴωθε, καὶ ἐν τῇ φύσει ἐςὶ καὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ, ἐξ οὗ φιλοσοφία παρὰ θεῶν ἐν γῇ ἐφάνη, τοῦτο αὖθις καὶ νῦν ὥσπερ νόσημα περιτρεπόμενον ἀνακυκλεῖται· — σοφία δὲ ὅσῳ μεῖζον καὶ τελεώτερον ἀγαθὸν, τοσούτῳ πλείους ἐγείρει τε καὶ ἀνίςησι πρὸς τὸν ἔχοντα ἢ δοκοῦντα: — Quod Pythagorae, Socratis, Platonis, Aristotelis exemplo mox confirmat. —— Eadem scilicet omnibus saeculis agitur fabula: Et hodie et olim, quod aiebat CICERO, *multae insidiae sunt bonis.*

Salsum Demochari dicterium visum est, de sermonibus Socratis quum ageret, (29) οὔτε ἐκ θύμβρας λόγχη, οὔτ' ἐκ τοιούτων λόγων ἀνὴρ ἀγαθὸς γίνεται, vel, ut alibi dictum (30) refertur, ὥσπερ ἐκ θύμβρας οὐδεὶς ἂν δύναιτο κατασκευάσαι λόγχην, οὐδ' ἐκ Σωκράτους στρατιώτην ἄμεμπτον. — Alterutram in partem interpretemur, sive *de viro bono et forti* universe, sive *de milite aut duce strenuo,* frigidum non tantum σκῶμμα est, sed etiam falsissimum. Quid Timotheus, Atheniensium dux fortissimus? Nonne is, ex coenâ Philosophicâ (31) recens, *talem mensam etiam postero die prodesse* dixit? Nonne Dio Syracusanus, virtute civili aeque ac militari clarus, totus ex disciplinâ et colloquiis Platonis ac Xenocratis prodiit? Quid denique Xenophon, cujus in re bellicâ prudentia et fortitudo sub Cyro juniore, et post ejus interitum, in reducendis Graecis, tam luculenter se probavit? Is certe ἐκ θύμβρας fuit λόγχη, namque ex Socratis scholâ vir bonus

SECTIO II. §. 5. *Democharis de Socrate dictum.*

(29) Apud ATHENAEUM Lib. V. pag. 187. D. ubi non possum quin animadvertam locum PLATONIS, ad quem ATHENAEUS respicit: Exstat ille in *Symposio* Tom. III. pag. 185. ed. Steph. (p. 320. E. ed. Lugd.) uti jam observatum est a Cl. RUHNKENIO ad TIMAEI *Lex. Plat.* v. ἀνακογχυλιάσαι, (pag. 23. ed. rec.) Est in Platone: εἰ δ' ἄρα πάνυ ἰσχυρά ἐστιν (ἡ λύγξ) ἀναλαβών τι τοιοῦτο οἵῳ ΚΙΝΗ'ΣΑΙΣ ἂν τὴν ῥῖνα, πτάρε. Vitium Athenaeo antiquius videtur, apud quem est, ἵνα τὴν ῥῖνα κινήσας, πτάρῃ. —— Unam abundare literam, opinor. Festucâ vel stramento nasus non movetur, sed titillatur: Adhibitâ *titillatione* sternutamentum excitatur: Post sternutamentum, cessat singultus. Scripsit igitur Plato: ἀναλαβὼν τι τοιοῦτο, οἵῳ ΚΝ'ΗΣΑΙΟ ἂν τὴν ῥῖνα, πτάρε. Κνᾶν vel κνεῖν apud Atticos, κνήθειν apud caeteros Graecos (vid. *Moer. Att.* pag. 234. THOM. MAGISTRUM pag. 538.) dicta fuerunt omnia, quae sensus titillant, et aliquâ velut voluptate permulcent, Gallis *chátouiller,* Batavis nostris *kittelen.* LUCIANUS istâ locutione frequenter usus est, uti in *Rhet. praec.* Cap. 11. (Tom. III. Opp. pag. 12.) ubi virum describit mollem atque effeminatum, μύρων ἀποπνέοντα, τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον, respiciens, ni fallor, celebratum apud Veteres de Pompejo dictum Clodii: τίς ἐστιν αὐτοκράτωρ ἀκόλαστος, τίς ἀνὴρ ἄνδρα ζητεῖ, τίς ἑνὶ δακτύλῳ κνᾶται τὴν κεφαλήν; (PLUT. in *Vitâ Pomp.* Tomo I. Opp. pag. 645. A.) quod mordacissimo epigrammate C. Licinius Calvus expressit: —— *digito caput uno Scalpit;* de quo vid. N. FABR. *ad* M. SEN. *Controv.* XIX. pag. 257. ed. Gronov. LIPSIUM *ad* L. SENECAM Ep. 52. Interpp. ad JUVEN. Sat. IX. v. 133. P. BURMANNUM SEC. ad *Anthologiam Lat.* Tom. I. pag. 216. —— Sed de auribus maxime dictum est, demulcendi caussâ scalpendis, κνᾶσθαι τὰ ὦτα, quam phrasin ad illustrandam PAULINAM κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν (2 Ep. *ad Timoth.* Cap. IV. Comm. 3.) pluribus e LUCIANO exemplis confirmavit I. I. WETSTENIUS in utilissimis ad intelligentiam Graeci sermonis Notis. Alia senteutia est in loco singulari, *Bis Accusat.* Cap. 1. (Tomo II. Opp. pag. 791.) οὐδὲ ὅσον κνήσασθαι τὸ οὖς, φασι, σχολὴν ἄγων, *ne tantum quidem otii habens, quantum, uti ajunt, ad scalpendam aurem satis.*

(30) Ibid. pag. 215. C.

(31) AELIANUS *Var. Hist.* Lib. II. Cap. 18.

Sectio II. §. 5.

Comici Philosophis, Academiae praesertim, inimici.

evasit, miles strenuus, dux belli intrepidus. — Nempe ab insulso Democharis dicto exordium Athenaeo, in Socratem et Platonem maledicentissimo, capiendum erat, ut quae de Socrate, pro Patrià fortiter depugnante, a Platone aliisque referuntur, mera esse mendacia argueret. Ejusmodi tamen opprobria, ejusmodi jocos, quibus Comici etiam, cum Oratoribus contra Philosophos plerumque stantes in acie, (uti olim Aristophanes Lyconi viam muniverat ad Socratem accusandum) eà potissimum tempestate Academiam et Lycéum appetiverunt, male sedula sequentium temporum diligentia collegit, tanquam materiam certam et exploratam, quam Auctor Historiae Philosophicae tractationi suae subjiceret. Ex isto armamentario tela petiit Athenaeus, ex isto Lucianus, ex isto omnes verae Philosophiae irrisores; ex isto etiam, qui unam aliquam Sectam oppugnarent. Vere dixerit forsitan ANAXIPPUS Comicus (32), qui eàdem istâ Antigoni et Demetrii Poliorcetae aetate inclaruit.

Οἴ μοι φιλοσοφεῖς; ἀλλὰ τοὺς γε φιλοσόφους
Ἐν τοῖς λόγοις φρονοῦντας εὑρίσκω μόνον·
Ἐν τοῖσι δ᾽ ἔργοις ὄντας ἀνοήτους ὁρῶ.

Ista a vero forsan non fuerint aliena: Sed pejora his et acriora eo tempore, ad creandam ejectis Philosophis invidiam, in Theatro Attico fuère prolata, quale illud est ALEXIDIS in *Equite* (33), quod Fragmentum, etsi neque JONSII in

(32) Apud ATHENAEUM Lib. XIII. pag. 610. 611.

(33) Fragmentum ex ALEXIDIS *Equite* (non *Equo*, uti docet I. A. FABRICIUS *Bibl. Graecae* Vol. I. pag. 737.) servatum ab ATHENAEO Lib. XIII. pag. 610. E. GROTIUS in sua e Tragicis Comicisque *Excerpta* retulit pag. 571. habetque JONSIUS *de Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 19. §. 1. —— Alia Comicorum loca addi possint: Unum instar omnium sit insigne Fragmentum, quod sub EPICRATIS nomine habet ATHENAEUS Lib. II. pag. 59. D. atque ex eo descripsit GROTIUS *Excerpt.* pag. 669. seqq. quamquam ex Falkenburgiano Codice apud POLLUCEM Lib. IV. Segm. 121. Epicrati Pherecratem substituit FABRICIUS *Bibl. Graecae* Vol. I. pag. 759. In isto Fragmento Academiam, Speusippum, Menedemum, ipsumque Platonem ridet Comicus, eoque salis et jocorum defricat genere, cujus exemplum Aristophanes praebuerat in *Nubibus.* In Academiam quoque illudit ANTIPHANES in *Antaeo* apud ATHENAEUM Lib. XII. pag. 545. A. pluribus etiam et acerbius in Platonem EPHIPPUS Comicus in *Naupago* apud ATHENAEUM Lib. XI. in f. pag. 509. D. (GROTII *Excerpta* pag. 677. Confer Is. CASAUB. *Animadv. ad Athenaeum* col. 824.) —— Sed de bello inimicitiisque Comicos inter et Philosophos hic quidem non agitur.

hoc argumento effugit diligentiam, nos hic tamen apponemus, ut mendam inde eximamus: Sic locum restituimus. Sectio II. §. 5.

Τοῦτ' ἔστιν Ἀκαδημία, τοῦτο Ξενοκράτης.
Πολλ' ἀγαθὰ δοῖεν οἱ Θεοὶ Δημητρίῳ,
Καὶ τοῖς νομοθέταις, διότι τοὺς τὰς τῶν λόγων,
Ὡς φασὶ, δυνάμεις παραδιδόντας τοῖς νέοις
Ἐς κόρακας αἴρειν (34) ἈΦΕΣΑΝ ἐκ τῆς Ἀττικῆς.

Sententiam Fragmenti, quamquam non emendati, percommode, ut solet, sic expressit Grotius.

Hoc est Xenocrates, ergo; hoc est Academia?
Demetrio atque Legum conditoribus
Bona multa Di dent, quod eos, qui se praedicant
Tradere juventae bene dicendi copiam,
Jusserunt fine ex Attico ire in rem malam.

(34) Vulgata lectio, quam hactenus tolerarunt Viri Docti, est:

——— διότι τοὺς τὰς τῶν λόγων,
Ὡς φασὶ, δυνάμεις παραδιδόντας τοῖς νέοις
Ἐς κόρακας αἴρειν ΦΑΣῚΝ ἐκ τῆς Ἀττικῆς.

Nemo ingratam repetitionem vocis φασὶν, contra omnem elegantiam recurrentis, non intelligit: Tum ne Graecum quidem est φασὶν αἴρειν ἐς κόρακας, *jusserunt ut irent in malam crucem:* Sed ἄφεσαν αἴρειν ἐς κόρακας est *dimiserunt, ut in rem irent malam:* Qua in emendatione tum proprius verbi ἀφίημι usus in re nauticâ notandus est, tum constructio ejus cum infinitivo, quae quidem ne quempiam offendat, in memoriam sibi revocet notissimum Xenophontis locum in Cyropaed. Lib. I. Cap. 2. §. 2. (pag. 2. ed. Steph.) αἱ μὲν γὰρ πλεῖσαι πόλεις, ἀφεῖσαι παιδεύειν, ὅπως τις ἐθέλει, τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας, κ. τ. λ. De Pericle, agros suos, si a Lacedaemoniis non vastarentur, Reipublicae donante, Thucyd. Lib. II. Cap. 13: τοὺς δ' ἀγροὺς τοὺς ἑαυτοῦ καὶ οἰκίας — ἀφίησιν αὐτὰ δημόσια εἶναι — quem locum manifeste respexit Lucianus *de Morte Peregrini* Cap. 15. (Tom. III. Opp. pag. 340. 23.) τοιοῦτος οὖν ἐπιφανεὶς αὐτοῖς, ἀφεῖναι ἔφη την οὐσίαν, ἣν ὁ μακαρίτης πατὴρ αὐτῷ κατέλιπε, δημοσίαν εἶναι πᾶσαν, ubi pleonasmum verbi εἶναι esse Editori Reitzio minime adsentior. Continua autem est metaphora in phrasi ἀφεῖναι αἴρειν ἐς κόρακας, desumta a re maritimâ ac dimittendis navibus e portu. Vere enim Frid. Lud. Abresch, vir de literis Graecis praeclare meritus, *Dilucid. Thucyd.* pag. 672. ad locum Thucyd. Lib. VII. Cap. 19. (ubi est ὁρμίσαντες ἀπὸ τοῦ Ταινάρου

SECTIO II.
§. 6.
Adversariorum calumniae fons Hist. Philos. impurus.

§. VI. *Adversariorum calumnias, sive Philosophorum inter se, sive Oratorum ac Comicorum contra Philosophos, impurum fuisse fontem, qui Historiam Philosophicam infecerit, ostenditur.*

Plura huc colligere et referre nostri non est instituti, quibus animus tantum est demonstrare, *gravi in errore* minime versari illum, qui existimet fabulas in Historiâ Philosophicâ reperiri; ejusmodi autem fabulas calumniae affines confictas, ornatas, auctas, memoriae proditas esse ab iis, qui in istâ πολυιστορίας parte maxime fuerunt versati. Omnium quidem, qui ante tempora Trajani et Antoninorum vixère, perierunt Accusationes seu Orationes, περὶ βίων Libri, aliive Commentarii: Inde tamen sua hauserunt Diogenes Laërtius, Athenaeus, Aelianus, Suidas, reliqui, quorum in describendis prioribus opera maxime spectatur. Jam vero percenseat aliquis antiquiores, quorum potissimum auctoritate usi sunt illi, quosque passim dictorum laudant auctores. Quam multa ibi ex Eubulide, ex Lycone Pythagorico, ex aliis petita inveniat, qui Aristotelis et Lycei fuerunt hostes? quam multa ex suppositis Aristippo περὶ παλαιᾶς τρυφῆς Libris? quam multa ex Epicuréis et Peripateticis, Socratis, Socraticorum, et Academiae adversariis? quam multa ex Idomeneo, ex Epistolis Epicuri aut Epicureorum, quae falsae itidem et a Stoicis confictae habentur? quam multa ex Satyro, ex Hieronymo Rhodio, ex Aristoxeno, de quorum fide mox pluribus disputabimus? quam multa denique ex Oratoribus, Rhetoribus, Comicis, quorum in exagitandis Philosophis spectata est malitia? — Et in Diogene quidem Laërtio nihil nos nisi acrius judicium in narrandis

νάρου τῆς Λακωνικῆς ἐς τὸ πέλαγος ἀφῆκαν) observavit locutionem esse nauticam ἀφιέναι, in qua supplendum sit τὴν ναῦν vel τὰς ναῦς. Quin Atticismo illam accenset THOMAS MAG. pag. 131. ἀφῆκεν εἰς πέλαγος, οὐκ ἐπῆκεν, ubi ARISTIDIS locum laudat, valde hic appositum: Exstat Tomo I. pag. 249. ἀλλὰ διεξελθὼν ἐπ' ἄλλην ἀκτὴν καταίρας ἐκεῖθεν ἀφιέναι. Apte scilicet καταίρειν, uti in loco Alexidis simplex αἴρειν, tanquam verbum nauticum, cum altero ἀφιέναι jungitur. Αἴρειν vel καταίρειν, plene dictum αἴρειν τὴν ναῦν vel τὴν ἄγκυραν, pro *solvere e portu* frequentissimum est, uti in *Act. Apost.* Cap. XXVII. Comm. 13. ἄραντες ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην, ad quem locum phrasin istam illustravit L. Bos *in Exerc. Philol.* pag. 88. uti et in egregio *de Ellipsibus* Libello v. ἄγκυρα. Conf. C. A. DUKERUS ad *Thucyd.* Lib. I. Cap. 52.

narrandis factis, exquisitiorem delectum et notationem in recipiendis testimoniis desideramus: Sed Athenaeo, cujus variam eruditionem Grammaticam, utilemque junioribus πολυμαθείας agnoscimus, — Athenaeo, inquam, voluntas etiam in tradendâ ex vero Historiâ Philosophicâ defuisse videtur. Is scilicet, qui sic judicabat, ut nulli a sapientiâ ipsi viderentur alieniores, quam qui illam se colere profiterentur, (οὐδὲν γάρ ἐςι (35) τῶν καλουμένων φιλοσόφων ἀφιλοσοφώτερον) — is veritus non est eodem loco, ut dictis fidem faceret, acerrimam Lysiae contra Aeschinem Socraticum accusationem referre, ipsiusque etiam Democharis auctoritate uti, ut Euaeona seu Euagona Lampsacenum, qui e Platonis scholâ prodierat, infamaret, tanquam qui per fraudem Rempublicam tentare, ac tyrannidis in Patriam voluisset potiri. — Et sane quis Athenaeum, quis Diogenem Laërtium, quis Philosophorum Vitas apud Suidam aliosve legat, neque intelligat, singularia, incredibilia, portenti similia, quae passim apud illos reperiuntur, falso etiam memoriae esse prodita, neque ad aliam originem referenda, nisi ad invidas, maledicas, mendaces obtrectatorum et adversariorum criminationes, sive ab acerbo et criminoso Oratore, sive ab aemulo et inimico Philosopho oblatas. Sine Alexino, sine Eubulide, sine Lycone, sine Demochare, sine Cephisodoro, sine Timaeo fuisset, neque Bessarion, neque Patricius, neque Gassendus, aut quicunque inter Recentiores Aristoteli vel Peripateticis fuit infensus, tam amplam illis maledicendi copiam habuisset; qua in copiâ, licet suos Aristoteles, aeque ac Plato, passus fuerit manes, sunt certe plura crimina, quae fictae ac commentitiae fabulae notam velut in fronte gerant.

Sectio II. §. 6.

Judicium de Athenaei fide in Hist. Philosophicâ.

Incerta Vitarum Philosophicarum fides.

Atqui certe de Socrate quanto magis hoc verum est, in quem Virum, virtute et sincerâ in Deum pietate supra humanam sortem conspicuum, malevolentia Oratorum non tantum et Demagogorum sed Peripateticorum quoque et Epicureorum frequentia conjicere tela consueverat? Polycratem Oratorem seu Rhetorem in hunc calumniatorum praecipue censum retulerunt et Antiqui et Recentiores, Hermippi Smyrnaei, Philosophi Peripatetici, auctoritate in errorem inducti: Is enim in Libris, quos *de Vitis Philosophorum* conscripsit, testatus est, Orationem ad Judices, secundum quam Socrates fuerat damnatus, illum Polycratem habuisse auctorem: Sed, qui id refert, Diogenes Laërtius (36) merito jam probavit sententiam Favorini, qui istam Poly-

Polycrates Rhetorice Socratem exagitavit, non vere.

(35) Athenaeus Lib. XIII. pag. 611. D.

(36) Lib. II. Segm. 39.

SECTIO II. §. 6. cratis in Socratem Orationem animadverterat vere in judicio habitam non fuisse, quippe in qua mentio esset facta murorum, quos sex demum post Socratis mortem annos Conon instauraverat. Id quum egregie, uti erat solitus, demonstraret RICHARDUS BENTLEJUS (37), " veniam longioris subtilio-,, risque disputationis petit, siquidem *novi quid* inde lector disceret:" Et certe solida ipsi gloria debetur, quod eodem isto argumento luculenter probaverit, uti *Epistolae Socraticae* in universum pro confictis haberi debeant, sic commentitiam et suppositam esse Epistolam decimam quartam, qua caussa et mors Socratis pluribus exponuntur: Sed jam ante Bentlejum HENRICUS VALESIUS, Vir sanequam magnus (38), observaverat, " falsa esse, quae in argumento Orationis ,, Isocratéae *de Laudatione Busiridis* scripta sunt, illam, nimirum, Oratio-,, nem, de qua Socrates agit, Anyto ac Melito a Polycrate esse subministratam, ,, ab iisdemque in Judicio pronunciatam cum Socratem capitis accusarent, ,, tametsi Hermippus aliique id tradidissent." Ceterum jure etiam ac merito existimaverunt Henricus Valesius et Richardus Bentlejus, istam aliquot annis post necem Socratis a Polycrate scriptam fuisse Orationem exercendi atque ostentandi ingenii caussâ, sive ut facultatis suae in dicendo periculum faceret. — Verumtamen, ut dicam quod sentio, Polycrates infamiam non commeruit, quae illius nomini ex errore Hermippi inhaesit, tanquam qui ejusdem calumniae cum Anyto et Melito fuisset socius, nefariusque Viri justissimi, etiam post ultima fata, accusator: Etenim, non tantum scelesto huic hominum pari tela haud subministravit Polycrates; sed Oratio ipsius in Socratem, exercitatio licet sophistica, ita conscripta fuisse videtur, ut unusquisque facile intelligeret, Rhetori animi sententiam fuisse plane contrariam ei, quam verbis defenderet, ita ut, qui *accusationis* speciem sermo haberet, potius illustris Philosophi foret *laudatio*. Nimirum Polycrates, quid ipse valeret in arte Rhetoricâ exemplis demonstraturus, Orationem scripsit *pro Clytaemnestrâ*, quae maritum interfecerat, aliam *pro illaudato Busiride*, aliam denique *in Socratem*: Atque, uti duarum priorum finis erat, vitia falsis laudibus turpiora reddere, sic postremae propositum fuisse arbitramur, virtutem tanto excellentius ornare, quanto magis calumnia in accusando spectaretur: Quo opposito inter se specimine Polycrates ostenderet, quam improbe vir optimus dicendi artificio

(37) Dissert. *de Epist. Socr.* §. VI. pag. 68. ed. Lennep.

(38) *de Criticâ* Lib. I. Cap. 11. Quod tamen Valesii opus posthumum ignoravit Bentlejus, anno demum 1740. a Petro Burmanno Secundo editum.

exagitari, scelestissimus praeconio in coelum posset efferri. Ergo, qui Busiridem erat celebraturus, non aras tantum crudelissimi hominis excusabat et in mactandis victimis humanis celebrabat erga Deos pietatem, sed obtruncatos hospites ingenti monstro pro dapibus fuisse confingebat: Cui amplificationi ut nemo fidem habere poterat, ita, ab alterâ quoque parte, crimina Socratis arte sophisticâ ultra id, quod probabile erat, tam manifesto auxerat, ut ISOCRATES (39) ad ipsum ista diceret: Ὑπὲρ μὲν Βουσίριδος ἀπολογήσασθαι φάσκων, οὐχ ὅπως τῆς ὑπαρχούσης αὐτὸν διαβολῆς ἀπήλλαξας, ἀλλὰ καὶ τηλικαύτην αὐτῷ τὸ μέγεθος παρανομίαν προσῆψας; ἧς οὐκ ἔσθ' ὅπως ἄν τις δεινοτέραν ἐξευρεῖν δυνηθείη. —— Σωκράτους δὲ κατηγορεῖν ἐγχειρήσας, ὥσπερ ἐγκωμιάσαι βουλόμενος, Ἀλκιβιάδην ἔδωκας αὐτῷ μαθητήν. — Τοιγαροῦν, εἰ γένοιτο ἐξουσία τοῖς τετελευτηκόσι βουλεύσασθαι περὶ τῶν εἰρημένων, ὁ μὲν (Socrates) χάριν ἂν εἰδείη σοι, ὁ δὲ (Busiris), εἰ καὶ περὶ τοὺς ἄλλους πρᾳότατος ἦν, ἀλλ' οὖν ἐπί γε τοῖς ὑπὸ σοῦ λεγομένοις οὕτως ἀγανακτήσειεν, ὥστε μηδεμιᾶς ἂν ἀποσχέσθαι τιμωρίας. Itaque cum seria neutiquam fuerit Polycratis in Socratem accusatio, neque Rhetor iste in animum inducere potuerit, vera aliquando habitum iri quae huic crimina objecisset, magis quam Clytaemnestram pro caussae veritate defensam credi aut laudatum Aegyptiorum Regum saevissimum, nescio (40) quae Polycratis gravior culpa fuerit quam aliorum, qui Febrim aut Podagram, aut nostratis Erasmi, qui Μωρίαν elegantissimo sermone commendaverit. Quod si deinceps ista Polyhistorum Peripateticorum aut etiam recentiorum Rhetorum ac Grammaticorum fuerit sive negligentia sive stupor, ut cuncta, quae exercitationis gratiâ Rhetor fuerat commentatus, illi, uno auctore Hermippo (41), pro certis ac veris, quin pro ipsâ Oratione haberent, SECTIO II. §. 6.

(39) Pag. 222. c. ed. Steph.

(40) Eadem jam fuit observatio Viri, eleganti doctrinâ laudatissimi, THOMAE GALE in Notis ad DEMETRIUM PHALÉREUM seu Scriptorem περὶ Ἑρμηνείας §. CXX. (*Rhetor. Sel.* p. 238.) ubi plura de Polycrate notat: Sed fugit illa perspicacissimum in talibus BAYLIUM in Lex. v. *Busiris*, Tomo I. pag. 715. Animadvertit olim etiam GELLIUS *Noct. Att.* Lib. XVII. Cap. 12. « *infames* materias, sive quis mavult dicere *inopinabiles*, quas Graeci ἀδόξους „ ὑποθέσεις appellant, et veteres adortos esse, non Sophistas solum, sed Philosophos quoque." Ipsius autem aetate, « Favorinus oppido quam libens in eas materias dicebat, vel ingenio „ expergificando ratus idoneas, vel exercendis argutiis, vel edomandis usu difficultatibus; „ sicuti quum Thersitae laudes quaesivit, et quum febrim quartis diebus recurrentem „ laudavit, — in febris laudibus testem etiam Platonem producens." — Commode ad istum locum GRONOVIUS laudat LUD. CRESOLLII *Theatr. Rhet.* Lib. II. Cap. 9.

(41) Hoc scilicet exemplo, inter plura illustri, constat, quid unius Polyhistoris Peripatetici valuerit auctoritas in propagandâ ad posteros opinione, quae, perspicuo facilique argumento, falsa fuisse reperitur: Nam non soli AELIANO ea fraudi fuit *Var. Hist.* Lib.

SECTIO II. §. 6. secundum quam Heliastae Philosophum ad necem damnaverant, an Polycratem propterea infamabimus? Equidem hunc ex Scholâ Declamatorem eo libentius de crimine absolvo, quo plura eorundem Scriptorum περὶ βίων in hoc genere exstant peccata, de quibus jam paulo latius nobis est agendum.

§. 7. *De πολυϊστορίᾳ Saeculi Ptolemaïci, corruptrice Historiae Philosophicae.*

§. VII. *De πολυϊστορίᾳ Saeculi Ptolemaïci, et noxiâ Historiae Philosophicae inde illatâ.*

Dixeramus ante hos novem annos, " inter Peripateticos, πολυϊστορίαν adfectantes, quales fuerunt Heraclides Ponticus, Satyrus, Hieronymus Rhodius, Hermippus, atque alii, fuisse, quorum fallax auctoritas Historiae Philosophicae Scriptores decepisset:" Atque ad istum fontem retuleramus " fabulam *de geminâ Uxore*, quam eodem tempore habuerit Socrates, cujus fabulae Aristoxenum praesertim auctorem tulit Porphyrius." Haec cum non sine offensione accepta sint ab illis, qui dicta indicta maluissent, cumque, veluti temere aut minus cogitate, quin etiam falso, a nobis scripta, ad tribunal hominum eruditorum fuerint delata, agedum ostendamus, uti mendacia multa et calumniae in Historiâ Philosophicâ originem traxerunt ex dissensione et invidiâ Sectarum inter se mutuâ, praesertim ex inimicitiis, quas cum Academicis et Stoicis, praeter Epicureos, exercebant Peripatetici, ita huic insectandi ac male dicendi proposito maxime inserviisse πολυϊστορίαν, quae Ptolemaeorum aetate invaluit, cumque hac fere conjunctam Libros, Orationes, Epistolas sub alieno nomine fingendi licentiam: Qua πολυϊστορίᾳ seu πολυμαθείᾳ cum prae aliis omnibus ita eminerent Peripatetici, ut ab istâ fingendi quoque licentiâ sibi non temperarent, hinc denique factum esse, ut, quod vere ajebat BAYLIUS, " misera sit conditio, in qua Veteres Historiam Philosophicam nobis reliquerunt." Ac primo loco de πολυϊστορίᾳ seu πολυμαθείᾳ, quae peculiaris Saeculi Ptolemaïci velut nota fuit, videamus.

Noxiae πολυϊστορίας origo. Ea omnium rerum humanarum est vicissitudo, ut illarum magnitudo imminenti jam ruinae sit proxima, quin maximorum incrementorum caussa cum principio occasûs sit conjuncta, ita ut ipsa amplitudo interitum secum quasi

XI. Cap. 10. et magis etiam manifeste THEMISTIO atque SUIDAE, quorum loca adfert MENAGIUS ad DIOG. LAËRT. Lib. II. Segm. 38. sed ante illos QUINCTILIANO, magni judicii Viro, *Inst. Orat.* Lib. II. Cap. 17. ad quem locum de Polycrate nuper egit eximius Quinctiliani editor G. L. SPALDING, uti fecerat ante JAC. PERIZONIUS ad d. AELIANI locum.

trahere videatur. Quod de imperiis ac Rebuspublicis, de opibus civium ac divitiis, de potentiâ regum, fortunâque populorum bellicâ, passim observatur, id de doctrinâ, de eruditione, de artibus liberalibus verum quoque reperimus: Quando ad apicem ventum est, quae modo creverant, decrescere incipiunt: Copia, quae summa est, ipsa jam nocet, sensimque inopiam parit. — Tria potissimum, quantum equidem noverimus, ex remotissimâ hominum memoriâ, notantur tempora, quibus ingenium humanum et superiorum operâ et suae ipsius aetatis laboribus in altissimo fastigio stetit: Quorum temporum prior aetas fuit Athenarum et Graeciae a Pericle inde usque ad Alexandri Magni mortem; secunda a natalibus, ut ita dicam, Ciceronis usque ad decessum Augusti: Tertium denique saeculum, quod studiis doctrinae atque humanitatis velut aureum fuit, patres nostros, qui provectiores aetate sumus, testes habuit avosque: Ter quoque a summo illo vertice per eadem declivia ingenium humanum descendit: Cujus perpetuae et in ipsâ inconstantiâ constantissimae mutationis quum rationes exquirere et enarrare, utut jucundissimum et perutile, a nostro tamen argumento remotius foret, opportune accidit, ut tam hac in re quam in iis, quae, ad caussam nostram spectantia, *de Saeculo Ptolemaeorum* nobis dicenda sunt, testimonio et verbis uti liceat Viri ingenio atque eruditione excellentis, Chr. G. Heynii (1): Utemur autem eo lubentius, quod, quae cogitatione dudum eramus complexi, dum hanc disputationem nostram meditaremur, eadem ab illo tam apte, tam praeclare proposita ac descripta invénimus, ut vel ornamenti gratiâ huic operae nostrae intexere ea vellemus, nisi major praeterea in illius sententiâ, quam in nostrâ ipsorum opinione, auctoritas esse videretur.

Sectio II. §. 7.

Vere *illam ingenii humani naturam* Heynius (2) esse judicat, " ut ipsâ „ expolitione et humanitatis cultu atteratur, et asperitate detersâ robur, sim- „ plicitate detractâ nativam vim amittat." Vere etiam inde " copiosae vagae- „ que doctrinae repetit incommoda, eamque noxam, quam literarum multa- „ rum copia ingeniis omni tempore intulit." Nullo autem tempore ista incommoda aut majora fuerunt aut magis insignia, quam quo post summos omnis doctrinae, eloquentiae, et artis auctores sperare nemo poterat, imitando se illos unquam assecuturum; ipsa vero eruditio Grammatica, quae ad

Vera Heynii sententia.

(1) In Prolusione *de Genio Saeculi Ptolemaeorum*, quod cum *Auctario* exstat inter illius *Opuscula Academica*, Vol. I. pag. 76. seqq.

(2) d. l. pag. 84.

Sectio II. §. 7. legendos intelligendosque superiores erat necessaria, " pro eâ, quae humani ,, ingenii est (3) infirmitas, prima corruptelae semina literis adferebat: Nam ,, Grammaticâ subtilitate ingenia attenuata et in angustum coarctata ad minu- ,, tias et inanes argutias deducta sunt." Quod si quis haec tempora quaerat, quibus talem statûs conversionem atque inclinationem studia humanitatis ex- perta sunt, (ut nostris nos studiorum politioris humanitatis cancellis circum- scribamus) quis negabit, illam inclinationem, quae in ruinam jam praeceps est, in omnibus quotidie literarum disciplinis a nobis spectari, qui ab illo saeculo, quod Scaligeros tulit, et Stephanos, et Casaubonos, quod Grotios, Heinsios, Salmasios, quod Vossios et Gronovios, immensum quantum defeci- mus et in dies magis magisque degeneramus? Quis negabit, idem eloquentiae fatum fuisse, quando Tullium, Hortensium, Caesarem, Coelium, Brutum exceperunt non tantum Asinius Pollio, Messala Corvinus, Cassius Severus, sed longe deteriores etiam calamistri Maecenatis et tinnitus Gallionis; idem fatum divinae fuisse Poeseos, quando pura et candida Virgilii, Horatii, Ovi- dii, Tibulli, Musa locum cessit inflatis nimium et tumidis Annaeorum, Papi- nii Statii, similiumque carminibus? — Quis negabit denique, ne per singula, triplici hac aetate, genera dicendi vagemur, — quis negabit, postquam Athe- nis, *regnante* Pericle (nam Democratiam, quae dicitur, *imperio unius* com- mode nisi temperari, flecti tamen et, manente nomine, infringi, jam nemo nostris his temporibus dubitat) — mox in Macedoniâ et universâ Graeciâ *imperante* Philippo, omnis liberalis doctrina, scribendi facultas, et eloquentia ad summum fastigium adscendissent, huic tam felici, tam illustri saeculo successisse aliud, " cujus interior et notabilior indoles erat (verbis iterum ,, Heynii (4) nostram quoque qualemcunque opinionem expromimus) *mirum* ,, *aliquod multae et variae doctrinae studium*, quod omnia ingenia occupa- ,, verat. *Curiosi esse malebant quam ingeniosi.* — Itaque omnes fere illius ,, saeculi *homines ingeniosi variâ et copiosâ doctrinâ nobiles* fuère, quâ

(3) d. l. pag. 104.

(4) d. l. pag. 82. Alibi (pag. 98.) idem Heynius. « Itaque illâ aetate multorum ingenia ,, exercuit *Polyhistoria* aliqua, *Polymathia*, et *Philologia*; dictique illi *Grammatici*, ,, quorum studia tum fuère valde clara, eorumque numerus ingens, nec fuit facile quis- ,, quam aut Philosophus, aut Mathematicus, aut alius doctus homo, qui non esset ,, Grammaticus: Adeo multa lectio, variarumque inprimis priscarum rerum cognitio, in ,, laude et honore habebatur."

,, *ingenium non tam ali quam obrui* necesse erat. Inde, cum incessisset ,, omnïno res novas ac mirabiles cognoscendi et tradendi studium, quod homines (5) Ptolemaïcae aetatis tenuit, ut mirabiles Historias venarentur," accidit porro, ut materiem, quae curiosis satisfaceret, undique anquirerent, minus solliciti an vera posteros docerent, quam ut suis placerent aequalibus, aemulos autem scriptorum famâ superarent.

SECTIO II. § 7.

Duplex praecipue fraudum in literis aetas.

Haec quum ita sint (nec quisquam veri amans hac in re facile ab Heynio dissentiat) apparet etiam, quum disciplinae meae alumnos in Academiâ Batavâ ad germanam Criticen mature instruere cuperem, haud sine ratione scriptum a me fuisse, " duplicem aetatem fuisse videri, qua fraus hominum mendacium licentius grassata sit, in fingendis sub alieno nomine scriptis; alteram ,, sub successoribus Alexandri Magni, praesertim Ptolemaeis; alteram, secundo ,, et tertio post Christum natum saeculis." Porro, cum exemplum e priori aetate dedissem " falsarios Iudaeos, mendacem Aristeae Libellum, suppositos ,, Hecataeo caeterisque antiquis scriptoribus Libros, denique confictos ab Aristobulo, Iudaeo eodem et Peripatetico, sub Orphei, Lini, Homeri, aliorumque nomine versus, ab immortali VALCKENAERIO meo eximie demonstratos," alterius quoque generis specimen ex eodem Ptolemaeorum saeculo me repetiisse his quidem verbis: " Inter Peripateticos πολυϊστορίαν adfectantes ,, (Heraclidem Ponticum videlicet, Hieronymum Rhodium, Hermippum, Satyrum, alios) fuisse, quorum fallax auctoritas *Historiae Philosophicae* ,, Scriptores, maxime Diogenem Laërtium, haud subtilissimi judicii virum, ,, decepisset etc." Quae tamen cum *Viris quibusdam doctis* displicuerint, uti ante dictum est, operae pretium facturi videmur, singula paulo studiosius demonstrantes. Equidem, quid in illis tam parum probabile sit, ut judicium hominum eruditorum propterea fuerit exquirendum, plane haesito, vel quod Saeculum Ptolemaeorum non fuerit aetas πολυϊστορίας ac πολυμαθείας; vel quod istud studium curiosa, mirabilia, et inaudita tradendi, Philosophos horum temporum non infecerit ac corruperit; vel quod Peripatetici huic, praeter alios, cupiditati non indulserint, ut πολυϊστορίαν adfectarent; vel quod ex eo πολυϊστορίας et πολυμαθείας amore, uti universum sapientiae studium, sic Historia praesertim Philosophica non multos traxerit errores et fraudes; vel denique quod auctoritas nonnullorum Peripateticorum idcirco fallax non debeat haberi. Unamquamque itaque harum Quaestionum ordine pertractemus.

(5) d. l. pagg. 83. 105. 107. etc.

Sectio II. §. 7.

Πολυϊστορία aevi Ptolemaïci.

Et primum de *πολυϊστορίᾳ* aevi Ptolemaïci nescio, quid aut quare post Heynium, Virum Clarissimum, ulterius dicamus: Tam egregie quippe caussa ab illo exposita est, ut novam hanc Iliada meditanti Homerus mihi esse videatur. Merito enim " Saeculi Ptolemaeorum genium aliquem valde notabilem satis ,, se declarasse ait (6), in literarum studio, polymathiae et polyhistoriae ,, amore, in historiis rerum mirabilium, novarum, et insolitarum:" Cujus rei caussas, etsi jam in ipsâ narratione interpositas, mox seorsum breviter perstringit.

Illa tunc affectata a Philosophis, praesertim Alexandriae.

Anne vero plus dubitationis erit in alterâ Quaestione, *πολυϊστορίαν* ac *φιλομαθείαν* Philosophorum istis temporibus animos ita infecisse, ut quod sapientiae studium per se nihil aliud nisi bonum, verum, certumque quaerere ac sectari debuisset, jam gloriam variae et quasi multiformis doctrinae appeteret, ita ut tunc fere acciderit, quod de suâ aetate, (alterâ quippe illâ, quam supra designabamus) scribit Seneca (7): *Quae Philosophia fuit, facta Philologia est?* Certe aut omnino fallimur, aut jure optimo memorabile Heynio (8) videbatur, post Alexandrum " Graecam Philosophiam novum aliquem habi- ,, tum sub coelo Aegyptio induisse; cujus rei caussas (inquit) facile indagare ,, licet; si permixtis veterum Aegyptiorum et Graecorum advenarum literis ,, nova monstra gigni debuisse reputemus." Sed maxima conversio inde accidit, quod, cum passim invaluisset *studium multa legendi, pauca judicio animi digerendi* (9), quo Bibliothecae isthac aetate tum apud Alexandrinos tum Pergami conditae homines velut invitabant, Philosophia cum cognitione rerum admirabilium aut occultarum, seu Naturalium et Chorographicarum, seu Historicarum et Grammaticarum, quin cum ipsâ arte Sophisticâ, conjuncta fuerit aut potius commixta et confusa. Quae multiplicis scientiae perturbatio si alicubi locum habuit, tum profecto Alexandriae spectata est et in Aegypto, quo *diversarum Sectarum e Graeciâ subtilitas immigraverat, cum Sophistarum artibus copulata* (10); locum autem habuit eo magis, quod *nova haec philosophandi ratio multum ex Alexandrinorum hominum* (11) *levitate trahebat.*

Atque

(6) d. l. pag. 115.
(7) Ep. 108. pag. 536. ed. Gronov.
(8) d. l. pag. 112.
(9) Heynius d. l. pag. 119.
(10) Ibid. pag. 113.
(11) Ibid. pag. 85.

Sectio II. § 7.

Πολυιστορία laudanda et vituperanda.

Atque hi πολυιστορίας, etiam inter Philosophos, Ptolemaeorum aevo fuerunt natales, ut fuerunt deinceps, per easdem similesve caussas, regnantibus Trajano, Hadriano, et Antoninis; ut sunt nostris etiam, quae vivimus, temporibus; illius, inquam, πολυιστορίας, quam et laudamus et vituperamus; laudamus, quia sine illà multa cognitioni Antiquitatis, potissimum Graecae, defuissent, quae jam ad nos pervenisse, incertâ quamvis et magnam partem dubiâ fide, est quod impense gaudeamus; vituperamus autem, quia quae diligenter exquisita, cum judicio perpensa, et omnibus partibus accurata esse debuerant, sic undiquaque corrasa et congesta sunt, ut certa incertis, mala bonis, profutura inutilibus adjuncta, indivulso nexu copulata, et, quo discernere non possis, permixta reperiantur. — Quae si noxia scientiae rerum vetustarum multum incommodi attulit et detrimenti, tum maxime obfuit Historiae Philosophicae: Etenim, postquam cupido homines cepisset cognoscendi mores, vitas, ac fata eorum, qui laudibus sapientiae et literarum inclaruerunt, infinita mox exstitit Librorum copia; qui τὰς τῶν φιλοσόφων διαδοχὰς vel ἀναγραφὴν, ὑπομνήματα seu σποράδην ὑπομνήματα, ἀπομνημονεύματα, ἱστορίας, διαθήκας, ἐπιστολὰς, et similia complectebantur, item Commentariorum περὶ βίων, περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, περὶ φιλοσόφων, περὶ αἱρέσεων, vel περὶ φιλοσόφων αἱρέσεων, περὶ τῶν σοφῶν, περὶ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων, κ. τ. λ. quae cuivis, ex Diogene Laërtio praesertim et Athenaeo, sunt notissima. Quando vero ex immenso hoc voluminum numero pleraque talia fuerunt, quales nunc prioris περὶ βίων Libros aut ex Athenaeo magnâ pro parte derivatam CLAUDII AELIANI ποικίλην ἱστορίαν evolvimus, facile intelligitur (quod aliis praeterea multis constat argumentis) eam defuisse his scriptis ἀκρίβειαν, eam in recipiendis, examinandis, considerandis testimoniis diligentiam, eam in laudandis auctoribus certis ac probatis curam et fidem, sine quibus vaga quidem, copiosa, varia, multiplex et splendida eruditio, neutiquam vero germana doctrina, aut solida rerum factorumque scientia, poterat comparari.

Labes inde Historiae Philosophicae illata.

§. VIII. *De Peripateticis πολυιστορίαν et πολυμαθείαν maxime adfectantibus, βιογραφίας vero ante omnes alios studiosis.*

§. 8. *Peripatetici πολυιστορίαν maxime adfectantes, et βιογραφίας studiosi.*

Tertia secundae huic succedit dubitatio, an, Peripateticos praesertim πολυιστορίαν adfectasse, a nobis sine injuriâ sit dictum: Quod certe quaesitum unquam aut potius negatum fuisse, prorsus mirandum est. Equidem sic existimamus, nemini, qui in literis non plane sit hospes, incognitum esse, Aristotelem celebratae apud Graecos πολυμαθείας velut parentem fuisse, ac magistri exem-

Aristoteles πολυμαθείας parens.

S

SECTIO II. §. 8.

plum secutos discipulos Philosophiam cum studiis rerum naturalium, mirabilium etiam et occultarum, cum arte Historicâ, Geographicâ, Grammaticâ, Rhetoricâ, Poeticâ, Musicâ, sic conjunxisse, ut Schola Peripateticorum τῆς ἐγκυκλίου παιδείας prae reliquis omnibus veluti quoddam fuerit seminarium. Luculenta hanc in rem exstat Aristotelis veterumque Peripateticorum a CICERONE (1) perscripta, sub M. Pisonis personâ, laudatio, quam, licet humaniori nemini, opinor, ignoratam, hîc tamen, quia inprimis ad propositum facit, nos etiam adjungemus. " In Academiâ veteri numerantur etiam Peripatetici „ veteres, quorum princeps Aristoteles, quem, excepto Platone, haud scio, „ an recte dixerim principem Philosophorum. Ad eos igitur converte te, „ quaeso. Ex eorum enim scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, „ omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest; tum varietas est tanta „ artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis or- „ natus possit accedere. Ab his Oratores, ab his Imperatores ac rerum pu- „ blicarum Principes exstiterunt. Ut ad minora veniam, Mathematici, Poë- „ tae, Musici, Medici denique ex hac, tanquam ex artium omnium officinâ, „ profecti sunt." — Et mox de iisdem Peripateticis: " Natura sic ab iis „ investigata est, ut nulla pars coelo, mari, terrâ, (ut poëtice loquar) prae- „ termissa sit. Quin etiam cum de rerum initiis omnique mundo locuti es- „ sent, ut multa, non modo probabili argumentatione, sed etiam necessariâ „ Mathematicorum ratione concluderent, maximam materiam ex rebus per „ se investigatis ad *rerum occultarum cognitionem* attulerunt."

Magnifica sunt illa, et a Peripatetico probabiliter in laudem suae ipsius disciplinae seu proposita seu exaggerata, quae quam vere et ex animi sententiâ scripserit Cicero, jam non quaerimus. Πολυσοφία certe vel πολυμαθεία, quae Lycéi velut propria fuit, suis depingi coloribus aptius non potuit. Fuerunt, fateor, ante Aristotelem pauci, ex Socraticis etiam Philosophis, (ne antiquiores Scholae Ionicae aut Italicae Siculaeve memoremus,) quibus eandem variae ac multiformis doctrinae famam libri, in diverso genere scripti et editi, conficere debuerunt. Vel unus in exemplum adduci potest Antisthenes, cujus

Πολυμαθὴς ante Aristotelem Antisthenes.

tanto numero fuerunt Commentarii, a DIOGENE LAËRTIO (2) enumerati omnes, ut decem tomos complerent, neque ii in uno tantum genere, sed in triplici formâ, qua Peripateticorum disciplinam absolvi apud Ciceronem M. ait Piso, in investigandâ rerum naturâ, in tradendis disserendi non dialectice

(1) *De Finibus* Lib. V. Cap. 3. et 4.

(2) Lib. VI. Segm. 15. seqq.

solum sed etiam oratorie praeceptis, denique in exponendâ bene vivendi ratione, tum ad privatae vitae normam, tum ad rerum publicarum quoque rectionem relata. Verumtamen, quamvis ipsemet Plato angustius Philosophiae Socraticae pomoerium protulerit, eamque Philosophiam a moribus traduxerit ad naturam rerum, occultam quoque et abstrusiorem, Aristoteles tamen is est, qui primus *rei omnis humanae peritissimus* (3) dici meruit, et a PLINIO Majore celebrari *vir in omni doctrinâ summus* (4), quippe qui omnes τῆς πολυμαθείας partes perfecte impleverit, propterea a IOANNE WOWERO, qui illum τῆς ἐγκυκλίου παιδείας orbem integro Commentario descripsit ipse laudavitque, inprimis sequenti praeconio ornatus (5). "Aristoteles vero solus „ sine aemulo clarus, quantum memoria hominum exstat, pari studio, in- „ exsuperabili mentis acie, Polymathiam et Philosophiam excoluit, quod et „ libri ab ipso relicti testantur, et tituli illorum, quos injuria vetustatis vi- „ cit, et nobis ad invidiam ostendit." SECTIO II. §. 8.

Aristotelem imitati discipuli. Fuit sanequam Aristoteles tam felici ingenio, omnisque doctrinae avidâ et capaci mente praeditus, ut, quod paucissimis mortalibus contingit, ad diversissima aptus foret, ac, quae primum contemserat aut neglexerat, mox mutatâ disciplinae formâ, ornaret etiam et illustraret. Neque vero eandem laudem egregio discipulorum pari, qui praeceptori proximi fuerunt, Theophrasto ac Demetrio Phaléreo dubiam reddere volumus: Et prior quidem haud injuriâ in testimonium illius gloriae, qua veteres Peripatetici merito floruerant, eodem *de Finibus* loco a CICERONE celebratur: Sed, id ut nobis ab alterâ quoque parte detur, jure quodam nostro postulamus, istam a Triumviris principibus profectam πολυμαθείας gloriam sic a reliquis e Lycéo, Philosophis dicam an Polyhistoribus, adfectatam fuisse, ut, quum tam immensa scientiae cognitionisque spatia emetiri non nisi diviniori indoli sit concessum, divina autem indoles unius alteriusve sit hominis, non sectae, nullus tamen Peripateticus, aliquam apud Antiquos famam scriptis adeptus, nobis innotuerit, qui non voluerit idem et Philosophus videri, et Philologus, et Dialecticus, et Grammaticus, et Musicus, et rerum naturalium, occultarum aeque ac pervulgatarum, scientissimus, nullam denique earum artium aut disciplinarum ignorasse, quae a IOANNE WOWERO, in informandâ πολυμαθείᾳ, latissime describuntur: Quod Aristotelicorum studium seu, ut ita dicam, mira quaedam

Omnis Schola Peripatetica πολυμαθείας studiosa.

(3) GELLIUS N. A. Lib. XIX. Cap. 5.
(4) *Hist. Nat.* Lib. VIII. Cap. 17.
(5) *De Polymathiâ* Cap. 2. pag. 21.

SECTIO II. §. 8. et Lycéo propria adfectatio tam perpetua fuit et constans, ut Nicolaus non tantum Damascenus, Augusti Imperatoris familiaris et Peripateticus, Aristotelis πολυμαθείαν fuerit aemulatus (6): Ζηλωτὴς γὰρ Ἀριστοτέλους γενόμενος, καὶ τὸ ποικίλον τῆς περὶ τὸν ἄνδρα παιδείας ἀγαπήσας: Sed recentiori longe etiam aetate Ammonio Peripatetico hanc insignem variae copiosaeque eruditionis laudem tribuat LONGINUS (7): Οὐ γὰρ ἐστιν, ὅστις ἐκείνῳ γέγονεν εἰς πολυμάθειαν παραπλήσιος.

Ejusmodi autem fuit haec in comparandâ et ostentandâ ἐγκυκλοπαιδείᾳ seu πολυιστορίᾳ aemulatio, ut, si superiorum Peripateticorum quispiam de aliquo argumento haud sine nominis famâ scripsisset, mox discipuli vel juniores prope catervatim de eodem libros ederent, ejusdem laudis societatem appetentes. Exarandorum *Characterum ethicorum* periculum Theophrastus fecerat et placuerat: Mox illustrem Peripati principem aemulatur frigidus et ineptus ex eâdem Scholâ morum pictor Satyrus, de quo homine mox pluribus erit dicendum: Sed insigniora exstant exempla, quae *Vitas* a DIOGENE LAËRTIO conscriptas, item IOANNEM-GERARDUM VOSSIUM in Libris *de Historicis Graecis*, et praeclarum IOANNIS JONSII Opus *de Scriptoribus Historiae Philosophicae*, pervolventi colligere facile est. Inde tot Φυσικῶν, νομίμων seu περὶ νόμων, περὶ νομοθετῶν, πολιτειῶν, πολιτικῶν seu περὶ πολιτικῆς, περὶ βασιλείας, περὶ φιλοσοφίας, περὶ παιδείας, quin ἐρωτικῶν etiam Commentarii. Ad exemplar Aristotelis (8) mores, instituta, disciplinas populorum a Theophrasto descripta esse, si isti ad nos pervenissent Libri, haud foret quod doleremus; neque poeniteret ab utroque et praeceptore et discipulo, viris egregiis, cognovisse, qualem in Republicâ Principem esse conveniat: Sed qui in Lycéo Philosophos quaerimus, non Philologos aliquos aut Polyhistoras, minime quidem miramur Dicaearchum etiam Aristoteléas imitatum esse Rerumpublicarum descriptiones, et studio, quod est de prudentiâ civili, non defuisse: (Illud enim studium omnium eorum fuit, qui ab Aristotele erant (9) instituti, Theophrasti, Demetrii Phalérei, aliorum:) Sed miramur, quia Sectae auctor, praeter Poëtarum fata et Musices historiam, scenae quoque Annales, edi-

Aemulatio juniorum Peripateticorum erga priores.

(6) SUIDAS in v. Νικόλαος.

(7) Vid. Cl. RUHNKENIUM Diss. *de Longino* §. IV.

(8) Ad magistri aemulationem discipulos Aristotelis multos libros conscripsisse, jam observavit JONSIUS *de Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 15. §. 2.

(9) Vid. CICER. *de Legg.* Lib. III. Cap. 6.

tis (10) τῶν διδασκαλιῶν Libris, condiderat, tantum valuisse praeceptoris exemplum, ut illam ἱςορίαν θεατρικὴν discipulus quoque integris Commentariis sit persecutus. Pariter, cum Aristoteles artem Musicam et Chororum rationem et tibiarum concentus, et numeros atque harmoniam explicuisset, non id tantum post Scholae principem egit Theophrastus, sed post Theophrastum Dicaearchus, et Dicaearcho (ut quidem existimamus) longe minor Hieronymus Rhodius. Uno verbo, ad exemplum illius πολυμαθείας, infra cujus fastigium divina Aristotelis mens non adhaeserat, sibi quoque eandem vagae et multiformis doctrinae gloriam appetendam esse, existimaverunt non solus Theophrastus aut Demetrius Phaléreus (quos praeceptore suo non longe inferiores fuisse agnoscimus) neque soli Aristoxenus, Dicaearchus, Phanias, quique praeter illos ad antiquiorum famam proximi accesserunt, sed deinceps quoque Heraclides Ponticus, Hieronymus Rhodius, Hermippus, Satyrus, Sotion, similes, quos in eodem ordine censendos esse neutiquam judicamus. Sectio II. §. 3.

Nescio, an quisquam a nobis postulet, ut his probationibus diutius insistamus. Qui plura desideret, evolvat ille Catalogum Scriptorum, quorum auctoritate Diogenes Laërtius et Athenaeus passim utuntur, comparetque inter se Librorum titulos: Protinus patebit, quam multi ex eâdem Scholâ, e Lycéo praesertim, Philosophi an Polyhistores, idem argumentum pertractaverint. Nulla autem jucundior iis fuisse videtur aut frequentior quam περὶ βίων materies: Namque illam saepius retractatam de integro scribere non poenituit, sive hoc eodem et vulgari titulo, sive περὶ φιλοσόφων, περὶ τῶν σοφῶν, διαδοχῶν, similibusve, tam putidâ tamque ineptâ in rebus etiam minimis usos diligentiâ, ut optimo jure illam Cicero (11) irriserit: *Sint ista,* inquit, *Graecorum, de unâ* videlicet *Themistâ,* Philosophâ Epicureâ, totis *volu-*

(10) De Commentariis Aristotelis περὶ διδασκαλιῶν et de Dicaearcho, qui illius studium in isto argumento imitatus est, jam ante Jonsium *de Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 11. §. 2. luculenter egerat Ioannes Wowerus *de Polymathiâ* Cap. 12. pag. 103.

(11) *De Finibus* Lib. II. Cap. 21. ubi pro tantis *voluminibus* legendum videtur totis *voluminibus.* Sic est *de Nat. Deorum* Lib. I. Cap. 33. *Epicurus, — Metrodori, sodalis sui, fratrem, Timocratem,* totis voluminibus *concidit:* Et *de Orat.* Lib. I. Cap. 51. *Quo in studio hominum quoque ingeniosissimorum otiosissimorumque* totas *aetates videmus esse contritas.* Neque aliter legendum puto in Fragm. ex Lib. I. *Academ. ad Varronem* apud Nonium in *Digladiari* Cap. I. §. 331. *Quid autem stomachetur Mnesarchus, quid Antipater digladietur cum Carneade* totis *voluminibus?* ubi nunc est *tot voluminibus.*

Sectio II. §. 8.

minibus loqui. — Speusippus quidem, uti primus commune disciplinarum vinculum perspexit, easque, quantum fieri posset, sibi invicem sociavit (12),

Speusippus inter primos ἐγκυκλοπαιδείας et περὶ βίων auctores.

ita hujus quoque studii, quod in enarrandis Philosophorum Vitis versatur, exemplum jam ante Aristotelem dederat, tum conscripto Platonis ἐγκωμίῳ (13), tum edito praesertim Commentario περὶ φιλοσόφων, de Magistris sapientiae nimirum, qui Socrate fuerunt antiquiores, Ionicis, Italicis, Eleaticis: De Parmenide saltem egisse eum (14) constat: Sed enim ab Aristotele demum incrementa cepit iste περὶ βίων commentandi impetus. Ipse, praeter tres *de Poëtis* (15) Libros, tum tres alios περὶ φιλοσοφίας, Commentarium edidit περὶ τῶν Πυθαγορείων, sive περὶ τῆς Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας, qui incertum est an diversus fuerit a Libro πρὸς τοὺς Πυθαγορείους, item tres Libros περὶ τῆς Ἀρχύτου φιλοσοφίας, tandemque unum de Speusippo et Xenocrate: Sed hic postremus quidem ad mutuas magis, Academiam inter et Lycéum, controversias, quam ad vitam aemulorum suorum enarrandam, pertinuisse videtur. Theophrastus

Theophrastus princeps in eodem genere.

autem princeps potissimum in hoc genere judicandus est, cujus a Diogene Laërtio (16) tres laudantur περὶ βίων Libri, unusque περὶ τῶν σοφῶν, ne alios de Empedocle, de Anaxagorâ, de Anaximene, de Archelao, qui in exponendâ aut refellendâ antiquiorum Philosophorum doctrinâ versati fuisse videntur, — alios denique, quos adversus Academiam aut contra Xenocratis sententias edidit, singulos memoremus, ab eodem Laërtio in longam scriptorum Theophrastéorum recensionem relatos. Sicuti porro Theophrastus, omni aliâ in re, in

Theophrasti aemulus Aristoxenus.

principatu etiam Scholae Aristotelicae, aemulum habuit Aristoxenum, ita πολυγραφίας laude an famâ ambo inter se certarunt, hujusque πολυγραφίας magna pars περὶ βίων ἀνδρῶν fuit occupata: Quorsum non tantum illos referimus Commentarios, qui id nomen habuerunt sibi peculiare, sed ἀποφθέγματα quoque

(12) Οὗτος πρῶτος (καθά φησι Διόδωρος ἐν Ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ) ἐν τοῖς μαθήμασιν ἐθεάσατο τὸ κοινὸν, καὶ συνῳκείωσε καθόσον ἦν δυνατὸν ἀλλήλοις. Diog. Laërt. Lib. IV. Segm. 2.

(13) Diog. Laërt. Lib. IV. Segm. 4. Hunc autem Librum eundem esse puto cum τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περὶ δείπνου, qui, si sana est lectio, ab eodem laudatur *in Vitâ Platonis* Lib. III. Segm. 2. neque ab hac suspicione abhorret Jonsius *Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 10. §. 1. verba Laërtii etiam de mendo suspecta habens, forte sic corrigenda: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος ἐπιδεικτικῷ, *in Oratione ad laudandum Platonem habitâ.*

(14) Diog. Laërt. Lib. IX. Segm. 23. ibique Aeg. Menag.

(15) Diog. Laërt. Lib. V. Segm. 22. Auctor *Vitae Aristotel.* apud Menag. ad Lib. V. Segm. 35. pag. 201.

(16) Lib. V. Segm. 42. in fine, Segm. 48. etc.

Πυθαγορικὰ, varia ὑπομνήματα, praecipue σύμμικτα ὑπομνήματα, quorum pro exemplari Ἄτακτα illi Aristotelis fuisse (17), verisimile est, tum τὰ σποράδην, ἱϛορίας, κ. τ. λ. SECTIO II. §. 8.

Reliqui etiam Peripatetici βιογραφίας sectati.

Post Theophrastum et Aristoxenum, qui Scholae Peripateticae, parumper diverso licet genere, principes uterque ac velut signiferi fuerunt, nullus fere Aristotelicorum in isto τῆς βιογραφίας campo se non exercuit palmamque mereri noluit, ita quidem ut plures in iisdem Vitis describendis operam posuisse reperiantur. Cum Theophrasto optimi in hac Sectâ et fide dignissimi fuisse mihi videntur Demetrius Phaléreus et Phanias: Uterque tertium illum Triumviratûs sui socium et caput (Theophrastum aio) imitati sunt: Namque, idem atque ille, Aristotelis exemplum secuti, prior περὶ ποιητῶν scripsit (18), et de Socrate Commentarium edidit, quo Viri innocentissimi defensionem ab eo susceptam fuisse oporteat, quandoquidem hunc Librum titulo τῆς Σωκράτους ἀπολογίας plus semel laudat (19) DIOGENES LAËRTIUS. Phanias vero περὶ ποιητῶν (20) pariter scripsit, item περὶ Σωκρατικῶν, quos posteriores Libros adhibuit LAËRTIUS; alii vero *de Solone, de Themistocle* a Plutarcho memorantur. — Aristoxeni ab alterâ parte vestigia presserunt Dicaearchus, Heraclides Ponticus, Clearchus Solensis, Hieronymus Rhodius, Satyrus, Hermippus, Sotion, Aristocles Messenius, omnes e Scholâ Peripateticâ profecti *Vitarum* Scriptores, de quibus ita egit praestantissimus JONSIUS (21), ut, messe factâ, spicilegium tantum junioribus reliquerit, quod agere ab hoc loco est alienum.

Demetrius Phalereus.

Phanias.

(17) De Aristotelis et Philetae ἀτάκτοις, item de aliorum συμμίκτοις, παντοδαπῇ ἱϛορίᾳ, παντοδαπῇ ὕλῃ, παντοδαποῖς ἀναγνώσμασι, et quae sunt plura hujus generis, vid. Io. WOWERI *Polymathiam* Cap. XIII. pag. 110. Aristoxeneos Commentarios post alios, IOANNEM praesertim MEURSIUM et Io. JONSIUM *de Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 14. §§. 3—9. enumeravit MAHNIUS *Diatr. de Aristoxeno* Cap. 2.

(18) DIOG. LAËRT. Lib. V. Segm. 80.

(19) Commentarium, qui inscriptus fuerit Σωκράτης, a Theophrasto editum fuisse Lib. V. Segm. 81. auctor idem est, qui Demetrium Phalérea ter laudat ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ, Lib. IX. Segm. 15. 37. 57.

(20) De Phaniâ vera est BRUCKERI observatio *Hist. Phil.* Tomo I. pag. 857. « Diligentem „ non Naturae tantum, sed et Historiae Philosophicae interpretem fuisse, ex Libro *de* „ *Socraticis*, Veteribus laudato, aliisque ingenii ejus monumentis, quae enarrat VOSSIUS „ [*de Hist. Graecis* Lib. I. Cap. 10. pag. 49.] colligitur: Qua in re dubium non est, „ Aristotelis, Historiae Philosophicae plurimum tribuentis, exemplo fuisse excitatum." Conf. JONSIUM *de Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 15. §. 5.

(21) *De Script. Hist. Phil.* Lib. I. Cap. 16. *seqq.*

SECTIO II. §. 8.

Unum addidisse satis sit, praeter istos περὶ βίων, seu περὶ τῶν σοφῶν aut τῶν διαδοχῶν Commentarios, tam multa, tam varia, ab iisdem *Philosophiae Pentathlis* (22), a Dicaearcho videlicet, ab Heraclide Pontico similibusque, exarata fuisse et in vulgus edita, ut πολυιστορίαν a Peripateticis praesertim adfectatam merito scripsisse, illius vero πολυιστορίας vim et efficaciam in multiplicibus ac multiformibus eorum *de Historiâ Philosophicâ* libris merito quaesivisse videamur.

§. 9. *Labes, quae ex πολυιστορίᾳ, praesertim Peripateticorum, Historiae Philosophicae adhaesit.*

§. IX. *Labes, quam ex male sedulâ πολυιστορίᾳ, ex Peripateticorum inprimis πολυγραφίᾳ,* Historia Philosophica *contraxit, indicatur.*

Pergimus ad quartam dubitationem, qua quaerebatur, an reverâ ex eo πολυιστορίας studio, quod Scholae Peripateticae super caeteras erat proprium, uti universa Philosophia, sic illius praesertim Historia, multos errores traxerit, multis fraudibus sit inquinata: Et, quantum quidem ad universam Philosophiam spectat, haud vana est CICERONIS (1) querela, " juniores, post ,, Aristotelem et Theophrastum, *ita degenerasse* Peripateticos, *ut ipsi ex se* ,, *nati videantur,* utque, cur Hieronymum Rhodium jam amplius *Peripate-* ,, *ticum* appellaret, ipse nesciret." Immutaverant illi, Dicaearchus, inquam, Aristoxenus, Hieronymus Rhodius, reliqui, severam Philosophiae faciem, et pro simplici, sincerâ, purâ, qualis antiqua fuerat disciplina Socratica, infucatam, margaritis ornatam, et velut calamistratam illi dederant, quibus animus nihil erat et nomen totum inane; quibus omnis vis, qua vel agamus quid vel sentiamus, in corporibus erat fusa, nec ab iis separabilis; quibus unica hominis spes, animi immortalitas, cassum quiddam erat et vanae vocis sonus; quibus summum bonum, non virtute et honestate, sed vacuitate doloris censebatur; qui denique de totâ Philosophiae ratione a germanis et antiquis Socraticis dissentiebant. — Sed de universo sapientiae studio jam non quaerimus: Vanitas πολυμαθείας Peripateticae sola dicendi nobis est materies, cujus πολυμαθείας lepidum si quis velit et joculare exemplum, idem nobis id TULLIUS (2) suppeditabit. " Nec mihi opus est (inquit) Graeco aliquo doctore,"

Peripatetici a veri Philosophiâ degeneres.

(22) Quo nomine, ex *Platonis Rivalibus* petito, Democritum appellat DIOG. LAERT. Lib. IX. Segm. 37.

(1) *De Finibus* Lib. V. Cap. 5.

(2) *De Orat.* Lib. II. Cap. 18.

SECTIO II. §. 9.

Varitatis Peripateticae exemplar Phormio.

,, doctore, qui mihi pervulgata praecepta decantet, cum ipse nunquam fo-
,, rum, nunquam ullum judicium adspexerit. Ut Peripateticus ille dicitur
,, Phormio; cum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venis-
,, set exsul, proque eo, quod ejus nomen erat magnâ apud omnes gloriâ,
,, invitatus esset ab hospitibus suis, ut eum, quem dixi, si vellet, audiret;
,, cumque se non nolle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot
,, horas *de Imperatoris officio*, et *de omni re militari.* Tum, cum caeteri, qui
,, illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale,
,, quidnam ipse de illo Philosopho judicaret? Hic Poenus, non optime Graece,
,, sed tamen libere respondisse fertur, *multos se deliros senes saepe vidisse;*
,, *sed qui, magis quam Phormio, deliraret, vidisse neminem.* Neque meher-
,, cule injuriâ. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam
,, Hannibali, qui tot annos de imperio cum Populo Romano omnium gentium
,, victore certasset, Graecum hominem, qui nunquam hostem, nunquam
,, castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris
,, attigisset, praecepta de re militari dare?"

Ista nimirum Graecorum Philosophorum, post Ptolemaei Philadelphi aetatem, tantum non omnium, Peripateticorum ante alios, κακοζηλία et nativa quaedam levitas erat, ut, τῶν ἐγκυκλίων quidquam ignorasse turpe ducentes; de propositâ quaestione, quaecunque illa demum esset, aut quo ex cognitionis genere repetenda, copiosi dissererent, disputata autem, editis libris, vulgarent. Xenophonti licuit, duci expertissimo, de arte Imperatoriâ atque de officio illius, qui sive universo exercitui sive equitibus praeest, posteris praecepta dare; sed hoc molli et umbratili Philosophorum oratione egisse delirum e Lycéo senem, id certe erat perridiculum: Atque de ejusmodi loquaci stultitiâ vere dixerit DEMOCRITUS (3): Πολυμαθέες νόον οὐκ ἔχουσι.

Aulae Alexandrinae in talibus contagio.

Addamus jam huic appetitioni multiplicis ac copiosae scientiae, illiusque ostentandae cupiditati, consuetudinem Peripateticorum cum aulicis civibusque ejus urbis, in qua hominum ingeniosorum et dicacium magnus quidem erat numerus, sed deditorum pariter cognitioni rerum inanium, futilium, ac frivolarum; et fatebimur, cogitate non minus quam ex vero scripsisse HEYNIUM (4), " uti in caeteris disciplinarum doctrinis singularis aliqua ingenio-
,, rum facies et indoles (sub Ptolemaeorum imperio) non obscure elucescebat,

(3) Apud STOBAEUM Serm. IV. pag. 65. Confer dicta Heraclito apud ATHENAEUM Lib. XIII. pag. 610. B.

(4) d. Prolusione *de Genio Saeculi Ptolemaeorum* pag. 84.

SECTIO II. §. 9.

,, sic Philosophiae studia plurimum traxisse ex Alexandrinorum hominum ,, levitate." Vixisse autem Alexandriae, post Demetrium Phalereum, plurimos Peripateticos, quin et convictus seu *συσσίτια* (5) eorum illic fuisse, quamvis ipsi non in magno essent honore, satis cognitum est: Et Ptolemaeus quidem Lagides alios inter Philosophos Stratonem etiam Peripateticum (6), Theophrasti discipulum, ad se vocaverat, filioque Philadelpho cum Philetâ Coo, Poëta celeberrimo, dederat praeceptorem. Cogitemus porro, eo tempore, " quum nullus in Aegypto viri docti nomen habebat (7), qui non et ,, Poëta, et Grammaticus, et Philosophus praeclarus haberetur," — tum praecipue evenisse, quod ait HEYNIUS (8), " ut ad notionum verborumque ,, subtilitates migraverit Philosophia; Historia autem, vitae magistra, in rhe- ,, toricis areolis se jactaverit, et delectationem scribendi finem constituerit, ,, hancque ipsam, non in gravitate rerum et utilitate, sed in rerum figmen- ,, tis oratoriâque exornatione collocaverit." Cogitemus illâ aetate, qua (9), arbitro eodem Viro magno, " multorum ingenia exercuit Polyhistoria aliqua, ,, Polymathia, et Philologia," eandem liberalium studiorum, cum Philosophiâ confusorum ac permistorum, corruptelam irrepsisse, quam in sui saeculi hominibus (erat autem Ptolemaïco saeculo simillimum) reprehendit SENECA (10). " De liberalibus studiis (inquit) loquor: Philosophi quantum ,, habent supervacui? quantum ab usu recedentis? Ipsi quoque ad syllabarum ,, distinctiones et conjunctionum ac praepositionum proprietates descenderunt, ,, et invidêre Grammaticis, invidêre Geometris. Quidquid in illorum artibus ,, supervacuum erat, transtulêre in suam. Sic effectum est, ut diligentius ,, scirent loqui quam vivere." Cogitemus denique, num, immutatâ sic prorsus Philosophiae facie, quae jam a priscâ severitate degeneraverat, in *πολυϊστορίαν* saepius futilem ac frivolam depravata, — num, inquam, istâ rerum conditione, necesse non fuerit, ut Historia Philosophica ex ejusmodi levitatis

Item levitatis Alexandrinae.

Historiae Philosophicae inde labes.

(5) HEYNE d. l. pag. 113. Alexandrinus ipse fuit Sotion, Peripateticus, plurimorum Librorum *περὶ διαδοχῶν τῶν φιλοσόφων* scriptor. Vid. JONSIUM *de Script. Hist. Phil.* Lib. II. Cap. 10. §. 1.

(6) DIOG. LAËRT. Lib. V. Segm. 58. ex quo loco patet, hunc Theophrasti discipulum et successorem sectae suae in eo et morem tenuisse, quod *περὶ βίων* ediderit Commentarios. Confer HEYNIUM d. l. pag. 89.

(7) HEYNE d. l. pag. 83.

(8) d. l. pag. 90.

(9) d. l. pag. 98.

(10) Epist. LXXXVIII.

Sectio II. §. 9.

et κακοζηλίας contagione multos magnosque errores contraxerit, in summâ istâ et velut communi πολυγραφίας aemulatione ad seriorem aetatem propagatos a compluribus, Peripateticis praesertim, quos, illo saltem saeculo, prae omnibus aliis sectis πολυμαθείᾳ deditos fuisse, supra a nobis indicatum est, nec a quoquam in dubium vocari potest, qui hanc Antiquitatis partem consideratius investigaverit. Antisthenes, quem primum ex scholâ Socraticâ vidimus copiosae scientiae multisque libris scribendis indulsisse, propterea a Timone Sillographo (11) παντοφυὴς φλέδων audiebat: Quid? in tanto Polyhistorum ac Polygraphorum numero solus ille φλεδονείας accusabitur? Quid Hermippus? quid Ponticus Heraclides? quid Satyrus? quid Hieronymus Rhodius? quid noster denique Aristoxenus? Profecto, quoties in Historiâ Graecâ, a morte inde Philippi Macedonis, in Vitis praesertim Virorum doctrinâ aut arte illustrium, factum aliquod reperitur dubium, incertum, res incredibilis, aut narratio quae fidem superat atque in controversiam vocatur, — vix est, ut illius auctoritas ad aliquem ex disciplinâ Peripateticâ seu Historicum, seu Philosophum, non referatur. Ut suum, publicam prope opinionem secuti, erratum excuset Cicero, *ad Atticum* (12) scribens, geminum ἀνιστορησίας exemplum in medium profert, alterum legum a Zaleuco Locris scriptarum, alterum Eupolis Comici, qui ab Alcibiade, navigante in Siciliam, dejectus in mare fuerit: Prius autem, quod Timaeus reprehendit, a Theophrasto, — posterius, quod Eratosthenes redarguit, a Duri Samio erat traditum. Durin autem Samium, multis πολυιστορίας monumentis clarum, cum fratre Lynceo (13) ex

Exempla errorum a Peripateticis commissorum.

(11) Apud Diog. Laërt. Lib. VI. Segm. 18.

(12) Lib. VI. Ep. 1.

(13) Si istius πολυιστορίας Peripateticae, quam vituperandam jure nostro censemus, naturam ex specimine cognoscere quis velit, Lynceus Samius Aristotelicus exemplar hic esto, cujus diligentia *in Memorabilibus* pro materiâ habuit *Parasitorum* dicteria et sales, *Meretricum* scommata et jocos. (Vide Athenaeum Lib. VI. pag. 241. e. pag. 245. d. Lib. XIII. pag. 583. f.) Alias in enumerandis mensae deliciis versata (confer Athenaeum Lib. II. pag. 62. c.) copiose et scienter exponit, « quibus dapibus Lamia tibicina Demetrium Poliorceten exceperit; quae Antigono Regi, Aphrodisia Athenis celebranti, fuerit coena; ut „ Ptolemaeo Regi primae mensae fuerint pisces, secundae carnes." — De istis profecto pluribusque ejusmodi *elegantioris doctrinae* argumentis cum Seneca (Epist. LXXXVIII.) judicamus: *Plus scire velle, quam sit satis, intemperantiae genus est. Quid, quod ista liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, et ideo non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt? — I nunc, et longam esse vitam nega!*

T 2

SECTIO II. §. 9. Theophrasti Peripatetici scholâ prodiisse novimus. Sequenti Epistolâ, cum CICERO (14) alicubi scripsisset, *Peloponnesias civitates omnes maritimas esse*, idque Geographiae adversari ab Attico judicatum esset, Dicaearchi auctoritate se tuetur, qui ἱςορικώτατος fuerat, et ipse vixerat in Peloponneso, Graecos autem in Libro περὶ τῆς εἰς Τροφωνίου καταβάσεως reprehenderat, quod mare tam essent secuti, ut ne ullum quidem in Peloponneso locum nisi maritimum tenerent. --- Sed haec levia videantur. Graviora, si quis id ageret, (quod nos, hoc certe loco, non instituemus) ex Plutarcho, Diogene Laërtio, Athenaeo, Aeliano, reliquisque Historiae Philosophicae fontibus, errata colligi possent, quale illud est, quod de Hermippo (15) supra memorabamus, ut in illo facto, quod ante centum modo annos contigerat, adversus manifestam Historiae fidem peccaret, existimans contra Socratem vere scriptam esse Polycratis Orationem, in quâ murorum hic meminerat, sexto demum post mortem Socratis anno a Conone instauratorum. Sed, quae de Hermippo (16) aliisve *Vitarum* Scriptoribus dici possent, huc referre eo

(14) *Ad Att.* Lib. VI. Ep. 2.

(15) Hac Sectione §. VI.

(16) Hermippus inter praecipuos *Historiae Philosophicae* Auctores nemini, qui in hac eruditionis parte non plane sit hospes, incognitus est; neque injuriâ adeo *de Historiâ Philosophicâ meritissimus* dicitur a BRUCKERO *Hist. Crit. Philos.* Vol. I. pag. 622. JONSII praesertim (Lib. II. Cap. 9. §. 3.) auctoritatem secuto, qui, *quantum*, inquit, *profuturus nostrae Historiae fuisset Hermippus, quantaque ea utilissimi Scriptoris jactura sit, nemini ignotum esse potest, qui et fidem et diligentiam hujus Auctoris consideraverit.* Nec parcior in laudando Hermippo HUMFREDUS HODIUS est in *Dissert. contra Historiam Aristeae* Cap. III. praeëuntibus Veterum nonnullis, FLAVIO JOSEPHO praesertim et ATHENAEO, quorum illi ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱςορίαν ἐπιμελὴς audit, huic ἀκριβὴς vocatur: Et tamen, quamvis ego istius, e scholâ Callimacheâ Philologi magis quam e Lycéo Philosophi, neque fidem accusem neque diligentiam, candide nihilominus et aperte profiteor, vix alium esse inter *Vitarum Auctores*, cujus major credulitas aut in narrandis factis dubiis levior facilitas demonstrari possit. Sunt tamen quae non ipsius sed Librariorum sunt vitia vel errores. Sic e. gr. Hermippus a RICHARDO BENTLEJO in *Dissert. de Epist. Socrat.* §. VI. pag. 68. reprehenditur propter errorem non minus quam 37. annorum, quem in historiâ Socratis commiserit, quasi is Xenophontem de morte Grylli filii fuisset consolatus. Nimirum in *Vitâ Xenophontis* apud DIOG. LAËRT. Lib. II. Segm. 55. legitur. Ἀλλὰ καὶ Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Θεοφράςου καὶ Σωκράτη φησὶ Γρύλλου ἐγκώμιον γεγραφέναι. Sed qui temporum noverit rationes et nihil unquam a Socrate scriptum editumve, qui contra τὸ ἐγκωμιάζειν ad Isocratis Rhetoricam facultatem meminerit pertinuisse, Σωκράτους autem et Ἰσοκράτους nomina saepius a Librariis commixta vel commutata,

minus necesse est, quod quae de Aristoxeno, de Hieronymo Rhodio, et de Satyro mox dicenda erunt, sententiam nostram de *Peripateticis Vitarum Scriptoribus* insigni exemplo confirmabunt. SECTIO II.

§. X. *De suppositis, aetate Ptolemaeorum, alieno nomini libris, et natis inde, quae* Historiae Philosophicae *officiant, fraudibus.*

§. 10. *De labe Historiae Philosophicae ex suppositione librorum natâ.*

Unum est quod silentio praetermittere non possumus, ab eo scilicet, qui hanc caussam rite dijudicare velit, spectandam omnino esse licentiam istam, quae Ptolemaeorum aetate (1) potissimum invaluit, ut sub alieno nomine libros confingerent homines nefarii, atque mentitis titulis in vulgus ederent. Quemadmodum vero haec licentia auctoritatem Historiae universae maximo opere labefactavit, sic ea Historiae Philosophicae tanto magis imminuit fidem, quanto, discordes inter et invidos sapientiae magistros, aemulas inter sibique invicem obtrectantes Sectas ac Scholas Philosophorum, nulla res malevolo

commutata, is facile mecum videbit apud Laërtium legendum esse: Ἕρμιππος...... καὶ Ἰσοκράτην φησὶ Γρύλλου ἐγκώμιον γεγραφέναι. — Et, ne quis de emendatione dubitet, sic perspicue legitur in Collatione Vossianâ *Vitae Xenophontéae*, quae est in fronte editionis Aldinae Operum Xenophontéorum in Bibliothecâ Academiae Lugduno-Batavae.

(1) De his πεπανουργουμέναις ἐπιγραφαῖς classicus GALENI locus est *in Hippocr. de Nat. Hom.* Lib. I. (Tom. V. Opp. pag. 16. 30. ed. Basil.) Πρὶν γὰρ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τε καὶ Περγάμῳ γενέσθαι βασιλεῖς, ἐπὶ κτήσει παλαιῶν βιβλίων φιλοτιμηθέντας, οὐδέπω ψευδῶς ἐπεγέγραπτο σύγγραμμα· λαμβάνειν δ᾽ ἀρξαμένων μισθὸν τῶν κομιζόντων αὐτοῖς συγγράμματα παλαιοῦ τινὸς ἀνδρὸς, οὕτως ἤδη πολλὰ ψευδῶς ἐπιγράφοντες ἐκόμιζον. — Rem, de libris praesertim Platonis atque Aristotelis satis cognitam, hic pluribus confirmare, non est necesse: Illam ex Strabone, ex Plutarcho, ex Athenaeo, Simplicio, aliisque demonstrarunt ISAACUS CASAUBONUS, IOANNES WOWERUS, IOANNES-GERARDUS VOSSIUS, AEGIDIUS MENAGIUS, caeteri, (quos laudat PETRUS BURMANNUS SECUNDUS ad HENR. VALES. *de Criticâ* Lib. I. Cap. 1. pag. 147.) inprimis vero RICHARDUS BENTLEJUS in *Epistolâ ad Wottonum* pag. 4. et in *Respons. ad Boyleum* pag. 6. (ed. Lennep.) tum Cl. HEYNE *Opusc. Acad.* Vol. I. pag. 127. — " Accidit, ut Reges Asiae, conficiendarum Bibliothecarum studio incensi, libros veteres ,, undique conquirerent, magnaque praemia proponerent, si quis ad se aliquid Platonis, ,, aut Aristotelis, aut similium, attulisset. Ibi improbi homines, pecuniae cupiditate ,, adducti, multa adfinxerunt Aristoteli, de quibus Aristoteles nunquam, ne per somnium ,, quidem, cogitarat." Verba sunt MURETI Orat. VII. (Tom. I. Opp. pag. 260.) a quo Reges Aegypti Regibus Asiae additos oportuisset.

SECTIO II. §. 10.

detrahendi ac calumniandi proposito plus inserviebat, quam frequentes nimis istae commentitiorum scriptorum suppositiones, sive Sophistis illae deberentur, subditos suos foetus splendido nomine commendantibus, sive pejori etiam fraudi, ut incautos lectores, (quales sunt plerique,) facilius circumvenirent homines docti quidem illi et eruditi, sed improbi plerique ac mendaces, alii male quaesitae famae, alii turpi lucro inhiantes, seu Grammatici essent, seu Philosophi, et ii quidem (quod ne quemquam offendat, precor,) aliquando Peripatetici (2). Nempe, uti ex dictis nostris jam colligi potest,

(2) Quae ὡς ἐν παρόδῳ a nobis hic dicuntur de πανουργίᾳ Philosophorum, etiam Peripateticorum, in confingendis edendisque sub alieno nomine libris, pluribus confirmari possent, neque hoc tamen loco debent. Exempla tantummodo sunt danda. Duo Peripatetici omnium sint instar, tum fabulis et mendaciis posteritati propagandis, tum supponendis splendido antiquiorum nomini libris, infames, Heraclides Ponticus et Aristo Julietes seu Ceus. Quemadmodum *puerilibus fabulis Ponticus Heraclides referserit libros*, testis est CICERO (*de Nat. Deorum* Lib. I. Cap. 13.) neque adeo immerito μυθώδους καὶ πλασματίου titulo a *Plutarcho* ornatus est. Loca attulit diligentissimus JONSIUS *de Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 17. §. 1. « *Fidem ei* (inquit Jonsius) *in omnibus tuto haberi* ,, *non posse*, *antiqui judicarunt*, *quod non modo alienis per furta*, *sed falsis* ,, *quoque per figmenta lectorem decipiat*." Nimirum ut Chamaeleonti, civi suo, scripta sublegit, sic in iis, quae de Vitis Homeri, Hesiodi, Archilochi, περὶ Πυθαγορείων, de Empedocle et reliquis, vel conscripsit vel edidit, παραδοξόλογος et mendax fuisse reperitur. Neque alia apud Veteres Aristonis Julietae Cei, Peripatetici, fuit fama. Utrumque praeterea conjunxit PLUTARCHUS, cujus initio Libelli, *quomodo juveni audienda sint Poëmata*, haec sunt verba: Οὐ γὰρ μόνον τὰ Αἰσώπεια μυθάρια καὶ τὰς ποιητικὰς ὑποθέσεις, καὶ τὸν Ἄβαριν τὸν Ἡρακλείδου, καὶ τὸν Λύκωνα τὸν Ἀρίστωνος διερχόμενοι, ἀλλὰ καὶ τὰ περὶ τῶν ψυχῶν δόγματα μεμιγμένα μυθολογίᾳ μεθ' ἡδονῆς ἐνθουσιῶσι. Atque adeo haud mirum est, eam, quae a *magno Philosopho* exspectetur, *gravitatem* in illo a CICERONE (*de Fin.* Lib. V. Cap. 5.) fuisse *desideratam*, et omnem ab ejus oratione *auctoritatem* abesse visam. Quae enim auctoritas illi fuisset, qui praeceptori Lyconi dulces eas quidem, sed permulcendis puerorum auribus tantum aptas, supposuerit fabulas, in Commentariis περὶ ἐρωτικῶν ὁμοίων alias occupatus, optimoque jure a FRANCISCO PATRICIO (*Discuss. Perip.* Tomo I. Lib. 12. pag. 156.) inter Peripateticos relatus, qui ab Aristotelicâ philosophandi ratione maxime discesserint? Sed recenti Lyconis nomine abusus est Aristo: Heraclides Ponticus subtiliorem πανουργίαν adhibuit, quapropter et a RICHARDO BENTLEJO (*Resp. ad Boyleum* pag. 6.) in eorum censetur numero, qui scriptis ψευδεπιγράφοις non vulgus tantum sed Reges etiam virosque doctos deceperint. Quum enim Tragoedias conscribere haud magis indignum personâ Philosophi censuisset, quam existimavit Crates, non suo tamen illas nomine inscripsit, sed, lectoribus fucum faciens, antiquissimi Tragici Thespidos: Et, ne dubitemus, fraudis testis est alter Peripateticus, Aristoxenus Musicus. Vid. DIOG. LAERT. Lib. V. Segm. 92. R. BENTLEJ. *Resp. ad Boyleum* pag. 130. — At

Sectio II. §. 10.

Duplex suppositionis caussa: Prior, ars Sophistarum.

duplex fuit, hoc saeculo Ptolemaïco, subjiciendorum alieno nomini librorum caussa; duplex adeo subditorum ejusmodi foetuum ratio; duplex item occasio, qua ii facilius minusque suspiciose in vulgus exirent. Inter Veteres jam a QUINCTILIANO (3) observatum est, constare, " fictas ad imitationem fori ,, consiliorumque materias apud Graecos dicere, circa Demetrium Phaléreá ,, institutum fuisse." Ab hoc nimirum Viro, quamquam laudatissimo, repetenda tamen est praeceps in ruinam inclinatio illius eloquentiae, quae consuetudine veras orandi caussas alebatur, cum ille, ut CICERO (4) ait, *non tam armis institutus quam palaestrâ, primus inflexit orationem, et eam mollem teneramque reddidit;* " hujusque adeo hominis " (HEYNII (5) verbis iterum utamur) " auctoritas Alexandriae satis valere debuit, ut ab ,, antiquo orationis colore passim desciscerent." Quocirca ab his quoque natalibus horumque temporum moribus profecta est prior illa, de qua dicebamus, scriptorum ὑποβολιμαίων species, quae Sophistas, sub alienâ pelle latentes, habebant auctores, quorumque numerus deinceps nimium quantum crevit altero saeculo, quod priori illi Ptolemaïco fuit simillimum, post Augusti, inquam, mortem, maxime sub Trajano, Hadriano, et Antoninis, quando naturae et veri imitatrix ars Sophistarum summo opere floruit. Igitur ad Ptolemaeorum aetatem referendas existimamus, quaecunque aliquem antiquitatis colorem prae se ferunt, falso tamen nomine in vulgus fuerunt editae, seu Historias, seu Orationes, seu Epistolas, in quarum posteriorum numero nulli dubitamus censendas esse, quae hodie sub Socraticorum, aut Euripidis, aut Phalaridis nomine leguntur. Alia, quae frequenti usu figurarum ac dicendi luminum, adfectatâ sententiarum concinnitate, sive (uno ut dicam verbo) impressis calamistri vestigiis, artificium recentiorum etiam Rhetorum produnt, --- istiusmodi scripta ab Aristidis, Luciani, vel Hermo-

At quae de Heraclide Pontico, ut homine fraudulento et plano, addi possent, hujus quidem non sunt temporis, et partim ex Diogene Laërtio facile petenda. —— Tertium praeterea παραδοξολόγων pari comitem addere potuissem, mendacem etiam magis et in fingendo audaciorem, quippe Peripateticum non tantum, sed eundem quoque Judaeum, Aristobulum: Verum iste quidem uni VALCKENAERIO est relinquendus, cujus non possum tamen quin hic aptissima ad rem nostram verba referam e *Diatribe de Aristobulo* §. III. pag. 10. « Legimus enim (inquit Vir summus) et veneramur multa tanquam genuina eorum ,, scripta, quorum nomina praeferunt; et multa tamen nobile nomen mentiuntur."

(3) *Inst. Orat.* Lib. II. pag. 76.

(4) In *Bruto* Cap. 9.

(5) d. Prolusione pag. 91.

Sectio II. §. 10.

genis aetate non longe remota videntur. Quantum autem fictae ejusmodi Declamationes caeterique fuco et meretriciis vestibus ornati Commentarii contulerint ad conturbandam omnem Antiquitatis fidem, infinitosque creandos errores, vel ex unâ satis patet Ioannis Meursii *Themide Atticâ*; cui Sophistarum lascivia et levitas quam plurima infanda et inaudita Legum Atticarum monstra objecit. Aut, si ex longinquiori tempore petendum est exemplum, Polycratis Oratio in Socratem pro specimine sit, quae post centum modo annos curiosissimum rerum vetustarum indagatorem Hermippum decepit. Ad eandem classem, praeter innumera alia, pertinuerunt sub Periclis nomine venditatae Orationes, quas Quinctilianus (6) etiam commentitias judicabat, quemadmodum optimo jure (ut quidem arbitramur) Cl. Ruhnkenius (7) idem judicium tulit de scriptis Orationibus, quae Alcibiadi quondam tribuebantur. --- Et quis ignorat frequens illud ac solemne Harpocrationi aliisque Grammaticis, in laudandis Veterum Orationibus ac Libris, *εἰ γνήσιος*? Isocratis multa volumina circumferri a Bibliopolis, quae non erant ipsius, Aristoteles jam suâ aetate aiebat, uti apud Dionysium Halicarnassensem (8) legimus.

Altera suppositionis caussa, inimicitiae Scholarum inter se.

Verum enimvero altera est scriptorum *ὑποβολιμαίων* classis, quae longe majorem noxam intulit Historiae Philosophicae, illorum scilicet scriptorum, quae maledicendi studium peperit aut aemulam scholam calumniandi ac ludificandi lubido. Atque hìc in memoriam quis revocet, quae supra (9) animadvertimus de quatuor Libris *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς*, qui sub Aristippi nomine ferebantur, sed quos suppositos esse ac falso auctoris nomine insignitos vel ipsa temporum ratio evincebat. Ita autem scripti turpissimi fuerunt Commentarii, ut veri Auctoris propositum manifestum esset, foedissimam dedecoris labem Academiae et Lycéo adspergere, quarum scholarum scilicet principes, severâ fronte mentem occultantes, quibusvis libidinibus, luxuriae et voluptati (10) indulsissent. Quocirca certe nescio, an non ad Epicuréum aliquem, Aristippo suos foetus supponentem, (quemadmodum ipse Epicurus quondam

(6) *Inst. Orat.* Lib. III. Cap. 1.
(7) *Hist. Crit. Orat. Vet.* pag. 39.
(8) Tomo II. Opp. pag. 102. 14. ed. Sylb.
(9) Hujus Sectionis §. 11.
(10) Vid. Bruckeri *Hist. Philos.* Tomo I. pag. 592.

quondam Aristippéos per plagium sibi vindicasse (11) dicebatur) isti *de antiquâ Luxurie* Commentarii potiori jure referantur, quam tributae Diotimo Stoico sunt Epistolae, sub Epicuri nomine in vulgus editae, quibus priscorum Philosophorum vita nequiter ac flagitiose perstringebatur. Epicuréi quidem eorumque patroni ac defensores id a Diotimo, acerrimo sectae suae insectatore et hoste, factum (12) adfirmant, ut Epicurum ejusque discipulos contemtui ac ludibrio, quin odio et vindictae, exponeret, cujus criminis poenam Stoicus capite luerit, a Zenone Epicuréo propterea accusatus et judicio victus; uti ex Demetrii Magnetis Homonymis ATHENAEUS (13) auctor est. Nos vero felicitatem hujus sectae miramur, ut quaecunque scripta famam ejus apud posteros onerassent, commentitia vel reperta vel judicata sint et ab improbis voluptarii Horti adversariis conficta. DIOGENI LAËRTIO (14) et ATHENAEO, quos Epicuréae scholae prae reliquis omnibus sectis favisse nos non soli existimamus, sua, si quis velit, auctore Demetrio Magnete, integra constet fides: Ab alterâ tamen parte miramur, fraudem istam Diotimi a Cicerone ac Senecâ ignoratam fuisse, — a Cicerone, inquam, cui *Epicuréae Epistolae* frequenter fuerunt obversatae, qui Epicuri maledicentiam in alios Philosophos graviter reprehendit (15), qui denique iisdem temporibus vixit, Demetrii Magnetis libros (16) habuit, et ipsum illum Zenonem Sidonium, quo accusante Diotimus damnatus dicitur, Athenis (17) audivit; nam dolus hominis Stoici, SECTIO II. §. 10.

(11) DIOG. LAËRT. Lib. X. Segm. 4.

(12) Idem ibid. Segm. 3.

(13) Lib. XIII. pag. 611. B. Vide GASSENDUM *de vitâ et moribus Epicuri* Lib. III. Cap. 5. in f. JONSIUM *de Script. Hist. Philos.* Lib. II. Cap. 15. §. 4. item Lib. I. Cap. 20. §. 2. Lib. II. Cap. 17. §. 4. BAYLIUM *Lex.* v. *Epicure* Notâ I. Tomo II. pag. 369. praesertim BRUCKERUM, qui copiosus et multus est in hac historiâ narrandâ, uti universe in tuendo strenue Epicuro, *Hist. Crit. Philos.* Tom. I. pag. 1243. 1247. &c.

(14) Adversus SAMUELEM PARKERUM, vehementem et acrem Epicureïsmi insectatorem, a BRUCKERO propterea saepius oppugnatum, patrocinium DIOGENIS LAËRTII suscepit I. A. FABRICIUS *Bibl. Gr.* Lib. IV. Cap. 19. §. 1. (Vol. III. pag. 600.) adde Vol. II. pag. 810. Qui tamen neget, Laërtium propenso in Epicurum et Epicureos fuisse animo, nae is sciens ac volens oculos ad lucem clausisse dicendus est! At, quid ageret, pulchre Gassendus noverat, quum, Epicuri caussam acturus, illius Vitam a Laërtio conscriptam pro materiâ sumsit, quam uberiori Commentario illustraret.

(15) *De Nat. Deorum* Lib. I. Cap. 33.

(16) Vid. *ad Att.* Lib. IV. Ep. 11. Lib. VIII. Ep. 11.

(17) Vid. *Tusc. Disput.* Lib. III. Cap. 17. *de Nat. Deorum* Lib. I. Cap. 21. *de Fin.* Lib. I. Cap. 5. &c. Conf. JONSIUM *de Script. Hist. Phil.* Lib. II. Cap. 15. §. 4.

SECTIO II. §. 10. qui fertur, Tullio suboluisse nobis quidem minime videtur, quamquam olim JONSIO nostro (18) sic videbatur. Miramur, tantam *acriculo seni Epicuréo* (19) apud Magistratum Romanum fuisse auctoritatem, tam decoram Philosopho moderationem animi a vindictâ alieni, ut ultimum supplicium derivarit in caput adversarii propter istiusmodi delictum, quod, si atrox adeo videretur, communi tamen antiquiorum Philosophorum et Rhetorum culpâ excusabatur; — quam profecto novi generis *lenitatem* nescio an Sidonius hic sapientiae magister discipulo suo, T. Pomponio Attico, probasset, hominum mitissimo. Miramur denique eandem fortunam obtigisse Philaenidi, mulieri ex Epicuréâ disciplinâ Philosophae (20), ut non suâ, sed plani ali-

(18) *De Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 20. §. 2. ubi usus est loco *de Finibus* Lib. II. Cap. 25. qui an probet Ciceronem Epistolam Epicuri περὶ ἐπιτηδευμάτων aliasque pro suppositis habuisse, alii judicent: Ego certe nihil ejusmodi illic reperire mihi videor; contra vero inde colligo, eum de ipsâ Epicuri comitate dubitasse. *Sed, quamvis comis in amicitiis tuendis fuerit, tamen, si haec vera sunt, (nihil enim adfirmo) non satis acutus fuit.* — Quin solus locus *de Nat. Deorum* Lib. I. Cap. 33. evincit, de ingenio haud minus quam de moribus Epicuri Tullium ex illius Epistolis judicasse. Conf. DIOG. LAËRT. Lib. X. Segm. 8. ATHENAEUM Lib. VIII. pag. 354. B.

(19) Sic CICERO *Tusc. Disp.* Lib. III. Cap. 17. Sidonium hunc Zenonem appellat, cujus mitis ac placida indoles vel eo se prodidit, " quod Socratem ipsum, parentem Philosophiae, „ Latino verbo utens, *scurram Atticum* fuisse dixerit." *De Nat. Deorum* Lib. I. Cap. 34.

(20) De Philaenide, quam inter Epicuri discipulas et amicas enumerant *Historiae Philosophicae* Scriptores, Stanlejus, Bruckerus, Ioannes etiam Albertus Fabricius, quamque tamen nec DIOGENES LAËRTIUS memorat Lib. X. Segm. 4. 7. 25. nec MENAGIUS, de *Mulieribus Philosophis* Epicuréis agens, pag. 498 — de hac, inquam, Philaenide multi multa, magnam partem dubia, incerta, repugnantia. Quum enim primus, quod sciam, LILIUS GREGORIUS GYRALDUS (*de Poëtarum Hist.* p. 171. G.) hanc mulierem inter Poëtas retulisset, elegantis illius, sed nimium saepe fallacis, Libri errores ita ad posteros sunt propagati, ut ab iis sibi non satis caverint viri etiam primarii, quales fuerunt I. G. VOSSIUS (*de Poetis Graecis* pag. 94.) et NIC. HEINSIUS (ad OVID. *Trist.* Lib. II. v. 418.) Sed insigniorem ex iis erroribus, quo Philaenidos mentio Xenophonti tribuebatur, accurate demonstravit Ez. SPANHEMIUS, cujus diligens de Philaenide exstat disputatio, Diss. XIII. *de praestantiâ et usu Numismatum*, (Vol. II. pag. 522.) neque cum Gyraldo errarunt CONRADUS GESNERUS et FRONTO DUCAEUS ad TATIANI *Orat. ad Graecos* Cap. 56. aut IOANNES POTTERUS ad CLEM. ALEX. *Cohort. ad Gentes* (Tom. I. Opp. pag. 53.) Illum vero bonâ fide secutus est GOTFRIDUS OLEARIUS in Diss. *de Poëtriis Graecis* Num. LX. pag. 176. animadvertente tamen hunc errorem, post monita Spanhemii, Io. CHRIST. WOLFIO in Adnotatione subjectâ. Nos, quae de Philaenide moveri possint, plures controversias leviter mox tangemus, quantum ad rem nostram facere videantur.

Sectio II. §. 10.

An Philaenidi suppositi Libelli ἀναισχυντόγραφοι;

cujus et falsarii culpâ, insigni apud posteros infamiâ laboraret: Etenim, cum ejus ferrentur *περὶ ποικίλων Ἀφροδισίων σχημάτων* Commentarii, inter *ἀναισχυντογράφους* a Veteribus haud postremo loco memorati, mox exstitit Aeschrion Iambographus Samius, qui foedam civi suae Samiae adspersam labem abstergeret, et non tantum impudicae lasciviae dedecus, sed falsi etiam crimen objiceret Polycrati Sophistae, qui tamen si idem fuerit Orationis in Socratem auctor, Isocrati aetate suppar, nescio quomodo, per temporis rationes, Busiridis laudator turpes suos et Venereos foetus supponere potuerit (21) mu-

(21) Observatio haec, ex temporum ratione ducta, vel uno, quod memoravimus, argumento satis probatur, Isocrati nempe, quamvis aetate jam provectiori, Polycratem tamen supparem fuisse: Alia exstant praeterea, quibus manifestum sit, Polycratem vixisse ante Epicurum ejusque scholam, atque adeo ante Philaenida, si haec femina ad istam scholam sit referenda: Namque Aristoteles, Isocratis adversarius, declamationum Polycratearum meminit, (*Rhetor.* Lib. II. Cap. 6.) Aristotelis vero aetatem si consideret, dubitationem meam probabit humanissimus Spalding, cujus elegantem de Polycrate adnotationem ad Quinctil. *I. O.* Lib. II. Cap. 17. pag. 375. supra laudavimus. Epicurus quippe, teste Diogene Laërtio Lib. X. Segm. 2. scholam, ab aliis sejunctam Philosophis, aperuit demum, postquam, defuncto Alexandro Macedone, et obnoxiis imperio Macedonum sub Perdicca Athenis, Colophone apud patrem per aliquod tempus fuerat moratus. Quin octavum et decimum modo agebat annum Epicurus, quum Aristoteles Athenis se Chalcida, extremo vitae tempore, recepisset. Ergo Nestoreos Isocratis annos, et ultra, vixerit, oportet, Polycrates Atheniensis, si Philaenidi, ex Epicureâ disciplinâ prodeunti, librum seu carmen supposuerit. Res tamen esset in vado, si duas cum Spanhemio Philaenidas nobis fingeremus, quarum priori Leucadiae suum Sophista foetum supposuerit; altera vero Samia (eaque Epicuri alumna) *ἀναισχυντογραφίας* crimine insons fuerit, meritoque a cive suo, Iambographo Aeschrione, vindicata: Sed unicum, cui hi duarum Philaenidum natales debentur, testimonium est locus Athenaei, — idem ille locus, quo male intellecto Gyraldus haud unum errorem proseminavit. Exstat ille Lib. V. pag. 220. E. *ἀλλὰ Σωκράτης ὁ μετὰ τῶν Ἀσπασίας αὐλητρίδων ἐπὶ τῶν ἐργαστηρίων συνδιατρίβων καὶ Πίστωνι τῷ θωρακοποιῷ διαλεγόμενος, καὶ Θεοδότην διδάσκων τὴν ἑταίραν, ὡς δεῖ τοὺς ἐραστὰς ἀπολαύειν* (vere Paulus Leopardus *Emend.* Lib. VI. Cap. 3. ex ipsius Xenophontis *Memorabilibus* demonstravit, legendum esse *ἀπελαύνειν* vel *ἀποκλείειν*) *ὡς Ξενοφῶν παρίστησιν ἐν δευτέρῳ* (leg. *ἐν τρίτῳ*) *Ἀπομνημονευμάτων· τοιαῦτα γὰρ ποιεῖ αὐτὸν παραγγέλματα τῇ Θεοδότῃ λέγοντα, ἃ οὔτε Νικὼ ἡ Σαμία, ἢ Καλλιστράτη ἡ Λεσβία, ἢ Φιλαινὶς ἡ Λευκαδία, ἀλλ᾽ οὐδὲ ὁ Ἀθηναῖος Πυθόνικος συνεωράκασι πόθων θέλγητρα.* Equidem, quum Samia fuisse Philaenis alibi, ab ipso etiam Aeschrione, cive suo, dicatur, solis hisce Athenaei verbis aut eam, quae *περὶ σχημάτων Ἀφροδισίων* scripserit, fuisse Leucadiam, aut diversam a Leucadiâ exstitisse Samiam, probare non ausim, sive epitheton *ἡ Σαμία*, quod nunc nomini Nicûs adhaesit, ordine suo fuerit motum, Philaenidique sit tribuendum, *τῆς Λευκαδίας* vero cognomen priori potius feminae adsignandum, quae nescio

 an

Sectio II. §. 10. lieri, quae ex Epicuri disciplinâ prodierat. Equidem pertinaciter aut magnopere pugnare nolimus, quum Philaenis in scholâ Epicureâ famam esset adepta, hanc otioso alicui et voluptario Sophistae commodam occasionem non potuisse videri confingendi librum, obscoenae libidinis indicem, quem splendido Philosophae Epicuréae nomine ornaret, ut fecerunt alii, Astyanassae aut Laïdos nomen mentiti (22): Quin fatemur, nos *περὶ σχημάτων* Ἀφροδισίων Librum

an eadem fuerit cum Nicidio, inter suaves facilesque Epicuri amicas memoratâ a Plutarcho in Diss. *non posse suaviter vivi secundum Epicurum*, (Tomo II. Opp. pag. 1097. D.) et a Diog. Laërtio Lib. X. Segm. 7. sive Athenaeus istarum feminarum *ἀναισχυντογράφων* nomina pro arbitrio desumserit ab iis civitatibus, quarum muliebris sexûs incolae libidine Venereâ per Graeciam erant celebratissimae, atque adeo, quum duas priores dixisset Samiam atque Lesbiam, tertiam a Leucade appellaverit, cui Corinthiorum Coloniae, Leucadio scopulo amantibus metuendae, *restabant in moribus vestigia prioris patriae*, ut scribit Is. Casaubonus *Animadv. ad Athen.* Lib. VIII. Cap. 10. col. 611. 50. Leucadios propterea *ἐάλους Κορινθίους* appellatos existimans, quamquam et fuerunt Leucadiae Virgines, amore infelices sed eaedem pudicae, teste eodem Athenaeo Lib. XIV. pag. 619. E. —— Verum ista omnia, qualiacunque sint, in medio relinquimus, incerta omnino et sibi invicem contraria.

(22) Si quis apud Suidam et Hesychium v. *Ἀστυάνασσα* legat, " hanc Helenae, Menelai uxori, ancillam fuisse, primamque varias rei Venereae invenisse figuras ac reclinandi modos, „ neque invenisse tantum, sed et *περὶ σχημάτων συνουσιαστικῶν* edidisse Commentarios," *ἣν ὕστερον παρεζήλωσαν Φιλαινὶς καὶ Ἐλεφαντίνη, αἱ τὰ τοιαῦτα ἐξορχησάμεναι ἀσελγήματα·* —— si quis igitur haec legat, ridebit credulam Grammaticorum turbam, talia serio tradentium: Et, quamvis nimis etiam facilis in adhibendâ fide Plinius Major plerumque videatur, poenitebit tamen, virum tam eruditum sibi potuisse persuadere, famosam Laïda de amoribus meretriciis ac libidine Venereâ libros evulgasse, *ita ut Lais et Elephantis inter se contraria de abortivis prodiderint*, quemadmodum ait *Histor. Nat.* Lib. XXVIII. Cap. 7. Scilicet tam germana fuerunt Astyanassae, Elephantines seu Elephantidos, Laïdos, Nicûs, quin et fortasse Philaenidos scripta, quam germana est *Leontii ad Lamiam Epistola*, ab eleganti Sophistâ, qui Alciphronis sibi sumsit nomen, conficta (Lib. II. Ep. 2.) Quocirca miror Gassendum, Baylium, aliosque, peritissimos Historiae Philosophicae viros, operae duxisse pretium, in arguendâ talis Epistolae fide vel tantillum morari. Neque, ut supra indicavi, equidem magnopere pugnem,

Tot figuras, quot Philaenis enarrat,

vere Philaenidéa scripta fuisse, haud magis quam vere

Obscoenas rigido Deo tabellas
Ductas ex Elephantidos libellis.

Omnis

Philaenidi haud certius tribuere, quam Melampodi vati Librum τῆς περὶ παλμῶν μαντικῆς, aut *guloso* Apicio Commentarium de *Re Culinariâ*, auctorum titulis a veteri famâ desumtis. Neque tamen feminae Epicuréae mores et vita tantum apud nos valent, ut cum BRUCKERO (23) Chrysippum accu- SECTIO II. §. 10.

Omnis tamen Antiquitas librum Philaenidi tribuit; et, praeter Aeschrionis atque Dioscoridis Epigrammata, nemo unus de germanâ turpium *Schematum* parente dubitasse videtur, ne POLYBIUS quidem, summo judicio Historicus, aut Scepticus LUCIANUS, multo minus Scriptores Christiani, JUSTINUS MARTYR, CLEMENS ALEXANDRINUS, TATIANUS. Classicum Polybii locum in *Excerptis Valesianis* pag. 53. ubi Democharem Oratorem contra Timaeum defendit, ipsa continere verba, quae habet SUIDAS v. βοτρυοςαγῆ ἔργα, non omnes viderunt, quos de Philaenide egisse supra diximus. Audacissima est apud Scriptorem *Amorum* inter Opera *Luciani* (Tomo II. pag. 429. 95.) figura orationis: Πᾶσα δ' ἡμῶν ἡ γυναικωνῖτις ἔςω Φιλαινὶς, ἀνδρογύνους ἔρωτας ἀσχημονοῦσα.

(23) Abstinere hoc loco non possum, quin animadvertam, quanta vis sit cupiditatis vel in accusando vel in defendendo. Nisi enim BRUCKERUS constituisset vestigia Gassendi atque Baylii, in tuendo Epicuro, premere, scholamque adeo Epicuréam ab omni reprehensione, quin et suspicione, vindicare, scribere non potuisset (pag. 1247 in Notâ) *Philaenida caste et sancte vixisse*, atque alibi (pag. 1250.) *mulierem fuisse morum castissimorum*, cujus laudis auctorem et apud Bruckerum desidero, et, licet sedulo quaerens, apud alios reperire non potui. Nec firmius est testimonium, Philaenidéas figuras *carmine* fuisse descriptas: Ea IOSEPHI SCALIGERI sententia fuisse non videtur, qui in *Comment. ad Priapeja* pag. 203. Philaenida, simpliciter ait, " scripsisse *libros* περὶ ποικίλων σχημάτων Ἀφροδισίων, sicut ,, et Elephantis, et Cyrene, — item Astyanassa." Sed Lilium Gregorium Gyraldum Vossius pater, mox et Gotfridus Olearius cum Ioanne-Christiano Wolfio, sunt secuti. Nescio, an aliam illi habuerint caussam, nisi Philaenidos cum Archestrato factam saepius ab Athenaeo, Chrysippum Stoicum propterea laudante, conjunctionem: Archestrati autem Γαςρονομία versibus scripta fuisse videtur, quare et ATHENAEUS Lib. VIII. pag. 335. F. τί γὰρ (inquit) τῶν ἐπιτρίψαι δυναμένων παρέλιπεν ὁ καλὸς οὗτος ἐποποιὸς; et PLUTARCHUS initio Libelli *de Alexandri fortunâ et virtute* (Opp. Tom. II. pag. 333. E.) ποιητὴν χαρίεντα Archestratum vocat. Fortassis tamen Gyraldus ac reliqui pro arce opinionis suae de *Carmine* Philaenidéo habuerunt locum JUSTINI MARTYRIS in fine *Apologiae secundae* (pag. 98. ed. Hag. Com.) ubi instituta Christianorum praestare ait omni studio sapientiae humanae, nec turpibus lascivorum Scriptorum lusibus esse similia; — εἰ δὲ μὴ, κἂν Σωταδείοις, καὶ Φιλαινιδείοις, καὶ ὀρχηςικοῖς, καὶ Ἐπικουρείοις, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τοιούτοις ΠΟΙΗΤΙΚΟΙΣ διδάγμασιν οὐχ ὅμοια. — Certe non omnis Poësis, non universa disciplina Poëtica ad corrumpendos mores excitandamque Venerem fuerunt compositae; neque Epicurus aut profecti ex scholâ Epicuri Idomeneus, Colotes, alii, poëticâ facultate fuerunt insignes; ab elegantioribus literis dulcibusque ante omnia Musis abhorrentes plerique. Quid igitur Epicuri disciplina *Poëtica* vocatur? Ego certe malim, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τοιούτοις ΠΟΡΝΙΚΟΙΣ διδάγμασιν οὐχ ὅμοια, quemadmodum CLEMENS ALEXANDRINUS in *Cohort. ad Gentes* Cap. 40.

 (Tom.

SECTIO II. §. 10. semus, tanquam qui Philaenidi foedum Polycratis opus adscripserit non alio consilio, nisi ut disciplinam Epicuréam diffamaret. Quomodo enim Bruckerus Philaenin *caste et sancte vixisse* melius noverat Chrysippo, qui Epicureorum aetatem attingebat? Quo teste id resciverat vir optimus, qui *impuram istam concubitûs* historiam, (quibus argumentis nescio,) *carmen* appellat? AESCHRIONE Iambographo, scilicet! quo (24) tamen interprete simpliciter illa aiebat:

(Tom I. pag. 53. 23. ed. Pott.) ὥσπερ ἀμέλει τῶν Θεῶν ὑμῶν τὰς εἰκόνας στήλας ἀναισχυντίας καθιερώσαντες οἴκοι, ἐπ' ἴσης ἐγγραφόμενοι τὰ Φιλαίνιδος σχήματα, ὡς τὰ Ἡρακλέους ἀθλήματα· τούτων οὐ μόνον τῆς χρήσεως, πρὸς δὲ καὶ τῆς ὄψεως, καὶ τῆς ἀκοῆς αὐτῆς ἀμνηστείαν καταγγέλλομεν· ἡταίρηκεν ὑμῖν τὰ ὦτα, πεπορνεύκασιν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ, τὸ καινότερον, πρὸ τῆς συμπλοκῆς, αἱ ὄψεις ὑμῖν μεμοιχεύκασιν: Quomodo etiam Stoicus Hierocles, loco mox laudando, de Epicureâ disciplinâ vere aiebat: Ἡδονὴ τέλος, πόρνης δόγμα. Adjectivo πορνικὸς Scriptores Christiani Graeci frequenter utuntur. Ex AESCHINE Oratore (*contra Timarchum*, pag. 16. in f.) cognitum est vectigal meretricium, quod ipsum Senatum Atheniensem non pudebat plus licitanti locare, quodque turpis tributi redemptor, Reip. nomine, a singulis lupanaribus, singulisque scortis, tam maribus quam feminis, exigebat, τὸ πορνικὸν τέλος, ὃ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἡ βουλὴ πωλεῖ. —— Quin, Philaenidéa scripta quandoquidem cum *cantibus saltatoriis* (ὀρχηστικοῖς) junxerit Justinus, SUIDASque v. Ἀστυάνασσα pariter dixerit, (locutione ex Veterum aliquo desumtâ) Φιλαινὶς καὶ Ἐλεφαντίνη, αἱ τὰ τοιαῦτα ἐξορχησάμεναι ἀσελγήματα, existimet forsitan aliquis, carmina Philaenidis ex eorum fuisse numero, quae ad convivia vel post remotam mensam decantabant αὐλητρίδες, καὶ ὀρχηστρίδες, καὶ παῖδες πάνυ καλῶς κιθαρίζοντες καὶ ὀρχούμενοι, quales ex *Symposio* XENOPHONTIS aliisque Veterum locis novimus; atque eodem referat locum LUCIANI, ubi hic ea jungit cum Ialemis frigidisque id genus versibus, in *Pseudologistâ* Cap. 24. (Tom. III. Opp. pag. 181.) ποῦ γὰρ ταῦτα τῶν βιβλίων εὑρίσκεις; ἐν γωνίᾳ που τάχα τῶν ἰαλέμων τινὸς ποιητῶν κατορωρυγμένα, εὐρῶτος καὶ ἀραχνίων μεστὰ, ἤπου ἐκ τῶν Φιλαινίδος δέλτων, ἃς διὰ χειρὸς ἔχεις· σοῦ μέντοι καὶ τοῦ σοῦ στόματος ἄξια. — Verum, haec omnia cum ultra conjecturam vel suspicionem haud progrediantur, nihil definire melius est.

(24) Epigramma, tanquam ἀδέσποτον, exstat in ANTHOLOGIÂ Planudéa Lib. III. Cap. 10. Epigr. 4. sed Aeschrionis esse docet ATHENAEUS Lib. VIII. pag. 335. c. ubi eosdem Choliambos, aliquâ tamen cum varietate lectionis, refert, quem secutus est, Poëtarum Graecorum quondam sospitator, nunc vegetâ senectute aliis studiis deditus, BRUNCKIUS *Analect.* Tom. I. pag. 189. Caeterum de Aeschrione Poetâ seu Iambographo, ex eâdem cum Philaenide insulâ, Samo, natales ducente, post SUIDAM v. Αἰσχρίων, GYRALDUM atque I. G. VOSSIUM, pauca dederunt JONSIUS *de Script. Hist. Philos.* Lib. II. Cap. 2. §. 5. FABRICIUS *Bibl. Graec.* Vol. II. pag. 96. Sin Choliamborum Auctor idem sit, qui a Suidâ dicitur Aristotelis discipulus et amasius, itemque Alexandro Macedoni expeditionis fuisse comes, nescio, quomodo hic Philaenidi, (dum modo Epicuréa illa fuerit,) Epigramma funebre scribere potuerit, nisi omnes temporum rationes conturbemus.

Οὐκ ἦν ἐς ἄνδρας μάχλος οὐδὲ δημώδης· — Sectio II. §. 10.

vel Dioscoride Epigrammatum scriptore, cujus quoque stilo, dum modeste satis crimen ἀναισχυντογραφίας mulier a se amolitur, *verecundiam* (25) illa suam profitetur, de *castitate* et *sanctitate vitae* silet.

Epigrammata de Philaenide.

Οὐκ εἰμ' ἡ τὰ γυναιξὶν ἀναγράψασα πρόσαντη
Ἔργα καὶ αἰσχύνην οὐ νομίσασα θεόν·
Ἀλλὰ φιλαιδήμων ναὶ ἐμὸν τάφον· εἰ δέ τις ἡμᾶς
Αἰσχύνων λαμυρὴν ἔπλασεν ἱςορίην,
Τοῦ μὲν ἀναπτύξῃ χρόνος ὄνομα, τἀμὰ δὲ λυγρὴν
Ὀςεα τερφθείη κλῆδον' ἀπωσάμενος.

Egregii profecto in Historiâ Philosophicâ testes, Iamborum atque Epigrammatum auctores! Chrysippus autem, quem calumniae Bruckerus insimulat, si ex Epicuri scholâ feminam ἀναισχυντογραφίας adfinem esse posse existimavit, cum altero fortasse sensit Stoïco, Hierocle, cujus sententiam, referente Gellio (26), Taurus Platonicus passim in ore habebat, quando mentio fiebat Epicuri: Ἡδονὴ τέλος, πόρνης δόγμα: Neque adeo a mulieris Philosophae personâ, cui voluptas finis erat bonorum, alienum aut is censebat, aut quisquam censuerit alius,

— *concubitus non tacuisse suos.*

Celebrent, quantumcunque velint, Epicuréam morum vitaeque sanctitatem, post Diogenem Laërtium et Athenaeum, Gassendus, Baylius, Jonsius, Bruckerus, Ioannes etiam noster Albertus Fabricius, vir inter paucos laudatissimus; nos oculato et aurito testi credimus Ciceroni, qui expressam in Philodemo Philosophi Epicuréi vidit novitque imaginem, — in Philodemo, inquam, cujus ad orationem, summopere voluptatem laudantis, sic adhinniit L. Piso (27), *sic sensus voluptarios omnes incitavit, ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis a se illum inventum arbitraretur:* Et, ne distinguendo atque dividendo aliam voluptatem ab eo commendatam existimemus, quam quae vera et sola inter homines passim habetur, non in Philosophorum tantum scholis inaniter adumbrata, plurima Philodemi scripta Tullius memo-

Philodemus Epicureus.

(25) Dioscoridis Epigramma tetrastichum in Philaenida, ut ἀνέκδοτον, edidit Spanhemius d. l. pag. 523. postea vero inter Dioscoridae Epigrammata Brunckius *Analect.* Tomo I. pag. 50.

(26) *N. A.* Lib. IX. Cap. 5.

(27) Cic. *in Pisonem* Cap. 28.

Sectio II. §. 10. rat, quibus omnes Pisonis libidines, omnia coenarum genera, conviviorumque adulteria, delicatissimis versibus expresserat. Igitur, illustri specimine, *castos* illos *sanctosque* Philaenidis, ut plerorumque Epicureorum, mores, tanquam in speculo, intueri licet in vitâ illius, qui se impurissimi atque intemperantissimi convictùs coeno et sordibus inquinavit, cujusque qualis Musa fuerit Philosophica, qualis Epigrammata conscribendi consuetudo, ex nonnullis elegantis sed lascivi impurique ingenii foetibus, qui supersunt, etiamnum (28) existimare possumus. — Verum, ne unus et solus Philodemus, Epicuréus recentior, nihil probare in caussâ nostrâ videatur, antiquius exemplum adferamus ex ipso Epicuri horto, ex ipsis *sanctissimi Senis* sociis, — Idomeneum, puta, Lampsacenum, cujus omnis labor in celebrandâ voluptate Venereâ sic versatus videtur, ut summos ex Antiquitate viros illi indulsisse, περὶ τὰ ἀφροδίσια ἀκολάστους fuisse, totosque se inclytis an famosis scortis tradidisse demonstraret (29). Addamus Idomeneo fratrem adfinem Metrodorum, cui virorum pari Epicurus adsentatus dicitur,

Γαστρὶ χαριζόμενος, τῆς οὐ λαμυρώτερον οὐδέν· (30)

Namque

(28) Triginta et unum Philodemi Epigrammata, antea jam edita, junctim repetiit Brunckius *Analect.* Tom. II. pag. 83. seqq. quorum plura *ita festiva sunt, ita concinna, ita elegantia, nihil ut fieri possit argutius.* Ciceronis de Philodemi Poëmatis judicium est l. laud. sed haud minus verax ejusdem testimonium, *Philosopho ea esse indigna, si quidem Philosophia virtutis continet, et officii, et bene vivendi disciplinam.* Et certe Philodemus iste, L. Pisonis assentator, *impurissimo intemperantiae coeno et sordibus se inquinavit,* qui non Venerem tantum, naturae hominum brutorumque consentaneam, celebravit, sed infandam quoque et nefariam, ita ut " Pisonem adolescentulum, suae disciplinae a Lucio patre traditum, παιδεραστικῶς sit adlocutus" Epigrammate quodam, quod cum altero, pariter ἀνεκδότῳ, ejusdem Philodemi, ediderunt Academici Herculanenses. Hi enim, cum *Herculanensium Voluminum, quae supersunt,* Tomo I. ederent Fragmenta Librorum IV. Philodemi *de Musicâ,* ex Herculanensibus ruderibus eruta, in *Prolegomenis* seu *Praefatione* ad Lectores, de Epicuréo hoc suavi homine studiisque perpolito, sed libidinoso, qui *adulteria delicatissimis versibus exprimere solebat,* tam docte, tam copiose, (laudatis etiam prioribus, qui de eo egerant,) tam dilucide denique disputarunt, ut ne verbum quidem de hoc homine (quod ante visum *Herculanensium* Volumen animo destinaveram) porro addendum videatur.

(29) De Philosophico hoc et sanequam praeclaro scribendi genere, quo Idomeneus se posteris commendavit, vid. Athenaeum Lib. XIII. pag. 590. d. pag. 592. f.

(30) Timonis Sillographi versus est, quem hac de re adfert Athenaeus Lib. VII. pag. 279. f.

Namque is Metrodorus non dissimulanter aut timide, sed aperte et fidenter, in Venere et ventre naturalem hominis ajebat esse felicitatem (31), — περὶ γαστέρα ὁ κατὰ φύσιν βαδίζων λόγος τὴν ἁπάσαν ἔχει σπουδήν. — Quin de ipso Epicuro dixisse quis vetet, cujus, nisi mendax omnino ATHENAEI, Gargetio quamvis seni summopere faventis, sit auctoritas, haec ipsa fuerunt verba (32)? Ἀρχὴ καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ ἡ τῆς γαστρὸς ἡδονή. — Οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις· Et porro: — τιμητέον τὸ καλὸν καὶ τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰ τοιουτότροπα, ἐὰν ἡδονὴν παρασκευάζῃ· ἐὰν δὲ μὴ παρασκευάζῃ, χαίρειν ἐατέον. — Hanc praeceptoris sui sententiam secuta fuerit Philaenis; et, quidquid confinxerit Aeschrion, quidquid cecinerit Dioscorides, haud procul ab ἀναισχυντογραφίᾳ abfuisse videatur mulier, cui αἱ δι' ἀφροδισίων σχημάτων ἡδοναὶ viam muniebant ad felicitatem, adeoque in summis bonis numerabantur.

Sectio II. §. 10.

Metrodorus et ipse Epicurus τῶν ἀφροδισίων patroni.

§. XI. *Liberum de fontibus Historiae Philosophicae et de auctoritate Scriptorum, qui in eâ versati sunt, praecipue Peripateticorum, judicium vindicatur, atque ab omni calumniâ defenditur.*

§. 11. Libertas in judicando de fontibus Historiae Philosophicae.

Enimvero a proposito nos sermone sensim aberrasse animadvertimus, et pluribus egisse, quod paucioribus forsitan oportuerat: Namque simpliciter docendum erat (atque id tamen ex dictis nostris constare opinamur) perversam illam consuetudinem, quae aetate Ptolemaeorum maxime invaluit (1), et Heraclidi Pontico, Lyconi, Aristobulo, aliisque Alexandriae aut in Aegypto viventibus Peripateticis non infrequens fuit, ut libros alieno nomini suppo-

(31) ATHENAEUS ibid. pag. 280. A. Junge PLUTARCHUM *adv. Colotem* Tomo II. Opp. pag. 1127. B. C.

(32) Exstant Epicuri apud ATHENAEUM verba Lib. VII. pag. 280. quae eleganter, sed verecunde, interpretatus Latine CICERO *Tusc. Disp.* Lib. III. Cap. 18. studio omisisse videtur τὰς δι' ἀφροδισίων ἡδονάς. Confer ATHEN. Lib. VII. pag. 278. F. Lib. XII. pag. 546. D. E. DIOG. LAËRT. Lib. X. Segm. 6. PLUTARCH. *adv. Colotem* in f. Tomo II. Opp. pag. 1127. D.

(1) Scriptoribus, qui de istâ aetatis potissimum Ptolemaicae consuetudine egerint, supra laudatis, addendus omnino est Io. CLERICUS *Art. Crit.* Parte III. Sect. 2. Cap. 1. §. 8. Et universe *de suppositione librorum* sub falsis nominibus egit Io. WOWERUS *de Polym.* Cap. 16. med.

Sectio II. § II.

nerent, fraudesque id genus literarias Historiae tum universae, tum Philosophicae, maximam noxam intulisse, quippe ex qua natae sint infinitae numero *ἀνιςορησίαι*, repugnantiae, *ἀπορίαι* inextricabiles, narrationes incredibiles, fabulae, — *errata,* ut uno verbo dicamus, *communia,* quae tamen *errata,* ut *publicam* prope *opinionem,* etiam doctissimi sequuntur.

Sed enim (objicientes audire videor et velut queritantes) sic omnis *Historiae Philosophicae* fides in dubium vocatur; sic auctoritas eorum, quorum illa testimoniis maxime fulcitur, prope convellitur et labefactatur, quin tota concidit et ruit; sic denique (huc enim omnis demum redit querimonia) — sic denique quam plurima, quae tanquam non dubia, probata, certa acceperamus, ad novum examen erunt revocanda; sic, quae plana et facilis erat, quae lectione et memoriâ fere absolvebatur, Historiae Philosophicae via scrupulis, salebris, vepribus obsita reperietur, ad quos ne offendamus aut in quibus ne haereamus, multum laboris nobis erit exantlandum. — Quid tum porro? — Democriti dictum est, *ἐν βυθῷ ἡ ἀλήθεια*. *Veritatis* autem *ignoratione vulgi opiniones* (2) *in maximâ inconstantiâ versantur.* — Quod si quis vulgi opiniones illiusque inconstantiam sequi velit, nos quidem veritatem ante omnes amicam malumus; nec, si illa nobiscum sit, summae auctoritati cedimus alterius judicis, quicunque is fuerit, ne ipsius quidem (si ista res ageretur) Ciceronis, nedum recentioris alicujus hominis eruditi, solam Antiquitatis commendationem aestimantis. In examinandis, perpendendis, probandis, rejiciendis veterum Philosophorum sententiis, opinionibus, concertationibus, variis casibus et fatis, nemo, post renatas literas (ut quidem existimamus) diligentiorem aut accuratiorem operam impendit quam Petrus Baylius; et illius tamen, quae jam supra (3) retulimus, haec sunt verba: " Miseram esse conditionem, in qua Historiam nobis Philosophicam celebrati „ adeo Veteres reliquerunt! Millenae (inquit) ubique repugnantiae, millena „ facta *ἀσύςατα,* inter se neutiquam congrua aut concilianda, confusa millies „ tempora!" — Idem alibi (4), cum ridicula memorasset, quae Democrito

Veritas potior opinionibus vulgi.

Baylii *judicium.*

(2) Cicer. *de Nat. Deorum* Lib. I. Cap. 16.

(3) Hujus Sectionis §. IV. initio.

(4) Bayle *Dictionn.* v. *Democrite* Tomo II. pag. 270. Verba sic Gallice leguntur: " *Mais il ne „ faut point croire ce qu'on a dit là-dessus; il faut plutôt s'imaginer, que l'on „ s'est plû à répandre sur* l'Histoire des Philosophes *autant d'Avantures prodigieuses „ que sur celle des Paladins; et il est sûr, qu'en matière de bravoure les exploits „ du fameux Roland ne seroient point plus admirables, qu'en matière de secrets „ de la Nature ces deux découvertes de Démocrite."*

tribuuntur, remedia et inventa, temperare sibi non potuit, quin haec ironiae an sarcasmo adfinia (eheu! vera nimis) adjungeret. " Incredibilia sunt ista, „ et omni fide indigna; sed praestat, ut nobis sic persuadeamus, visum „ esse Historiae Philosophicae Scriptoribus, hanc nobis Historiam tradere tot „ refertam casibus et factis, quae prodigiis sint similia, quot in fabulâ de „ errabundis tenebricosi temporis Heroibus narrari solent; certumque est, „ mirabilia facinora, quae famosus ille fortitudine Rolandus effecerit, non „ majorem mirationem factura, quam duo ista in detegendis Naturae arcanis „ Democriti inventa." — Quam multa autem istiusmodi in Vitis Pythagorae, Heracliti, Empedoclis, caeterorumque reperiuntur! Nimirum, quod verissime quondam scripsit BRUCKERUS (5), " inprimis purgatum a praejudiciis, veri„ tatem jugulantibus, intellectum habere oportet eum, qui feliciter in *Histo„ riâ Philosophicâ* versari cupit: Abjicienda nimia Antiquitatis veneratio, „ omnia majori extollens gradu, quae antiquitatis situ obducta squalent; „ extirpandum praejudicium auctoritatis, certis Viris magnis auctoritatem „ ob solam nominis famam vel dignitatem adscribens." — Sed audite contra, quae *Diatribes de Aristoxeno* cunctos, juvenes et senes, vos moneat Auctor. Quum nos " fallaci Peripateticorum, πολυιςοϱίαν adfectantium, „ Aristoxeni inter alios, auctoritate deceptos dixissemus Historiae Philosophi„ cae Scriptores, maxime Diogenem Laërtium," *errantes* in viam reduxit hoc modo.

SECTIO II. §. 11.

" Dici (6) vix potest, quanta nobis facta sit jactura deperditis illorum „ Scriptorum operibus, qui, ex Aristotelis, summi Philosophi, disciplinâ „ profecti, plurimas doctrinarum partes literarum monumentis conse„ crarunt. Quis enim non admiratur *Theophrasti* ingenium, qui *divi„ nitate loquendi* nomen invenerit? Quis ipsius scripta non desiderat, si „ in memoriam sibi revocaverit Ciceronis de ipso judicium? Quis *Dicae„ archum* magni non aestimat, quem ille princeps Romanae Antiquitatis „ Philosophus *delicias suas* appellare haud dubitavit? Aut cui aequo et „ idoneo literarum humanarum aestimatori non pergratum esset, si cum „ eo communicaretur nuncius de repertis *Aristoxeni* operibus, in quo„ rum fragmentis summa doctrinae copia elucet? *Gravi ergo in errore „ versari* mihi videntur, qui aut *praejudicatâ opinione*, aut nimio alio-

Accusatio e Diatribe Aristoxeneâ prolata.

(5) In Diss. Praelim. *Hist. Crit. Philos.* pag. XII.
(6) Cap. III. §. 27. pag. 94

Sectio II. §. 11.

,, rum Philosophorum amore capti, *auctoritatem Peripateticorum in* ,, *dubium vocare et labefactare conantur.* Imo potius sic existimo, vel ,, *maximam illorum esse auctoritatem*, summâque diligentiâ operum ,, eorum fragmenta esse colligenda; neque video, si quis integra ipsorum ,, scripta non desiderat, quaenam profecto sit desideraturus." ——

Cum M. olim Pinarius Rusca Legem ferret Annalem, dissuasor M. Servilius (7), *dic mihi,* inquit, *M. Pinari, num, si contra te dixero, mihi male dicturus es?* — *Ut sementem feceris, ita metes,* respondit ille. —— Equidem, *gravis erroris praejudicataeve opinionis* accusatus, messem tamen, sementi parem, referre nolim, ne vel ipse videar contra me dicenti male dicere: Sunt quidem *personae convenientia cuique,* quae neglexisse aut inverecundi animi ingenium produnt, aut morum imperitiam et rusticam asperitatem: Sed iniquum et durum memet censerem, si Scriptori tum juveni, praeter imprudentiae culpam, quidquam vitio darem, qui quantum quis in istâ aetate, alienae saepe voluntatis suo cum periculo minister, auctoritati tribuat, pulchre noverim. Odiosum certe in hisce literis nihil mihi magis videtur, quam quae Chrysippo τῷ φρονηματίᾳ erat indoles, qui omnium se doctorum quum excellentissimum existimaret, atque ita apud discipulos loqueretur, Homericus de eo versus, vulgari velut proverbio, usurpatus est:

Οἶος πέπνυται, τοὶ δ' ὡς σκιαὶ ἀΐσσουσι.

At vero existimaverit et quondam Chrysippus,

—— —— *nullum esse sine se Porticum*;

existiment id alii, nos, qua semel instituimus, viâ ad finem porro contendemus;

Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν, —

disjectis tamen prius et remotis impedimentis, quae ex descriptâ modo accusatione conclusionem disputationis nostrae remoraturae possent videri.

Accusationi respondetur.

Ac primo quidem, si *inter Peripateticos, πολυιστορίαν adfectantes*, diximus fuisse, quorum *fallax auctoritas Historiae Philosophicae Auctores deceperit,* quis sine calumniâ id tanquam *de omnibus omnino Peripateticis* scriptum

(7) Cic. *de Orat.* Lib. II. Cap. 65.

accipiat? Quid, --- si Heraclidem Ponticum, si Hieronymum Rhodium, si Satyrum, si Hermippum falsa tradidisse demonstrem, an propterea injurius sim in Theophrastum, in Demetrium Phaléreum, in Phaniam? Quid, — si Aristobulum Peripateticum (inter istos πολυίςορας sanequam haud postremum) hominem fuisse mendacissimum simul et impudentissimum, qui nefariâ fraude Iudaïcam Religionem apud Regem Ptolemaeum defendere sit ausus, luculenter probaverit Valckenaerius meus, Vir maximus, an propterea aut Lycéo iniquus fuerit, aut universae hoc Philosophiae Aristotelicae proprium fuisse vitium putarit? Quid, --- si ipsi nos, Cicerone teste, Hieronymum Rhodium turpissimae malitiae redarguamus, --- si Aristoxenum malignae itidem indolis virum, prolatis in medium testimoniis et documentis, mox appellemus, idcircone, *nimio aliorum Philosophorum amore capti*, caeterorum Peripateticorum *auctoritatem in dubium vocare et labefactare conamur*, siquidem, istis judicibus, *sectae* alicujus aut *scholae* debet esse *auctoritas*, non ipsius *veritatis*. Quin tam procul absumus ab istâ seu *praejudicatâ opinione* seu injuriâ, ut qui ingenue et aperte Satyri, Hieronymi Rhodii, atque Aristoxeni increpamus malitiam et fraudem, malevolam praesertim in Socratem obtrectationem, iidem et Theophrastum impense amemus, et Demetrii Phalérei et Phaniae fidem grati agnoscamus. — Fidem, inquam, horum Aristotelicorum agnoscimus, sive Historiam Philosophicam universe spectemus, sive proprie magis Socratis nostri mores et fata. Nam, quum Aristoxenus, Hieronymus Rhodius, Satyrus, eorum plerumque factorum testes a Veteribus appellentur, quae probro sint aliis Philosophis aut Viris illustribus; quum Socratem inprimis, posito omni pudore, sint calumniati; --- tres priores, quos dicebamus, Triumviri Peripatetici contra non nisi honesta, laudata, praeclara, ad posteros propagasse reperientur: Et Demetrius quidem Phaléreus Socratis defensionem scripto ita suscepit, ut civium suorum amentiam, ingratumque erga Philosophos animum, haud dissimularit (8): Phanias vero

Sectio II. §. 11.

Demetrius Phaléreus Socratis defensor.

(8) Conjecturâ hoc colligimus ex tribus locis, quibus ista Demetrii Phalérei *pro Socrate Apologia* a Diogene Laërtio laudatur. Priore loco, Lib. IX. §. 15. Laërtius ex illâ narrat, Heraclitum Athenas non adiisse, quod Athenienses contemneret; altero loco, Lib. IX. §. 37. idem factum, eâdem Apologiâ teste, de Democrito refert; tertio denique, Lib. IX. §. 57. scribit, a Demetrio Phaléreo in *Apologiâ Socratis* traditum fuisse, " tantam Atheniensium „ erga Diogenem Apolloniatem, Virum rerum naturalium cognitione illustrem, invidiam „ fuisse, ut in magnum vitae discrimen adduceretur." Igitur suspicari licet, haec a Demetrio Phaléreo scripta, cum in eo esset, ut Atheniensium injuriosam erga Philosophos levitatem, injustam inprimis et facinorosam Socratis condemnationem, pro meritis perstringeret et exagitaret.

SECTIO II. §. 11.

Phanias Socraticis aequus.

Eresius *de Socraticis* sic egit, ut nihil turpe de iis, nihil indecorum aut ridiculum, ab illo relatum apud Veteres inveniatur, qui praeceptorem suum et civem Theophrastum noverat non adeo deditum Lycéo aut Aristoteli fuisse, ut aliam scholam adspernaretur vel infamaret, quin potius Platonis tam fuisse studiosum, ut ejus *Politicorum* Libros (9), breviori notatione contractos, utilitatis publicae caussâ, vulgaret.

Idcirco, si de nonnullis ex scholâ Peripateticâ Philosophis minus bene sentimus, quid propterea de reliquorum meritis aut famâ decedat? Sin displicet, πολυΐςορας appellari, quorum *eruditionem, multas literas*, uberem doctrinae copiam et Cicero laudet et alii celebrarint, rogatos velimus censores, an illâ magnae eruditionis, doctrinae copiosae ac variae, πολυγραφίας denique laude fides quoque Scriptoris et accurata rerum cognitio contineatur? Profecto, si exemplo probandum foret, praeclaras hasce, si cum ingenio conjunctae sint, dotes, pure quoque et diserte scribendi peritiam minime vulgarem, consistere posse cum adsentandi et calumniandi studio, cum malâ denique fide in describendâ Viri meritis praeclari Vitâ, exemplum ejusmodi an adeo e longinquo foret petendum? *Luculentum hominem* (10) et *delicias suas* (11) Dicaearchum CICERO appellat, *doctos* etiam et *suaves* Aristoxenum atque Hieronymum Rhodium: Neque nos summae auctoritati refragamur; sed vel elegantiâ et suavitate, vel doctrinae et literarum copiâ, dotes, quae Viro magno propriae esse debent, absolvi neutiquam existimamus, multo minus illibatam Viri boni Scriptorisque fide digni famam iis contineri. Non alio autem nisi eruditionis variaeque cognitionis nomine sive Aristotelicos universe, sive Aristoxenum Rhodiumque Hieronymum, aut a Tullio aut ab aliis passim celebrari contendere ausimus. Quin (ut candidi simus et aperti) ne refugimus quidem crimen (si id crimen est) sententiae Peripateticis adversae, qua censemus, illam πολυμαθείαν seu πολυιςορίαν, quae Lycéo velut peculiaris fuit, multum contulisse ad detrimentum verae ac germanae rerum scientiae, ad labefactandam praesertim ac conturbandam fidelem et certam Historiae Philosophicae cognitionem. Quae supra de eâ Quaestione, post HEYNIUM V. Cl., pluribus disputavimus, hîc non sunt repetenda, cum semel dixisse satis sit, quanto magis Aristotelicorum scientia multiformis fuerit, quanto plurium rerum seu

Quatenus laudanda eruditio?

(9) Inter Theophrasti scripta DIOGEN. LAËRT. Lib. V. Segm. 43. refert Ἐπιτομὴν τῆς Πλάτωνος Πολιτείας, duobus libris.

(10) *Ad Att.* Lib. II. Ep. 12.

(11) *Tusc. Disp.* Lib. I. Cap. 31.

naturalium, seu moralium, studium appetiverint, tanto magis praecipitem ad errores et vitia illorum disciplinam fuisse, praecipue si consideremus eam in minimis aeque atque in magnis, in antiquis aeque ac recentioribus, in remotis, peregrinis, mirabilibus, aeque atque in praesentibus, patriis et consuetis, in egregiis denique facinoribus ac virtutibus laudandis aeque atque in narrandis probris et flagitiis fuisse versatam. Imo consentientem nobis alio loco habere videmur *Aristoxenéae Diatribes* Scriptorem: Quippe, cum ἀγέλασίαν Aristoxeni, ab Aeliano memoratam, "*ex eâdem fabellarum officinâ*," qua risus Democriti atque ploratus Heracliti (12), profectam arbitratur, quae, quaeso, ista est *fabellarum officina*, nisi Historia Philosophica, levitate, credulitate, fraudibus Polyhistorum, qui de eâ commentati sunt, corrupta atque adulterata; — eorum, scilicet, Polyhistorum, qui aureum nobis Pythagorae femur, voluntariam Democriti caecitatem, fimum Heracliti bubulum, ἀλεξανέμου Empedoclis in ventos potentiam, tot alia denique miracula seu potius portenta ac ludibria, duplex inter haec Socratis cubile, confinxerunt?

SECTIO II. §. 11.

In fabellarum officinam corrupta Historia Philosophica.

§. XII. *Eadem defensio urgetur et concluditur. — Suum auctoritati* DIOGENIS LAËRTII *et* ATHENAEI *pretium statuitur.*

§. 12. *Ad* Diatriben Aristoxenéam *ulterior responsio.*

"Cui tamen (inquit *Diatribes Aristoxenéae* Scriptor) aequo et idoneo literarum humanarum aestimatori non pergratum esset, si cum eo communicaretur nuncius de repertis Dicaearchi, Aristoxeni, aliorum Peripateticorum operibus, in quorum fragmentis summa doctrinae copia elucet." Nobis certe gratissimus nuncius accideret, etiamsi fortassis vel nullum inter idoneos literarum humanarum aestimatores locum occupare videamur. —— Sed quid deinceps? — quia ipsa antiquitas monumentis venerationem facit; — quia omnium eorum, qui literas amant, plurimi interest, ut Graeci sermonis augeantur divitiae, increscant copiae Philosophicae, proferantur veteris eruditionis pomoeria, idcircone antiquorum Scriptorum desiderium, cunctis viris doctis commune, omnem ab iisdem censuram prohibebit, auctoritatem eorum sacram declarabit, *nullis dubiis tentandam, nullis argumentis convellendam?* Sin (quod piaculum insanis hisce Antiquitatis admiratoribus videatur) *auctoritatem eorum* (quae *maxima* est, scilicet!) *in dubium quis vocet atque la-*

(12) *Diatribe de Aristoxeno* pag. 15.

SECTIO II. §. 12. *befactet,* an is protinus deperdita illorum scripta non desideret, reperta in lucem edi non ex animo gaudeat? Quae haec est argumentatio, quod istud judicium, nisi cupiditatis et iracundiae? Nos quidem, et quicunque eruditionem bonasque literas cum bonâ mente conjungere cupimus, qualescunque ex veterum Scriptorum naufragio tabulas laeti accipimus, studiosi expolimus, solliciti servamus: Sed liberam tamen nobis atque integram vindicamus facultatem et de ipsis Scriptoribus, et de eorum fide, et de rebus quas posteris tradiderunt, sic existimandi, ut recta fert ratio, prudens poscit intelligentia, incorruptus jubet veritatis sensus et amor: Quas inter res, posteris traditas, si sint inutiles et vanae, si turpes et indecorae, si dubiae, incertae, confictae, falsae, — et Auctorem reprehendimus, et errores refellimus, et vitia in apertâ luce collocamus: Neque, dum officium facimus, nos aut ulla deterret *auctoritas*, aut variae copiosaeque doctrinae retinet celebratio, aut suavis et voluptariae eruditionis deliciae dissuadent. ISAACO quidem CASAUBONO opinamur neminem magis *aequum*, magis *idoneum*, exstitisse *literarum humanarum aestimatorem;* et eundem tamen Casaubonum noxiae atque inutilis πολυμαθείας gravissimum reperimus censorem, his (1) verbis: " Finis

CASAUBONI *de πολυμαθεία judicium.*

„ hujus scriptionis, quem ob oculos Athenaeus habuit, est πολυμάθεια, et illa „ rerum omnium antiquarum cognitio, quae et per se expetitur, et ad intel- „ ligendos veteres Scriptores sane quam necessaria est, maxime autem Co- „ micos; ad quorum lectionem totum hoc opus εἰσαγωγὴν quamdam esse et „ παρασκευὴν ubertim docuimus suo loco: Ibi satis *detestati sumus veterum* „ *Eruditorum hanc lasciviam sive petulantiam, aut immanem certe* „ περιεργίαν, qui bonas horas talibus sermonibus perdere non erubuerint. Non „ est profecto viri sapientis, doctrinae et πολυαναγνωσίας laudem, pudoris vel „ leviculo damno, nedum jacturâ, ire sibi adscitum. Verum haec reprehen- „ dere quidem possumus, sed mutare non possumus."

Igitur, quum *immanem* (uti vocat) περιεργίαν *veterum Eruditorum* severe aestimat ac pro meritis reprehendit, an propterea utilem, sanam, castamque πολυμαθείαν contemsit Casaubonus atque exosus est? an suum, aliqua quamvis parte mutilum, Athenaeum editum noluit, imo (quod plus est) emendatum noluit et egregie exornatum? Ipsi nos quid de Polyhistore isto Naucratita sentiamus, plus semel libere et ex animo (ut ingenuos decet,) quid item de Diogene Laërtio, sumus professi: Sed an judicium nostrum eo detorquendum

(1) *Animadv. ad Athen.* Lib. XIII. Cap. 1.

quendum et in calumniam vertendum est, ut superstites utriusque libros e communi naufragio evasisse pro magno emolumento ac fortunae beneficio non habeamus? contra ea arbitrati, ATHENAEUM ditissimum esse, cum IOANNE STOBAEO, bonarum Literarum thesaurum, qui aureas nobis vel auro rependendas venerandae Antiquitatis lacinias conservaverint; sine DIOGENE autem LAËRTIO si fuisset, insignem *Historiae Philosophicae* partem ad nos nunquam fuisse perventuram. Uterque, et Athenaeus et Laërtius, illius Historiae fons est praecipuus, imo in hac antiquorum Monumentorum penuriâ ac strage propemodum unicus; et tamen fontes hosce minus esse limpidos, minus sinceros, nos, non soli, opinamur, sed viri existimarunt ab omni aetate doctissimi. Nuper admodum Scriptor *de Meretricibus Atticis*, cujus hoc de argumento Commentarii in WIELANDII *Muséo Attico* (2) Germanice edito reperiuntur, dum Athenaeum commentationis suae auctorem praecipuum sequitur, fatetur tamen, " eum in toto opere talem se praestitisse, qui alienos labores compilaret potius, quam qui diligentem factorum rerumque gestarum indagatorem ageret: Quocirca (inquit) quaecunque Athenaeus apud auctores suos contraria ac repugnantia inter se repperit, securus qualiacunque essent, retulit, conciliandarum vero harum discordiarum, aut alicujus ex ipso dissensu percipiendae utilitatis, curam aliis reliquit." — Sed majorem etiam auctoritatem praeclarus ipse Athenaei sospitator et interpres habere videatur. Quando in eo est CASAUBONUS, ut Naucratitam nostrum odio suo in Socratem, cujus militiam negat, atque in Platonem, cujus fidem convellere nititur, satisfacientem refellat (3), " credamus, inquit, et nos tantis Auctoribus, potius quam uni Athenaeo, cujus equidem *diligentiam in nonnullis, judicium in multis* soleo desiderare;" neque id temere, cum Vir maximus " multis locis probatum satis superque haberet, saepe Scriptorem hunc peccare graviter, dum suorum Excerptorum fidem sequitur, neque ad fontes ipsos (4) adit." —

SECTIO II. §. 12.

Justa ATHENAEI *ac* DIOGENIS LAËRTII *aestimatio.*

CASAUBONI *de* Athenaeo *judicium.*

(2) *Attisches Muséum*, *herausgegeben von* C. M. WIELAND, III. Bandes 2 Heft, pag. 222. Verba Germanica haec sunt: " *Athenaeus* zeigt sich durch sein ganzes Werk nur als „ Kompilator, nirgends als Geschichtforscher. Die Widersprüche, die er in seinen Quel- „ len fand, zu vereinigen oder zu benutzen, überliess er andern; er selbst zeigt sich ganz „ unbekümmert darum."

(3) *Animadv. in Athen.* Lib. V. Cap. 15. pag. 375. 35.

(4) Ibid. pag. 377. 40. Alibi vir idem, veri haud minus tenax, quam judicio ac doctrinâ excellens, " qui factum sit (inquit) nescio, quod factum tamen scio, ut locis prope infinitis „ verba Aristotelis et Theophrasti describens Athenaeus erraverit. Equidem verum censeo,

SECTIO II. §. 12. Haec autem, si de Athenaeo vere dicta sunt, ecquis judicium exactius, accuratiorem diligentiam in Diogene Laërtio agnoscat? Viri cujusdam, suâ aetate Graecarum Literarum peritissimi, severam certe de illo Scriptore sententiam refert FRANCISCUS PATRICIUS (5), " Diogenem Laërtium, qui ,, omnibus ignoretur, quis homo fuerit, quo tempore et qua fortunâ vixerit, ,, videri eam *Philosophorum Historiam* et mancam et multis locis hiulcam ,, scripsisse, non quo eorum dignitatem illustraret, aut posteros eâ doctrinâ ,, juvaret, sed ut haberet quo loco elegantia illa sua vel Epigrammata vel ,, Epitaphia insereret." Quod judicium quamvis in medio relinquat Patricius, et licet nos ipsi illud certe haud ab omni parte aequum censeamus, valebit tamen apud omnes, ni fallimur, ejusdem, quem modo laudabamus,

CASAUBONI *de* Diogene Laërtio *sententia.*

ISAACI CASAUBONI sententia: Namque, etiamsi memoratam modo opinionem merito rejiciat, " eo nempe potissimum nomine institutum id opus fuisse, ,, ut sua poëmata nobis hac ratione Diogenes obtruderet," haud dissimulat tamen, " quam (6) saepe in illo scribendo vacillans memoria Laërtio fuerit ,, fraudi, aut otium judiciumve ad ea digerenda defuerit, quae satis confuse ,, congesserat:" Et Diogenem huncce, aeque atque Athenaeum, nihilo minus dignum judicavit Vir excellentissimus, cui curas suas diligenter impenderet. Quis peritior Historiae Philosophicae arbiter quam PETRUS BAYLIUS?

Item PETRI BAYLII.

Et ille quoque existimat, Diogenis in ratiocinando majorem non esse quam in rebus narrandis accurationem (7); ejusque supinam mox accusat negligentiam aut parum certam, turbatis temporum rationibus, (8) fidem. — Nostrâ denique aetate, quis de Historiâ Philosophicâ, qualem Laërtius reliquit,

Et IGNATII ROSSII.

melius meritus est quam IGNATIUS ROSSIUS, qui illum eximiis curis in *Commentationibus Laërtianis* ornavit? Hic, dum Scriptorem suum saepius defendit ac commode interpretatur, temperare tamen sibi non potuit, quin

,, hominem eruditissimum non ex ipsis Auctoribus, sed ex suis Adversariis et Eclogis, ,, plerosque Auctorum, quos laudat, locos descripsisse." *Animadv. in Athen.* Lib. II. Cap. 20.

(5) *Discuss. Peripat.* Tomo I. Lib. 3. pag. 19.

(6) In Praefatione de *Diogene Laërtio* pag. 577. ed. Meibom.

(7) " *Cet Auteur n'ayant guères plus d'exactitude dans ses raisonnemens que dans ses ,, récits, on peut fort bien se tromper, en lui imputant les pensées, qui semblent ,, avoir la plus grande liaison avec ses phrases.*" BAYLE *Dictionn.* v. *Epicure*, Nota D. pag. 365. col. 2. versus finem.

(8) " *Ceux qui rapportent le pronom αὐτοῦ à Epicure, doivent convenir, que Diogène ,, Laërce est coupable d'une insigne fausseté.* Ibid. pag. 366. init.

censuram in ipsum his verbis exerceret (9): " Sed negligens est et obscurus „ in scribendo Laërtius; istiusque negligentiae atque obscuritatis exempla „ sane quam plura, quicunque hoc ejus opus perlegerit, in eodem exstare „ videbit." SECTIO II. §. 12.

Talia igitur de Athenaeo et Diogene Laërtio, qui *Historiae Philosophicae* auctores praecipui et habentur et sunt, Virorum magnorum atque eruditissimorum, diversis saeculis, (nam ex singulis aetatibus unum ad nostra usque tempora testem produximus) fuerunt judicia. Quis tamen ex eorum numero alterutrum horum Scriptorum nobis periisse voluisset, aut deperditos illorum Libros non desiderasset? Sed, si utrumque judicio parum exacto, diligentiâ etiam minori fuisse adfirment, *auctoritatemque eorum in dubium adeo vocare et labefactare conentur,* num propterea *gravi in errore versari* sunt dicendi, aut transversi *praejudicatâ opinione* rapi videantur? Vel denique an penes aequos ac cordatos rerum existimatores id efficiet Antiquitatis veneratio, Historiae Philosophicae praesertim qui debetur honos, ut ne ulla in mentibus nostris oriatur vel resideat suspicio, conficta esse et commentitia, quae tanquam certa et explorata a Scriptoribus tradita sunt saeculi Ptolemaïci, quos deinceps Plutarchus, Laërtius, Athenaeus, Aelianus sunt secuti? An horrore quodam perfundar, si, Diogenem pervolvens, plerasque Philosophorum, quas refert, Epistolas ac Testamenti tabulas suppositas esse, intimo velut quodam veri sensu commotus, mihi persuadeam, — ὑποβολιμαίους nimirum Polyhistorum, — Philosophorum, dicam, an Grammaticorum — foetus? Verum, ne sacer iste miserum invadat horror, facit IOSEPHI-IUSTI SCALIGERI, Viri omnium maximi, consensus: Namque et is ad Everhardum Vorstium quondam suum scribebat (10): " De Epistolis Hippocratis quod ex me quaeris, „ antiquas eas scio esse, ut Democriti, Solonis, Thaletis, Pittaci Mitylenaei, „ quae apud *Laërtium* leguntur. Sed, quia omnes illas, quae illis Philosophis „ a Laërtio attribuuntur, multis argumentis confictas a Graecis, quibus „ nunquam mentiendi voluntas aut facultas defuit, probare possum, ideo „ cur et de istis Hippocratéis dubitem, justissima caussa est. Et certe, si „ animi nervos intendere velim, facile non esse Hippocratis vincam. Uni- „ cuique judicium suum relinquimus: Tutius tamen est de eo dubitare, quod

Plura apud Diogenem Laërtium *conficta et falsa.*

I. I. SCALIGERI *de iis judicium.*

(9) In *Commentationibus Laërtianis* pag. 248. Diogenis Laërtii in citandis testibus inconstantiam, quae ei haud infrequens sit, ipsa accusat *Diatribe Aristoxenéa* Cap. II. §. 24. pag. 91.

(10) SCALIG. Epist. Lib. IV. Ep. 106.

SECTIO II. §. 12.

„ facilius est confutare quam asserere." — Quod Scaligeri effatum nescio an quisquam in dubium magis vocet quam ejusdem de Aristéa, de Hecataeo, de Pseudo-Sibyllinis Oraculis judicium. Equidem nulla magis in re, quam in talibus, divinum et verax Heroïs literarii ingenium agnosco, quod idem propemodum ingenium obtigit RICHARDO BENTLEJO. Atque is adeo magnâ ex parte probavit, quod Scaliger tantum adfirmaverat; luculenterque demonstravit, Graecis nunquam in confingendis Antiquitatis monumentis mentiendi voluntatem defuisse aut facultatem, *personas dum demeret minutis istis ostentatoribus, qui a tanto inde tempore heroum habitu incesserant* (11). Quae omnia si quis secum argumenta reputet, atque consideret, quam incerta, quam lubrica, quam etiam falsa aliquando fuerit auctoritas eorum, qui in *Historiâ Philosophicâ* testes primarii habentur; quam parum limpidi esse debuerint fontes, quorum aquae fictionum ac fraudum sordibus fuerint turbatae; quam denique impuri inde sint derivati et per sequentia saecula ducti rivuli, nae is cum Scriptore harum rerum peritissimo, CHRISTOPHORO MEINERS, juniores moneat, " exemplo sibi caveant (12), quam parum sit „ fidendum iis veterum Philosophorum dictis atque factis, quae tanquam „ certa et explorata etiam a *Cicerone* et *Plutarcho* referuntur, quantoque „ magis diffidendum sit adeo *Senecae, Diogeni, Athenaeo,* aut etiam *Ae-* „ *liano,* si quid ejusmodi apud illos reperiatur!

Ut et R. Bentleji.

CHRISTOPH. MEINERSII *monitum.*

§. 13. *Testium de Digamiâ Socraticâ ingenium ac fides.*

§. XIII. ARISTOXENI, HIERONYMI RHODII, *ac* SATYRI, *qui de* Digamiâ Socraticâ *testes sunt praecipui, ingenium ac fides ad examen revocantur.*

Atque haec quidem paulo copiosius disputavimus, hominumque in literis principum et doctissimorum sententiis ac testimoniis probavimus, ut ingenuam in judicando de Scriptoribus ac rebus antiquis libertatem, qua sine stu-

(11) Verba sunt R. BENTLEJI in *Epistolâ ad Wottonum* ante Dissert. *de Epistolis Themisto-* „ *clis*, pag. 53. ed. Lennep.

(12) MEINERS *Geschichte der Wissenschaften* Tom. II. pag. 361. in Nota. Germanica haec sunt verba: " Man sieht aus diesem Beyspielen, wie wenig man sich auf die Aechtheit „ der Sprüche und Anekdoten verlassen könne, die selbst im Cicero und Plutarch enthal- „ ten sind, und wie viel mistrauischer man also gegen die im Seneca, Diogenes, Athe- „ naeus, oder gar Aelian, seyn müsse."

Sectio II. §. 13.

dium in literis collocatum servitus est liberali homine indigna, vindicaremus a superstitiosâ istâ sollicitudine et miseriâ, quam imbecilli animi facile concipiunt, suo omnia modo metientes, quae vero ab erectioris ingenii viris justa plerumque habetur caussa, ut ipsas literas contemnant. — Superest, ut videamus de *maximâ* illa *auctoritate* Aristoxeni, Hieronymi Rhodii, ac reliquorum *Peripateticorum*, propter quam cuncta *eorum operum fragmenta summâ diligentiâ sint colligenda.* Hîc vero, ut de omnibus ac singulis agamus Peripateticae sectae Philosophis, nemo neque a nobis exspectet, neque post ea, quae superius disputata sunt, postulet; nec denique fama Socratis, quam defendimus, exigit aut flagitat, quando inter ipsos Peripateticos parens Philosophiae laudatores invénit et virtutum suarum aequos existimatores. Cum solis illius calumniatoribus e Lycéo profectis, quibus fabula de *Digamiâ Socratis* debetur, nobis res est, quos cum antea viderimus Triumviros esse, Aristoxenum, Hieronymum Rhodium, Satyrum, agedum, qui qualesque animo atque ingenio fuerint, qua auctoritate, quo recti ac veri amore, qua fide, citatis ex Antiquitate testibus, — haud injucundam controversiam, disceptemus: Quae quidem controversia eo minus aliena ab hac nostrâ caussâ videri potest, quod *defensoris proprius locus est, cum accusatorem* (1) *calumniari criminatur.* Quando autem rebus ipsis factisque manifestum est, (uti antea probavimus,) neque geminam eodem tempore a Socrate ductam uxorem, nec legitimae conjugi pellicem inductam fuisse; quando porro constat, hanc fabulam ab Aristoxeno potissimum, Hieronymo item Rhodio, ac Satyro esse profectam, — hîc quam maxime demonstrandum nobis erit, tres, quos modo dicebamus, Polyhistoras Peripateticos tales fuisse indole, studiis, ac moribus, ut calumniae crimen in eos cadere potuerit; si autem potuerit, quum insuper rerum adsint testimonia, Aristoxenum praesertim, Hieronymi Rhodii praeceptorem ac familiarem, Socratis famam quovis dedecore ac turpitudine commaculasse, summo jure conficere inde videbimur, istam de *Digamiâ Socraticâ Fabulam* (ut jam olim a Bentlejo judicatum est) *meram esse calumniam*, hanc vero calumniam Triumviris istis, ut primis auctoribus, tribuendam.

Juncti in testimonio Triumviri Peripatetici.

Triumviros autem quum appellamus tres hosce, ex scholâ Peripateticâ profectos, Philosophos, dicam, an Philologos, haud sine ratione id facere videbimur, si cognitum sit, illos eâdem in re exemplum aut testes saepe simul

(1) Auctor *Rhetor. ad Herennium* Lib. II. Cap. 6.

Sectio II. §. 13.

laudari vel excitari, tum etiam ingenio, disciplinâ, studiis fuisse conjunctos ac propemodum (2) pares. Consociatâ eorum auctoritate in hac caussâ nostrâ Socraticâ usos Plutarchum, Diogenem Laërtium, et Athenaeum supra vidimus. Pariter tres istos simul testes adhibet vetus Auctor τοῦ γένους Σοφοκλέους καὶ βίου, in uno eodemque argumento Satyrum (3) ter laudans, Aristoxenum bis, Hieronymum semel. Quam frequenter etiam Aristoxenus et Hieronymus vel ad partes unâ vocentur vel refellantur a Cicerone, postea animadvertendi erit locus. Tertium, Satyrum, duobus reliquis juniorem, Tullius ignorasse videtur; sed hunc cum Aristoxeno conjungit itidem HIERONYMUS STRIDONENSIS (4) loco insigni, quem post VOSSIUM patrem (5) et JONSIUM (6) alii etiam (7) attulerunt. Haec Hieronymi sunt verba: " Fecerunt hoc [ut illustres literis viros ,, enumerarent] apud Graecos quidem Hermippus Peripateticus, Antigonus ,, Carystius, *Satyrus* doctus vir, et longe omnium doctissimus *Aristoxenus* ,, *Musicus*; apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus, et, ad cujus ,, nos exemplum vis provocare, Tranquillus." — Quo si Hieronymus loco Satyrum *doctum* appellat *virum*, Aristoxenum *longe omnium doctissimum*, neque nos huic laudationi intercedimus, neque tamen illam ad praesentem disceptationem quicquam facere existimamus, quippe, si quid in eâ laudatione esset, quod rationes nostras, Triumviris Peripateticis fidem et auctoritatem in testimonio derogantium, conturbaret, multo magis nostrae sententiae officeret

De illorum πολυμαθίᾳ.

(2) De Aristoxeno atque Hieronymo Rhodio id summo jure adfirmari potest, ita ut hic illius discipulus, amicus, assecla, imitator fuisse videatur. Satyrus, utroque aetate junior, utriusque tamen sic pressit vestigia, ut senem Hieronymum ipse in juventute magistrum habuisse probabili conjecturâ forsitan sit dicendus.

(3) Exstat haec *Vita Sophoclis* in fronte Editionum illius, praesertim *Brunckianae*.

(4) In Praefat. Libri *de Script. Ecclesiast.* (Tom. IV. Parte II. Opp. col. 97. 98.) " *Hortaris, ,, Dexter, ut Tranquillum sequens Ecclesiasticos Scriptores in ordinem digeram, et ,, quod ille in enumerandis gentilium literarum Viris fecit illustribus, id ego in ,, nostris faciam, id est, ut, a passione Christi usque ad decimum quartum Theo- ,, dosii Imperatoris annum, omnes, qui de Scripturis sanctis memoriae aliquid ,, prodiderunt, tibi breviter exponam. Fecerunt quidem hoc idem apud Graecos ,, Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, et longe ,, omnium doctissimus Aristoxenus Musicus: Apud Latinos autem Varro, Santra, ,, Nepos, Hyginus, et, ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus.*"

(5) *De Histor. Graecis* Lib. III. pag. 410.

(6) *De Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 14. §. 3.

(7) Vid. *Diatriben* MAHNIANAM *de Aristoxeno* Cap. III. §. 1. pag. 23.

judicium Ciceronis, qui *doctum hominem et suavem* Hieronymum Rhodium (8) appellat, eandemque *doctrinae* laudem Aristoxeno tribuit, loco (9) classico: *Dicaearchum, inquit, cum Aristoxeno, aequali et condiscipulo suo, doctos sane homines, omittamus.* Namque, uti Dicaearchus et Aristoxenus, ex eâdem scholâ profecti, eâdem disciplinâ eruditi, eandem de animâ cum corpore moriturâ sententiam professi, in eodem studiorum genere versati, eâdem variae ac multiplicis scientiae cupiditate ducti, eandem πολυγραφίας laudem in copulandâ cum literis artibusque Philosophiâ consecuti sunt, sic eorum nomina apud Veteres, Ciceronem (10) praesertim, inter se proxima plerumque reperiuntur, etiam tanquam illorum, qui usu atque (11) epistolarum commercio essent conjuncti. — Et haec tamen praeconia me neutiquam dimovent ab eâ opinione, quam universe de πολυϊδρείᾳ istâ et quadam velut ἐγκυκλοπαιδείᾳ, sectae Aristotelicae propriâ, supra (12) expromsimus. Sive enim Hipponis Athei, sive Timonis Sillographi sit dictum, vere ab alterutro judicatum est, justae cognitionis laudem, scientiaeque ad vitam ac mores utilis, haud mereri (13) istam

Sectio II. §. 13.

Quid illa ad laudem faciat?

Πουλυμαθημοσύνην, τῆς οὐ κενεώτερον ἄλλο.

Neque minus cum ratione Aristippus homini, qui variâ ac multiplici se jactabat doctrinâ, respondit: " Quemadmodum illi, qui plurimis se ingurgitant cibis et athletice sunt voraces, propterea firmiori valetudine non utuntur iis, qui alimentorum capiunt quantum satis est, sic, non qui multiplici ac variâ, sed qui utili lectione mentem suam instruxit, studiosus habendus est ac doctrinâ insignis (14)." Quae tamen non ita accipienda sunt, quasi culpanda omnino sit illa πολυμάθεια, quae quam plurimis de sectâ Aristotelicâ Philologis, Aristoxeno etiam ac Satyro, famam peperit *hominum doctorum:* Sed id solummodo volumus, tantum saepius accurationi

(8) *De Finib.* Lib. V. Cap. 5.

(9) *Tusc. Disput.* Lib. I. Cap. 18.

(10) *Tusc. Disp.* Lib I. Cap. 10. *ad Att.* Lib. VIII. Ep. 4.

(11) Cic. *ad Att.* Lib. XIII. Ep. 32.

(12) Hujus Sectionis §. VIII.

(13) Vid. Athenaeum Lib. XIII. pag. 610. b.

(14) Σεμνυνομένου τινὸς ἐπὶ πολυμαθίᾳ, ἔφη: Ὥσπερ οὐχ οἱ τὰ πλεῖστα ἐσθίοντες καὶ γυμναζόμενοι ὑγιαίνουσι μᾶλλον τῶν τὰ δέοντα προσφερομένων, οὕτως οὐχ οἱ πολλὰ, ἀλλ' οἱ χρήσιμα ἀναγινώσκοντες, εἰσὶ σπουδαῖοι. Diogen. Laërt. Lib. II. Cap. 71.

Sectio II. §. 13. decedere, quantum accedit multitudini rerum variarum ac multiplicium, in quibus cursim cognoscendis colligendisque ista, quam dicimus, πολυιστορία sit versata. *Nusquam* quippe, uti aiebat Seneca (15), — *nusquam est, qui ubique est; et lectio multorum auctorum atque omnis generis voluminum aliquid vagum habet et instabile,* quando *animum distrahit librorum multitudo :* Unde evenit, ut celebratae hujus πολυμαθημοσύνης frequentes ejusmodi sint errores, qualem ipse erravit Aristoxenus (16), Platoni contra temporum rationem Historiaeque fidem tribuens, quae hic Lachetem atque Alcibiadem de se ipsis dicentes fecerat; ἀνιστορησίᾳ tanto minus decorâ, quanto magis ab illo, qui Platonis tempora attigerat, totumque se tradiderat literis ac Philosophiae, exspectandum omnino erat, summi Philosophi scripta non cursim ab eo fuisse lecta, neque, dum ipsam scriberet *Platonis Vitam,* oscitanter adhibita aut in testimonium vocata. — Verum de ingenio Aristoxeni sociorumque, Hieronymi Rhodii atque Satyri, universe dicamus, quasque ante iis tribuimus (17), haud sane laudandas animi dotes, levitatem, indolem morosam, maledicam, invidam, quin a fraude interdum minus alienam, pluribus demonstremus.

§. 14. *De Satyro Peripatetico.*

§. XIV. *De* Satyro Peripatetico, *Philosopho et Sophistá, agitur.*

De Satyro, quamvis duobus reliquis juniore, primum videamus, cujus haud multum apud Antiquos celebrati Scriptoris Peripatetici notitiam petere licet ab Ioanne-Gerardo Vossio (1), Ioanne Jonsio (2), Carolo Ducangio (3), Ioanne-Alberto Fabricio (4). Consuetudo, quae illi cum Aristarcho fuit, tum aetatem locumque quibus vixit, tum studia quibus delectatus est, satis demonstrat. Quandoquidem enim hic Grammaticorum princeps, ac Scholae Alexandrinae decus praecipuum, sub Ptolemaeo floruit Philometore,

(15) Epist. XI.

(16) In *Vitâ Platonis* apud Diog. Laërt. Lib. III. Segm. 8. collato Aeliano *Var. Hist.* Lib. VII. Cap. 14. ubi videndus omnino Perizonius. Adde Mahnii *Diatr. de Aristoxeno* Cap. II. §. 24. pag. 89.

(17) Sect. I. §. 16.

(1) *De Hist. Graecis* Lib. III. pag. 410.

(2) *De Script. Hist. Philos.* Lib. II. Cap. 11. §. 2.

(3) In Notis ad Zonarae *Annales* Lib. IV. pag. 12. ed. Paris. (Corp. Byzant. Tomo XI.)

(4) *Bibl. Graecae* Lib. III. Cap. 8. Vol. II. pag. 228. Lib. III. Cap. 11. ibid. pag. 310.

lometore, sequitur inde Satyrum centum ferme post Aristoxenum, atque octoginta circiter post Hieronymum Rhodium, annos vixisse, Alexandriae aetatem egisse, atque id genus studiorum fuisse secutum, quod in multis literis ac variâ diversarum rerum cognitione versabatur, quare et a Ptolemaeo Chenno, Hephaestionis seu patre seu praeceptore (5), in Libris περὶ τῆς εἰς πολυμάθειαν καινῆς ἱστορίας apud Photium (6), discimus, illum a perpetuâ et molestâ fortassis quaerendi ac percunctandi consuetudine τοῦ Ζῆτα cognomen tulisse. Peripateticorum disciplinam secutus hunc sectae quoque morem tenuit, ut Philosophiam, levem istam ac bellulam, calamistratâ comâ, unguentis affluentem, qualem Aristoxenus et Hieronymus Rhodius coluerant, conjungeret cum rerum vetustissimarum, fabularum etiam cognitione, — cum eâ denique πολυμαθείᾳ, cujus et vitia et dotes pluribus supra sumus persecuti. Igitur *Rerum antiquarum* conscripsit *Historias*, cujus operis insigne Fragmentum Theophilus Antiochenus (7) conservavit, atque ab illo desumtum Eudocia *Augusta* in suum transtulit *Violetum* (8). Cum autem, uti ex isto Fragmento adparet, a remotissimâ inde origine Satyrus *narrationes* suas, *fabulis* saepe mixtas, repeteret, factum inde est, ut *veteres fabulas collegisse* Dionysio Halicarnassensi (9) dicatur. Verum, quo in genere

Sectio II. §. 14.

Satyrus fabulosarum Historiarum scriptor.

(5) Vide Jonsium *de Script. Hist. Philos.* Lib. I. Cap. 2. §. 5.

(6) In *Bibliothecâ*, Ecl. CXC. pag. 251. Σάτυρος δ' ὁ Ἀριστάρχου γνώριμος Ζ ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ζητητικὸν αὐτοῦ.

(7) Lib. II. *ad Autolycum* Cap. 7.

(8) Exstat locus in Ἰωνιᾷ, editâ a Villoisono *Anecdot. Graecorum* Tomo I. pag. 366. —— Ducangius, qui idem illud Fragmentum ex inedito tum adhuc *Violeto* adfert ad Zonaram pag. 11. et 12. ed. Paris. (pag. 42. ed. Venetae) exstare id ignoravit, editumque jam esse in Theophili Antiocheni *ad Autolycum* Libris d. l. ubi eadem a principio ad finem Satyri verba reperiuntur. Id autem argumento mihi esse videtur, Eudociam, inter alios quos descripsit Auctores, ipsa quoque Theophili scripta in usus suos adhibuisse, quod contra existimabat Cl. Wyttenbachius *Bibl. Crit.* Vol. II. Parte 3. pag. 20. ratus Notam de Apollonide, ex pleniore, quam quod habemus, Suidae exemplari ab Eudocia desumtam esse, non ex ipsâ sede, quae tamen eodem fere loco est apud Theophilum Lib. II. *ad Autolycum* Cap. 6.

(9) *Antiq. Roman.* Lib. I. pag. 55. 10. Σάτυρος ὁ τοὺς ἀρχαίους μύθους συναγαγών. Nimirum ἀρχαῖοι μῦθοι nihil aliud mihi apud Dionysium Halicarnassensem esse videntur, nisi Historia a primâ usque origine atque adeo a temporibus fabulosis repetita, qualis ista erat narratio de Palladiis, de arcanis sacris ac Deorum imaginibus, e Samothraciâ in Asiam et Ilium translatis. Illam quippe narrationem Satyrus inceperat a dote, quam Minerva Chrysae dedisset, quum haec Dardano nuberet. Pariter, in Fragmento apud Theophilum, Satyrus,

SECTIO II. §. 14. literarum maxime est versatus, illud est, quod omnium ferme Peripateticorum commune et Lycéo propemodum solemne fuisse supra (10) observabamus, nempe ut in *Vitis virorum*, artibus belli ac pacis *illustrium*, conscribendis operam collocarent. Σάτυρος ὁ Περιπατητικὸς ἐν τοῖς Βίοις, — Σάτυρος ἐν τοῖς Βίοις, — apud ATHENAEUM (11) et DIOGENEM LAËRTIUM (12) haud raro ad testimonium vocatur. Neque ipsius tantum Satyri meminit Diogenes, sed HERACLIDIS etiam ἐν τῇ τοῦ Σατύρου βίων ἐπιτομῇ (13). Etenim, quae illo tempore homines incesserat cupido fortunam ac fata Regum, Ducum, Sapientum ac Philosophorum, per partes et singulatim cognoscendi, plurima non solum peperit volumina περὶ τῶν βίων, περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, περὶ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων, περὶ τῶν σοφῶν, διαδοχῶν, ac similia, sed horum voluminum ἐπιτομὰς, ut longae lectionis ipsorumque Scriptorum pervolutandorum compendium minus otiosis, curiosis tamen, οἱ πολύγραφοι ac πολυμαθεῖς, Peripatetici iidem ac Grammatici, Alexandrini plerique, facerent. Sic Heraclides ille, Sarapionis filius,

Satyrus Vitarum scriptor.

de δήμοις Alexandrinorum atque adeo de φυλῇ Dionysiacâ agens, Ptolemaeorum originem retulerat ad Bacchum seu Διόνυσον, ex cujus cum Altheâ nuptiis nata esset Deianira, Herculis uxor, etc. — Atque haec eo libentius referimus, quod ex istis exemplis pateat, quae ratio fuerit Satyri ac reliquorum id genus Polyhistorum Peripateticorum in condendâ Historiâ, sic ut fabulas veris miscerent, quem saeculi Ptolemaïci characterem a Cl. Heynio notatum supra vidimus. Igitur non opus est, ut, praeter *veras* Historias, *fabulosarum* quoque *Historiarum Libros* a Satyro conscriptos, cum Gerardo-Ioanne Vossio credamus, multo minus ut τῶν ἀρχαίων μύθων Auctorem diversum a Peripatetico fuisse cum illo suspicemur. PLUTARCHUS etiam, vel quisquis alius Libelli Auctor fuerit, in Satyro *Historicum* seu *Vitarum Scriptorem* magis agnovit quam Philosophum, quando eum συγγραφέα vocat in *Vitâ Demosthenis* inter *decem Oratores* Tomo II. Opp. pag. 847. A. Σάτυρος δὲ ὁ συγγραφεὺς τὸν κάλαμον πεφαρμάχθαι (φησὶ) ᾧ γράφειν ἤρξατο τὴν ἐπιστολὴν, οὗ γευσάμενον ἀποθανεῖν.

(10) Hujus Sectionis §. VIII.

(11) Lib. XII. pag. 541. C. ad partes vocatur Σάτυρος ὁ περιπατητικὸς ἱστορῶν ἐν τοῖς Βίοις. — Pariter Lib. VI. pag. 250. F. Σάτυρος ἐν τοῖς Βίοις. Eodem Libro pag. 248. F. Σάτυρος ἐν τῷ Φιλίππου βίῳ.

(12) Σάτυρος ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν Βίων testis citatur Lib. VI. Segm. 80. Σάτυρος ἐν τοῖς Βίοις Lib. II. Segm. 12. Lib. VIII. Segm. 53. 58. Quae de Lycurgo Ephoros instituente, et de Biante septem Sapientum primo, Satyrum scripsisse, idem refert Lib. I. Segm. 68. et 82, procul dubio ex iisdem *Vitarum Libris* petita sunt. Praeter illum de Socrate locum, qui nobis haec scribendi ansam dedit, Lib. II. Segm. 26. confer LAËRT. Lib. III. Segm. 8. Lib. VIII. Segm. 59. 60.

(13) Lib. VIII. Segm. 40. Lib. IX. Segm. 26.

de quo docte, ut solent, egerunt GERARDUS-IOANNES VOSSIUS (14) et IOANNES JONSIUS (15), tum Satyri, cui aetate fere aequalis fuit, Libros *de Vitis*, tum Sotionis Peripatetici *de Philosophorum Successionibus* Commentarios, in breviorem gyrum redegit. SECTIO II. §. 14.

Enimvero, si antea non sine caussâ a nobis dictum est, in istâ πολυμαθημοσύνῃ sanitatem ac robur vastae obesi corporis moli non semper paria fuisse, et salubritati doctrinae tantum haud raro decessisse, quantum accesserat externae cognitionis ubertati; nunc quoque quae de sectâ Aristotelicâ hunc in modum universe a nobis disputata sunt, de Satyro, — mox de Hieronymo Rhodio atque Aristoxeno, summâ cum ratione adfirmari queunt. —— Theophrastum imitatus, Satyrus *Characteres morum* exaravit, frigide sane ac stilo, qui *Rhetorem* ac *Sophistam* (16) magis deceat quam Philosophum sobrium et in ornandâ oratione temperantem, si quidem judicandum sit ex unico specimine, quod ATHENAEUS ad nos servavit: Atque adeo non possumus, quin CORAYI (17), Medici elegantissimi, judicium ipsis illuis verbis, quamvis com-

Satyrus frigidus Sophista,

Illius ex Characteribus *Fragmentum.*

(14) *De Hist. Graecis* Lib. I. Cap. 20. Lib. II. Cap. 7. Lib. III. pag. 411.

(15) *De Script. Hist. Philos.* Lib. II. Cap. 11. §. 3. Confer eundem Lib. II. Cap. 10. §. 1.

(16) Et reverâ Satyrum nomine *Sophistae* appellat sive Athenaeus, sive Stratonicus apud ATHENAEUM Lib. VIII. pag. 350. F. quem locum neque Vossio, neque Jonsio, neque cuiquam alii, de Satyro agenti, hactenus animadversum miramur: Minime autem miramur, hunc Satyrum eundem et Philosophum, et Historicum, et Grammaticum, et *Sophistam* fuisse; namque jam supra allata a nobis sunt HEYNII verba, verissime observantis, id frequens tunc temporis Alexandriae, quin Peripateticis illic versantibus velut proprium, fuisse. Caeterum haud ignoramus, alios etiam, istius praesertim aetatis, Philosophos, Anaxarchum e. gr. de quo mox agemus, *Sophistarum* nomen tulisse: Sed iis, qui dicendi artem cum studio rerum naturalium ac morum se conjungere profitebantur, quales fuerunt Aristotelici, ea appellatio magis fuit peculiaris.

(17) *Discours Préliminaire*, à la tête de l'Edition des *Caractéres de Théophraste* §. XLIV. pag. 62. " *Mais je ne connois personne après* Théophraste, *qui ait écrit un Traité* ,, *entier de* Caractères, *si ce n'est un certain* Satyrus, *Philosophe Peripatéticien*, *qui* ,, *paroît avoir vécu du tems de Ptolomée, surnommé Philopator. A en juger par* ,, *le mauvais goût, qui règne dans un échantillon, qu'Athénée nous a conservé, et* ,, *que je vais traduire, ces* Caractères *ne valoient pas à beaucoup près ceux de* ,, Théophraste. *Il s'agit de tracer le Portrait des Prodigues. Voici comment s'ex-* ,, *prime Satyrus:* " Ennemis de leur propre fortune, ils font des incursions sur leurs ,, ,, terres; ils saccagent leurs maisons; et ils vendent tout ce qu'ils y trouvent comme un ,, ,, butin pris sur l'Ennemi: Ils s'occupent moins de ce qu'ils ont dépensé que des moyens ,, ,, de faire de nouvelles dépenses: Bien loin de calculer ce qui leur restera, ils font tout ,, ,, ce qu'ils peuvent pour que rien ne leur reste: Ils consument dans leur jeunesse les

 ,, ,, ressources

SECTIO II. §. 14.

„ pluribus, hic referamus. — "Post Theophrastum (inquit) neminem novi, qui „ integrum Libellum *de Characteribus Morum* conscripserit, nisi Satyrum quem„ dam, Philosophum Peripateticum, qui vixisse videtur aetate Ptolemaei Philopa„ toris (18). Quantum quidem judicare licet exfrigidà elegantiae adfectatione, „ quae in specimine apud Athenaeum superstite perspicua est, — *Characteres* illi „ multum Theophrastéis erant inferiores. In depingendis hominum prodigorum „ moribus versatur illic Satyrus. En ipsius verba (19): *Rei suae familiaris* „ *hostes, agrum ipsi suum populantur, domum suam diripiunt, praedam ex* „ *propriis bonis actam sub hastâ divendunt, sumtuum jam factorum rationes* „ *non subducunt, sed eorum quos adhuc impendent; non quid sibi superfutu-* „ *rum sit, cogitant, sed quid non superfuturum; in juventute aetatis senilis* „ *viaticum consumere occupant; amicae, non amicorum, consuetudine* „ *gaudent; vino, non convivis, delectantur.* — Nemo sanequam (inquit por„ ro Corayus) hasce puero dignas antitheses conferet cum eleganti brevitate, „ quae *Characteribus Theophrastéis* propria est, neque cum salubritate illâ „ dictionis, cujus apud Scriptores Atticos dos est animo simul bonaeque menti „ satisfacere, neque tamen aurium judicium negligere, nunquam autem recto „ lectoris sensui tam manifeste diffidere, ut supervacanea perspiciatur sollici„ tudo in suggerendis ipsi cogitationibus aut rerum formis, quas ex argumen„ tis dilucide propositis ipse per se facile colligat."

Quod si ex iis rebus ac factis, quorum Satyrus testis advocatur, de illius ingenio sententiam ferre liceat, inter illos certe fuit seu Philosophos seu Grammaticos, quorum diligentiam a CICERONE irrisam fuisse, supra (20)

„ „ ressources de la vieillesse: Ils aiment leur amie plus que leurs amis, le vin plus que „ „ les convives." *Personne sans doute ne s'avisera de comparer ces puériles anti-* „ *thèses avec l'élégante concision, qui distingue* les Caractères de Théophraste; *avec* „ *cet Atticisme, propre aux Ecrivains d'Athènes, qui consiste à satisfaire l'esprit,* „ *sans négliger ce qui peut charmer l'oreille, et à ne jamais blesser l'amour-propre* „ *du lecteur par le soin superflu de lui présenter des idées, qu'il peut lui-même tirer* „ *comme des corollaires des propositions nettement énoncées."*

(18) Vossium laudat Vir optimus; sed is Satyrum Philopatore juniorem fuisse observat. Vixisse sub Philometore supra animadvertimus.

(19) Ipsa Satyri verba adscripsisse operae erit pretium. De stilo tum quivis judicet. — Πολέμιοι τῆς οὐσίας ὑπάρχοντες, κατατρέχοντες τὸν ἀγρὸν, διαρπάζοντες τὴν οἰκίαν, λαφυροπωλοῦντες τὰ ὑπάρχοντα, σκοποῦντες οὐ τί δεδαπάνηται, ἀλλὰ τί δαπανηθήσεται, οὐδὲ τί περιέσται, ἀλλὰ τί οὐ περιέσται, ἐν τῇ νεότητι τὰ τοῦ γήρως ἐφόδια προκαταναλίσκοντες, χαίροντες τῇ ἑταίρᾳ οὐ τοῖς ἑταίροις, καὶ τῷ οἴνῳ οὐ τοῖς συμπόταις. ATHENAEUS Lib. IV. pag. 168. C. D.

(20) Hac Sectione §. VIII.

vidimus, quique minutorum opusculorum fabricatores, seu minuta quaeque consectati, de uno viro vel de unâ feminâ Philosophâ totis voluminibus loquebantur. Quod pejus autem vitium est, frequenter tamen nimis in more positum ejusmodi *Vitarum Scriptoribus*, — hoc est, quod exilis ista diligentia a studio obtrectandi minime aliena fuisse videatur. Ne vero iniquius ac durius de Satyro sic nos statuisse, quisquam existimet, Stratonici, nobilis Citharoedi, facient forsitan de hoc nostro dicteria. — *Miror,* (21) inquit, *quam maxime Satyri Sophistae matrem, quod, quem nulla unquam civitas decem dies potuerit tolerare, hunc illa ad decimum usque mensem tulerit.* — Et alio tempore, " quum audiisset Satyrum Ilium venisse, quando Iliéorum ,, Ludi illic celebrabantur: *Semper,* inquit, *Ilio mala,*" notissimum proverbium in Sophistam detorquens. Nam, tametsi emissa ejusmodi tela famam viri minus vulnerasse queant videri, propter cognitam omnibus et Veteribus celebratam Musici dicacitatem, quae suos aliquando jocos nimio condiebat sale, quam ut urbani jam amplius possent haberi, talia tamen jlocalariter Stratonicus vix dixisset de homine, cujus ingenium aut indoles nihil asperi habuisset aut odiosi.

SECTIO II. §. 14. *Satyrus in Vitiis maledicus ac calumniator.*

§. XV. *Fama* ANAXARCHI, *Philosophi* Eudaemonici, *a calumniâ Peripateticorum vindicatur.* SATYRI *in illum dicta redarguuntur.*

§. 15. *Fama* ANAXARCHI *contra Peripateticos et* Satyrum *vindicatur.*

Cuicuimodi vero fuerit Stratonici iste in Satyrum jocus, hic, si injurius in eum Citharistes fuerit, famae aliorum ipse non pepercit. -- Anaxarchum Philosophum, --- constantem illum Tyrannidis contemtorem, *qui, cum in manus Nicocreontis, Cyprii Regis, incidisset, nullum* (1) *genus supplicii deprecatus est, neque recusavit;* — qui, *pilâ minutus in altâ, commandu-*

(21) Ea ATHENAEUS narrat Lib. VIII. pag. 350. F. his verbis. Μάλιστα δὲ θαυμάζειν ἔφη (Στρατόνικος) τὴν τοῦ σοφιστοῦ Σατύρου μητέρα, ὅτι ὃν οὐδεμία πόλις ἐνεγκεῖν οἵα τε ἦν δέκα ἡμέρας, ἐκείνη δέκα μῆνας ἤνεγκε. Πυνθανόμενος δὲ ἐν Ἰλίῳ ἐπιδημεῖν αὐτὸν ἐν τοῖς Ἰλιείοις, Ἀεὶ, ἔφησεν, Ἰλίῳ κακά.

(1) CICERONIS verba sunt *Tusc. Disp.* Lib. II. Cap. 21. ubi plures eâ de re Io. DAVISIUS, uti et GATAKERUS ad M. ANTONIN. Lib. VIII. §. 37. laudant testatos Veteres. Vid. praesertim PLUTARCH. *de Virt. Mor.* Tomo II. Opp. p. 449. E. DIOG. LAËRT. Lib. IX. Segm. 59. et AEG. MENAG. in Comm. ad illum l.

SECTIO II. §. 15. *catam linguam*, (si credere fas est) *in os minitantis exspuit* (2), potius quam ut supplex culpam deprecaretur; — Anaxarchum, cui animi altitudo morumque facilitas τοῦ Εὐδαιμονικοῦ cognomen meruerant (3), — hunc, igitur,

(2) VAL. MAX. Lib. III. Cap. 3. Ex. ext. 4.

(3) Referentibus DIOG. LAERT. Lib. IX. Segm. 60. ATHENAEO in ipso, quem jam tractamus, loco; SEXTO EMPIRICO *adv. Mathem.* VII. §. 48. AELIANO *Var. Hist.* Lib. IX. Cap. 37. — IACOBI *autem* BRUCKERI (in *Hist. Crit. Phil.* Vol. I. pag. 1207.) sententiam de origine ac caussâ cognominis τοῦ Εὐδαιμονικοῦ valde miror, — " dubium, scilicet, non esse *voluptariae* ,, *vitae commoditatem*, quam et Timon Anaxarcho exprobraverit, ipsi cognomen Εὐδαι-,, μονικοῦ conciliasse." DIOGENES LAËRTIUS ait: Οὗτος διὰ τὴν ἀπάθειαν καὶ εὐκολίαν τοῦ βίου Εὐδαιμονικὸς ἐκαλεῖτο· Quod nos ita accipimus, ut animi tranquillitas, indoles aperta, morumque facilitas hoc Anaxarcho nomen meruerint; atque eodem ante nos modo acceperunt JACOBUS PERIZONIUS et Io. ALB. FABRICIUS ad Aeliani et Sexti Empirici locos laudatos. Bruckerus vero contra opinatur, " mores, aulicae se vitae attemperantes et parasiti-,, cos, isto cognomine notari, non vero, ut volunt Interpretes, constantiam et tranquilli-,, tatem animi; idque (ait) *vitam Anaxarchi luculenter loqui.*" Quid *vita Anaxarchi*, quid vitae finis *loquatur*, quam possumus paucissimis supra ostendimus. Quid *secta Peripatetica loquatur;* — quid, praeter caeteros ex hac scholâ *Vitarum Scriptores*, Satyrus de Anaxarcho, Democritéae sectae principe, tradiderit, alia res est. VALERIUS quidem MAXIMUS l. laud. Anaxarchum *gloriose viguisse*, *gloriosius occidisse* censuit, et *tam forti fine illustrem professionis actum comprobasse.* (Suam Valerio Maximo singularem plane formam dicendi libenter relinquimus.) — Quis autem Εὐδαιμονικὸν in istam partem accepit unquam, qua interpretatus est Bruckerus? Definiente saltem PLATONE in Ὅροις (Tomo III. Opp. pag. 412. D.) Εὐδαιμονία est ἀγαθὸν ἐκ πάντων ἀγαθῶν· δύναμις αὐτάρκης πρὸς τὸ εὖ ζῆν· τελειότης κατ' ἀρετήν· ὠφέλεια αὐτάρκης ζώου. — Talem vero Εὐδαιμονίαν disciplinae suae finem Anaxarchus professus est. Ὁ γὰρ Ἀνάξαρχος τέλος τῆς κατ' αὐτὸν ἀναγωγῆς εὐδαιμονίαν ἔλεγεν, Auctor ait *Historiae Philosophicae* inter GALENI *Opera*, sive is ipse Galenus fuerit, sive Aëtius, seu quisquam alius, Cap. 3. (Tom. IV. pag. 425. 9. ed. Basilëensis) ut emendata illius verba adfert I. A. Fabricius d. l. Secundum SEXTUM EMPIRICUM Lib. XI. *adv. Mathem.* §. 30. Εὐδαιμονία δέ ἐστιν, ὡς οἵ τε περὶ τὸν Ζήνωνα καὶ Κλεάνθην καὶ Χρύσιππον ἀπέδοσαν, εὔροια βίου, — quam εὔροιαν ab Aristotele εὐζωΐαν καὶ εὐπραξίαν vocatam ibidem observat Cl. Fabricius. Confer eundem SEXTUM *adv. Mathem.* Lib. IX. §. 47. — Sed enim qui ab istâ εὐζωΐᾳ sive εὐδαιμονίᾳ Philosophicâ, quam ipse sectabatur et alios se docere profitebatur, τοῦ Εὐδαιμονικοῦ nomen invenit, quomodo hic propterea culpari ac laus illius in vitium et infamiam verti potest? Aut quam εὔροια βίου censuram meretur, tanquam si vita esset voluptaria, *aulae attemperata et parasitica?* Nemo Veterum de *Eudaemonicis* aliter ac nos sensit: Ἐκ τέλους καὶ δόγματος nomen illos tulisse Galenus an Aëtius refert, adeoque non ἐκ τοῦ βίου καὶ τοῦ ἤθους, uti de Anaxarcho existimat Bruckerus. Pariter DIOGENES LAËRTIUS (in Prooemio Segm. 17.) οἱ δὲ ἀπὸ διαθέσεων, ὡς οἱ Εὐδαιμονικοί· ad quem locum optime ALDOBRANDINUS. " Dicuntur autem *Eudaemonici*, qui quasi fe-,, licitatis caeteris tribuendae vim et facultatem habent:" Nam (quo argumento Bruckeri opinio maxime refellitur) τὸ Εὐδαιμονικοῦ cognomen disciplinae fuit sive sectae, non hominis,

Anaxarchum Satyrus (4) memoriae prodidit Alexandro turpissime fuisse adula- Sectio II. §. 15.

nis, etiamsi unus in Veterum scriptis Anaxarchus eo insignitus reperiatur, ita ut cum illo et coepisse illam sectam et periisse existimet laudatissimus Fabricius d. l. et recte forsitan, quod ad solam appellationem attinet, quamvis Pyrrho, ex Anaxarchi disciplinâ profectus (Diog. Laërt. Lib. IX. Segm. 61. 63.) et universa Scepticorum secta vere etiam *Eudaemonici* fuerint, quippe qui σκέψεως suae finem habuerint τὴν ἀταραξίαν sive τὸν εἰρηναῖον βίον, quam vitam ipsi τὴν τελειοτάτην εὐδαιμονίαν appellabant. Τοῖς δ' ἀοριστοῦσι καὶ ἐπέχουσι ῥήϊστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποις. Verba sunt Sexti Empirici *adv. Mathem.* Lib. XI. §. 111. Homerum exprimentis *Od.* Δ. v. 565. hujusque ῥαστώνης sensu quoque accipimus Laërtii de Anaxarcho dictum, Lib. IX. Segm. 60. καὶ ἦν ἐκ τοῦ ῥᾴστου δυνατὸς σωφρονίζειν, auctor nempe illius εὐροίας βίου sive ῥήϊστης βιοτῆς, quam Sceptici, ut Philosophiae suae finem, sectabantur. Vid. Fabricium ad d. Sexti locum, et ad *Pyrrhon.* Lib. I. §. 25. Quare et suam adversus disciplinarum doctores disputationem Sextus Lib. XI. §. 141. claudit hac quaestione: Εἰ ὁ περὶ τῆς τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν φύσεως ἐπέχων κατὰ πάντ' ἐστιν εὐδαίμων; ibidem definiens: Εὐδαίμων ἐστὶν ὁ ἀταράχως διεξάγων, καὶ, ὡς ἔλεγεν ὁ Τίμων, ἐν ἡσυχίᾳ καὶ γαληνότητι καθεστώς. Quin, si rem propius spectemus altiusve repetamus, apud antiquissimos jam Philosophos, Anaxarcho longe vetustiores ac Pyrrhone, Pythagoreos praesertim, Εὐδαιμονία universae Philosophiae ultimus fuit finis, eodemque descripta modo, ut *tranquillitas esset vitae, virtutem pro fundamento habens:* Εὐδαιμοσύνα χρᾶσις ἀρετᾶς ἐν εὐτυχίᾳ, Archytae est definitio, haec porro praecipientis: Οὐχ ἁ κτῆσις τᾶς ἀρετᾶς Εὐδαιμονία, ἀλλ' ἁ χρᾶσις· De quibus Archytae dictis, quae Philoni Iudaeo exemplo fuerint, Valckenaerium meum agere memini in *Diatribe de Aristobulo Iudaeo.* Nescio autem, quid praeter auctoritatem Satyri aliorumque Peripateticorum, Anaxarcho iniquiorum, ut suum fortasse Callisthenem, Anaxarchi aemulum, ulciscerentur, — nescio, inquam, quid, praeter istam auctoritatem, impulerit Bruckerum, ut, qui erga reliquos Democritéos ac, Democriteorum propaginem, Epicuréos tam lenem se et benevolum praestitit, idem adversus unum tam durus sit Anaxarchum, et (fere dixerim) iniquus, quasi is, qui ἡδονικὴν φιλοσοφίαν, nisi laudet, excuset saltem et a crimine vindicet, idem ille εὐδαιμονικὸν, ab ἡδονικῷ (nisi fallor) diversissimum, ferre non possit, sed tanquam *voluptarium* hominem exagitet, et indignam magistro sapientiae vitam duxisse, ex ipso illo nomine, demonstret. Quin εὐκολία, quae omnibus in laude est et εὐδαιμονίας plerumque artifex, uti et τοῦ Εὐδαιμονικοῦ cognomen Anaxarcho conciliasse a Diogene Laërtio dicitur, — haec, igitur, εὐκολία eam a Bruckero interpretationem accipit, quasi *mores aulicae vitae se attemperantes et parasitici* illâ continerentur. At vero quis εὐκολίαν vitio vertit unquam, aliudve esse dixit, nisi istam *facilitatem*, quam cum *altitudine animi* Cicero (*de Off.* Lib. I. Cap. 25.) conjungit, quamque opponit *morositati inutili et odiosae*? Vid. de hac voce εὐκολίας Athenaeum Lib. VI. pag. 262. A. Is. Casaub. in *Animadv. ad Athenaeum* col. 452. 51. eundem ad Suetonii *Caes.* Cap. 53. inprimis vero Andream Dounaeum in *Praelect.* ad *Demosth. Phil. de Pace*, quem utilitate aeque et raritate insignem Libellum Germani nuper in commoda studiorum velut luci reddiderunt, pag. 25. ed. Lond. (pag. 123. ed. Lips.)

(4) Apud Athenaeum Lib. VI. pag. 250. F. — Eadem, non memorato tamen Satyro teste, habet Plutarchus in *Vitâ Alexandri*, Tomo I. Opp. pag. 681. B. (Vol. IV. pag. 42. ed. Bryan.)

SECTIO II. §. 15.

tum. Quippe, si Peripatetico fides, " cum Philosophus aliquando Regi in ,, viâ esset comes, et coeli Pater vehementer intonuisset, ut omnes terrore ,, perculsi exhorrescerent, Regem rogavit, *tune hoc fecisti, Alexander,* ,, *Iovis fili?* Ridens autem respondit Rex: *Minime ego: Horribilis enim ac* ,, *formidolosus esse nolo, qualis ut sim tu mihi auctor es, Satraparum ac* ,, *Regum capita coenanti mihi in mensam apponi jubens:*" — Quo nimirum responso Alexander capitales ipsi cum Nicocreonte, Tyranno Cyprio, inimicitias crudelemque, qui coenanti aliquando exciderat, jocum exprobrasset. —

Anaxarchus adulationis falso accusatus.

Et Anaxarchi dictum et Regis responsionem ad invidiam conficta, totamque rem commentitiae fabulae similem (5), quis non videt? Fac autem, ista, *μή τε σὺ τοιοῦτο ἐποίησας, Ἀλέξανδρε ὁ τοῦ Διός;* vere ab Anaxarcho fuisse prolata, tantum abest, ut cum Satyro propterea indecorae adulationis crimen Philosopho impingam, ut contra mihi hoc sit argumentum obfirmatae voluntatis, qua nullam praetermittebat occasionem, ut quam ridiculi illi essent a Iove petiti natales, quam impia propemodum vanitas, filio Philippi Macedonis ob oculos poneret, mortalemque conditionem in animum perpetuo revocaret: Quae et acutissimi IACOBI PERIZONII olim fuit sententia (6) ad AE-

LIANI

(5) Hic, quamvis Anaxarcho iniquiorem, consentientem tamen BRUCKERUM habemus, d. l. pag. 1208. " Talem vero vitam cum affectavit Anaxarchus, (inquit) difficile credi potest, quod ,, de eo, magno licet consensu, tradunt Veteres, Nicocreontis Regis Cyprii hostis cum ,, esset, ejus interitum apud Alexandrum Magnum quaesivisse." Qui de interitu Anaxarchi tradiderint, plures sunt ex Antiquitate Scriptores; qui de crudeli Anaxarchi joco retulerit, unum praeter Diogenem Laërtium, quod sciam, est Plutarchus, in hac narratione Satyrum fidenter magis secutus, quam ipse Athenaeus. At vero, quod Bruckerus porro ait, " vero simile non esse, hominem, qui aulicae felicitatis voluptatem affectarit, tantam ,, constantiam in morte ostendisse," illa quidem ejusmodi sunt, ut uno responso defungi posse videamur, nos, scilicet, de isto argumento in consilium ituros, postquam probatum fuerit, *aulicae vitae felicitatem* in itinere militari, in castris et vallis, media inter arma et pericula, in pugnis atque obsidionibus reperiri.

(6) Neque aliter de Anaxarcho ipse DIOGENES LAËRTIUS sensisse videtur, atque adeo tradidisse, hunc Philosophum facili suâ cum Alexandro consuetudine usum, ut eum ridiculâ a divinorum natalium opinione averteret ac retraheret: Sed Diogenis verba in contrariam sententiam immutavit seu invida Anaxarcho sors, seu temporum et Librariorum injuria. Legitur jam apud illum: *τὸν γοῦν Ἀλέξανδρον, οἰόμενον εἶναι θεὸν, ἐπέτρεψεν.* Interpres autem olim *evertit* erat interpretatus; adeoque consentiens cum illo MERICUS CASAUBONUS *ἀπέτρεψεν* corrigebat: Regiae vero Membranae, monente MENAGIO, *ἐπέστρεψεν* habebant. — Locus AELIANI est in *V. Hist.* Lib. IX. Cap. 3.

LIANI locum, ubi hic in *Variâ Historiâ* refert, Anaxarchum amentiam Alexandri, in Deos se referentis, ridere solitum et, cum Medicus Regi potionem praescriberet, jocatum dixisse: *Ergo Dei nostri spes omnes in sorbitione unius vasculi sitae sunt!* — Sed plura sunt ejusmodi, quae, ut Satyri calumnia eo clarius elucescat, haud illubentes huc colligemus. SECTIO II. §. 15.

Cum aliquando inter pocula Alexander malis Anaxarchum procax petiisset, Euripidéo ex *Oreste* versu (7) regiam petulantiam repressit, rogans an Deorum aliquis (Philosophiam forsan pro Deâ habebat) mortali manu vulnerari posset?

Βεβλήσεταί τις θεῶν βροτησίᾳ χερί; (8)

Alio tempore, cum Regi sanguis e plagâ manaret, humanum esse cruorem, intenso in Alexandrum digito, monstravit, non illum, qualis e vulneribus Numinum efflueret (9):

——— οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.

Et quid aliud nisi imbecillitatis humanae facta coram Rege commemoratio exspectari ab eo poterat, cujus *lingua multorum aures, inprimis Alexandri, attonitas* (10) *habuerat, dum terrae conditionem, habitum maris, siderum motus, totius denique mundi naturam, prudentissime et facundissime expromeret?* Quin, dum immensa Numinis, qui hujus mundi artifex est, opificia Anaxarchus diserte enarraret, recordatione parvitatis corpusculi sui ac tenuitatis virium commotum fuisse Alexandrum, lacrymae testantur, quas, cum Democriti civis et discipulus infinitum esse mundorum numerum demonstraret, Philippi filio obortas PLUTARCHUS (11) ex Veteribus memoriae prodidit: Atque eundem illum sapientiae magistrum, qui tam magnifice, tam vere, cum Macedonum Tyranno de rebus divinis ac coelestibus dissereret, *voluptarium Alexandri adulatorem* cum IOANNE-ALBERTO FABRICIO (12) habebimus? LUCIANUM quippe minus curamus: Idem ille, qui οὐχὶ τοὺς φαύ- LUCIANI fides.

(7) v. 271.

(8) Euripidéa verba PLUTARCHUS *Sympos.* IX. Probl. I. (Tomo II. Opp. pag. 737. A.) rectius servavit, quam DIOG. LAËRTIUS Lib. IX. Segm. 60. Diversam autem utriusque narrationem, uti fecimus, conjungi posse existimamus: Προπίνων, scilicet, καὶ τὴν κύλικα δείξας, Alexander ἅμα μήλοις τὸν Ἀνάξαρχον ἔβαλλε.

(9) DIOG. LAËRT. Lib. IX. Segm. 60. ubi vid. MENAGIUM.

(10) VAL. MAX. Lib. III. Cap. 3. Ex. ext. 4.

(11) Περὶ εὐθυμίας Tomo II. Opp. pag. 466. D.

(12) *Bibl. Graecae* Vol. II. pag. 823. De cognomine tamen τοῦ Εὐδαιμονικοῦ Virum longe optimum et doctissimum in eâdem cum Bruckero non fuisse sententiâ, supra vidimus.

SECTIO II. §. 15. λους, ἀλλὰ τοὺς ἀρίστους — (ipsius sunt verba) Euripidem, Platonem, Aeschinem Socraticum, Aristotelem, *artis parasiticae praeceptores vel alumnos* dixit, Anaxarchum quoque inter compotores, qui Alexandro coenarum asseclae (13) fuerunt, numeraverit, licet: Samosatensis hujus seu joci seu calumniae nullius famam aut minuunt aut laedunt: Sed apud saeculi nostri aut superioris homines, quales fuerunt KUHNIUS (14), FABRICIUS, BRUCKERUS, tantum valuisse dolemus Satyri aliorumque Peripateticorum auctoritatem, ut, nullo alio teste audito, nullâ reliquae vitae ratione habitâ, viros forsitan optimos, nulliusque culpae adfines, haud levi nominis infamiâ notarint.

Verum enim vero audire mihi videor, qui cum Bruckero nobis objiciant turpe, quod Alexandro, inconsultam Cliti caedem serâ poenitentiâ deflenti et ad moriendum obstinato, Anaxarchus praebuerit, solatium, quique hujus facti testes geminum excitent Scriptorem Graecum, inter fide dignissimos habendum: Fatemur quidem; et tamen, re bene perpensâ, existimamus, omne illud dedecus omnemque infamiam, quâ Anaxarchus ad seros usque posteros oppressus jacuit, dispelli facile atque abstergi posse, dum modo famam, quae locum adhuc obtinuit, ad veram originem, id est, ad Peripateticos sectaeque hujus contra Anaxarchum odium ac simultatem referamus. — Quandoquidem hoc etiam exemplo patet, quam utilis sit in Historiâ Philosophicâ moderata quaedam ἀπιστία, nec *famae credere*, antequam fontes illius nobis sint cogniti, agedum hoc de Anaxarcho πάρεργον paulo explicatius tractemus.

Peripatetici istius accusationis auctores.

ARRIANUS, de fide Historiae, ut virum bonum eundemque Philosophum decebat, sollicitus, initio Ἀναβάσεως (15) nos monet, " duos praecipue secutum se auctores, Ptolemaeum Lagidem atque Aristobulum, ita ut, de quibus hi inter se consentirent, ipse ea tanquam omnino vera memoriae proderet; ubi dissentirent, quae magis vero similia viderentur, a se fuisse electa: Quae ab aliis, praeter illos, conscripta essent, si narratu non indigna neque prorsus incredibilia judicasset, ea quoque se tradidisse, *tanquam quae vulgari tantum rumore de Alexandro ferrentur*, — ὡς λεγόμενα μόνον ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου." — Iam, hujus moniti memor, conferat se quis ad illa consideranda, quae Arrianus narrat de consolatione Alexandro, post caedem Cliti, ab Anaxarcho adhibitâ, ut magnos ejus animi cruciatus leniret.

ARRIANI in Historiâ fides et cautio.

(13) LUCIANUS *de Parasito* §. XXXV. Tomo II. Opp. pag. 862.

(14) Ad AELIANI *Var. Hist.* d. l.

(15) In ipso Operis Prooemio.

Sunt qui scribant, inquit ille, *Anaxarchum Sophistam*, *consolandi ejus caussâ arcessitum*, *ad Alexandrum venisse*, etc. (16) Εἰσὶ δὲ οἱ λέγουσιν, Ἀνάξαρχον τὸν σοφιστὴν ἐλθεῖν μὲν παρ' Ἀλέξανδρον κληθέντα, ὡς παραμυθησόμενον· κ. τ. λ. — At vero, quinam sunt οἱ λέγοντες? An veracissimi illi auctores, inter omnes eos qui saepe contraria de Alexandro memoriae prodiderunt, — Ptolemaeus Lagides et Aristobulus? — Minime! neque enim de iis Arrianus dixisset, *sunt qui scribant*. Igitur ista, εἰσὶ δὲ οἱ λέγουσι, manifesto indicant, hanc narrationem ab Arriano receptam inter ea, quae se conscripsisse ait, incertâ ac dubiâ fide, tanquam vulgi rumores, ὡς λεγόμενα μόνον, καὶ οὐ πάντη ἄπιστα· Famam autem istam cum pro ficti pravique tenace Q. CURTIUS haberet, in totâ hac re narrandâ, quam fuse tamen lateque exsequitur (17), Anaxarchi ne nomen quidem appellat, nullamque ejusmodi consolationis ab ipso adhibitae mentionem facit, paulo post Callisthenem potius indicans, ut qui Regem solatio ad retinendam vitam permulserit, *a quo*, inquit (18), *revocatus ad vitam erat, quum, interfecto Clito, mori perseveraret.* Quapropter, his modo perpensis, in eam quis incidat suspicionem, istos τοὺς λέγοντας, quorum nomina Arrianus tacet, nullos alios esse nisi Aristotelicos, Anaxarcho infestos, quorum plures sive Historiam Alexandri condiderunt, verbi gratiâ (praeter Callisthenem) Duris Samius et Agatharchides, sive de rebus illius singulatim egerunt ἐν τοῖς τῶν βίων, vel ἀπομνημονευμάτων, vel ὑπομνημάτων βιβλίοις, quae certatim conscripserunt, uti Lynceus, Duridis frater, Dicaearchus, Clearchus Solensis, Aristoxenus, et ipse denique noster Satyrus. Quae vero suspicio primum fuerat, mox probabilis et tantum non certa evadet sententia, si PLUTARCHUM consulamus: Nam, tametsi in laudatissimo caeteroquin Scriptore majorem saepe desideremus cautionem in admittendis auctoritatibus testium, quos haud semper (19) excitat, atque hanc quoque provisionem neglexisse videatur, cum de foedâ hac et adulatoriâ Anaxarchi adhortatione binis locis (20) agit, ab eo

SECTIO II. §. 15.

CURTII *ab Arriano dissensus*.

(16) Lib. IV. Cap. 9. pag. 281. ed. Raphel.

(17) Lib. VIII. Cap. 2.

(18) Lib. VIII. Cap. 8. in f.

(19) Sic supra animadvertimus, ex Satyro, non laudato teste, petita, quae Plutarchus refert de Anaxarcho Alexandrum Iovis filium appellante.

(20) *Ad Principem indoctum* Tomo II. Opp. pag. 781. B. et *in Vitâ Alexandri* Tomo I. Opp. pag. 694. F. 695. A. B. (Vol. IV. pag. 72. ed. Bryan.) ex quo posteriori loco, item ex Arriani verbis, PAULUS LEOPARDUS *Emend.* Lib. III. Cap. 15. priorem Plutarchéum sic feliciter corrigit: Ἀεὶ τῷ Διὶ τὴν Δίκην εἶναι καὶ τὴν Θέμιν πάρεδρον·

Sectio II. §. 15.

tamen haud obscure discimus, cui caussae quibusque adeo auctoribus ista, quam Q. Curtius omittendam censuit, invidiae in Anaxarchum plena narratio sit tribuenda.

Plutarchus *calumniae fontem prodit.*

Refert scilicet Plutarchus eodem, quem indicavimus, in *Vitâ Alexandri* loco, eâdemque occasione, quae fuerit Callisthenem Peripateticum inter et Anaxarchum Abderiten simultas, simultatisque origo, ingenii nempe dissimilitudo atque ex aemulatione orta contentio, hinc inimicitiis mutuisque odiis incensa obtrectatio: Quam obtrectationem, acerbo in Anaxarchum joco indulgens, morosus magis quam severus Callisthenes ipse male dissimulabat. Neque obscure significat Plutarchus, triste Callisthenis fatum, ex communi hominum opinione, huic invidiae ac malevolentiae aliqua ex parte tribuendum. Quis autem eorum, quae de Anaxarcho et Callisthene ita referuntur, ut omnia ad prioris dedecus, ad alterius laudem faciant, — quis horum, inquam, omnium auctor a Plutarcho appellatur? — Hermippus Peripateticus, qui dixerit ea a Stroïbo, Anagnoste Callisthenis, (erat autem Callisthenes consobrinâ Aristotelis natus et ab ipso comes Regi datus) Aristoteli fuisse relata (21). — Talisque fide dignus habeatur testis, seu Hermippus Peripateticus seu (ex cujus ore illud habuerit) de Callisthenis familiâ minister aut servus? — Et sunt tamen in istâ Anaxarchi exhortatione, qualem Plutarchus in *Vitâ Alexandri* exponit, nonnulla, quae aut locutum esse Philosopho, aut a Rege placide excepta, non fuerit indecorum. *Hiccine Alexander ille est, in quem defixos universus orbis oculos habet* (22)? et quae porro sequuntur, ad recreandum illum accommodata, a cujus salute jam universi exercitus ac

Hermippus *Peripateticus illius auctor.*

(21) *Ταῦτα μὲν οὖν ὁ Ἕρμιππός φησιν, τὸν ἀναγνώστην τοῦ Καλλισθένους, Στρόϊβον, Ἀριστοτέλει διηγεῖσθαι.* Plut. d. l. pag. 695. e. (Vol. IV. ed. Bryan. pag. 74.) — Quod si talem harum de Anaxarcho narrationum fontem ab ipso Plutarcho non cognovissemus, facile tamen auctoritatem seu livorem Peripatetici alicujus, quem Plutarchus secutus sit, agnovissemus in ipso narrationis initio, quando Anaxarchum dicit, *ἰδίαν τινὰ πορευόμενον ἐξ ἀρχῆς ὁδὸν ἐν φιλοσοφίᾳ, καὶ δόξαν εἰληφότα ὑπεροψίας καὶ ὀλιγωρίας τῶν συνήθων*, — qui, scilicet, nulli sectae aut scholae addictus, civis sui Democriti rationem philosophandi sequebatur, et de Aristotele forsitan ac Lycéo minus honorifice sentiebat.

(22) *Οὗτός ἐστιν Ἀλέξανδρος, εἰς ὃν ἡ οἰκουμένη νῦν ἀποβλέπει; ὁ δὲ ἔῤῥιπται κλαίων, ὥσπερ ἀνδράποδον, ἀνθρώπων νόμον καὶ ψόγον δεδοικώς, οἷς αὐτὸν προσήκει νόμον εἶναι καὶ ὅρον τῶν δικαίων;* — Verum est, quamquam generi humano parum decorum, quod apud Senecam Patrem, *Suas.* I. pag. 5. aiebat Cestius: *Regibus etiam quae prosunt, ita tamen ut delectent, suadenda esse: — Veritatem facti Alexandrum exisse: Itaque apud Alexandrum ita dicendam esse sententiam, ut multâ adulatione animus ejus permulceretur.*

Macedonum salus pendere videbatur: Nam, quum Anaxarchus invitatus ad solatium venisset (23), non sponte ipse suâ accurrisset, (quod tamen ab assentatore, si is fuisset, Regis familiari exspectari poterat) ad officium illius jam spectabat *auditoris animum statim idoneum reddere ad audiendum* (24): Quod quidem si austere minus sed Callisthene felicius effecerit, in captando Regis animo eâ arte usus, quam et alias demonstraverat (25), non erat propterea, quod malignâ interpretatione hunc Philosophi Democritéi sermonem sodales ac discipuli Aristotelis in pejorem partem inflecterent, atque odiosam instituerent comparationem, illum sermonem inter ac consolationem a Callisthene oblatam, quam Plutarchus, hos auctores secutus, adfirmat *decoram et placidam* fuisse, — ὧν Καλλισθένης μὲν ἐπειρᾶτο καὶ πρᾴως ὑποδυόμενος τῷ λόγῳ καὶ περιιὼν ἀλύπως λαβέσθαι τοῦ πένθους: Quae lenitas et mollitia, haud injuriâ quis dubitet, an cum aliquâ similitudine veri Callistheni tribuantur, id est, viro, cujus ingenium haudquaquam aulae accommodatum fuisse Curtius (26) scribit, quemque ipse Aristoteles, consobrinus et amicus, aiebat (27) δυνατὸν μὲν εἶναι καὶ μέγαν, νοῦν δὲ οὐκ ἔχειν· Ac sane, quae Anaxarchi erant praeclara et laudanda ad Alexandrum dicta aut monita, ea ad Callisthenem aliquando invidiose translata fuisse videntur (28.) —— Sed operosum nimis esset, his diutius immorari; neque tamen non possumus, quin in investigandis ac dijudicandis Peripateticorum contra Anaxarchum incusationibus pergamus.

Sectio II. §. 14.

Expenditur Anaxarchi ad Alexandrum consolatio.

§. XVI. *Ulterior* Anaxarchi *Eudaemonici contra Peripateticos defensio.*

Arrianus, postquam auctoribus Scholae Aristotelicae asseclis (qua de re dubitari vix potest) retulisset indecoram, quam ad consolandum Alexandrum

Ulterior Anaxarchi contra Peripateticos defensio.

(23) Ἐλθεῖν παρ᾽ Ἀλέξανδρον κληθέντα, inquit Arrianus; et Plutarchus adductum pariter ait: διὸ Καλλισθένη τε τὸν φιλόσοφον παρεισήγαγον, Ἀριστοτέλους οἰκεῖον ὄντα, καὶ τὸν Ἀβδηρίτην Ἀνάξαρχον·

(24) Auctor ad Herennium Lib. I. Cap. 4.

(25) Factum narrat Aelianus *Var. Hist.* Lib. IX. Cap. 30.

(26) Lib. VIII. Cap. 8. in f.

(27) In *Vitâ Alexandri* pag. 695. F.

(28) Ita Cestius apud Senecam Patrem *Suas.* I. pag. 5. Callistheni tribuebat, quod supra, secundum Diog. Laërt. Lib. IX. Segm. 60. Anaxarcho adsignavimus, ut qui versum Homericum usurpaverit, cum sanguinem ex vulnere Alexandri effluere videret. Vid. Menag. *ad* Diog. Laërt. d. l.

SECTIO II. §. 16.

Anaxarchus pronunciasset, sententiam, mox addit, quo pacto Macedonum Rex, exempla Medorum Persarumque jam secutus, adorari se voluerit, et Callisthenes huic consilio restiterit; Anaxarchus vero inter pocula primus ejus auctor fuerit et abjectissimus suasor (1). Certe nihil cogitari potest prudentius, nihil dignius eo, qui discrimen divina inter et humana noverat, quam ea oratio, quam a Callisthene tunc ad ipsum Anaxarchum habitam Arrianus refert; nihil contra ad foedissimam adulationem magis factum ac compositum inveniri quam sermo, quo prior Anaxarchus Regem Macedonum, majori jure quam Liberum aut Herculem, pro Deo habendum disseruerat. Sed quomodo evénit, quaeso, ut harum orationum nulla prorsus apud Plutarchum sit mentio? quì factum, ut CURTIUS contra, in toto hoc negotio, de Philosopho Abderitâ sileat, et Cleonem Siculum, *non ingenii solum sed etiam nationis vitio adulatorem*, scribat (2), " festo die, et in convivio quod ,, omni opulentiâ exornari Alexander jusserat, sermonem, sicut praeparave- ,, rat, cum admiratione laudum ejus instituisse, merita deinde percensuisse, ,, quibus uno modo referri gratia posset, si, quem intelligerent Deum esse, ,, confiterentur, exiguâ thuris impensâ tanta beneficia pensaturi: Quod, ,, si caeteri dubitarent, semet ipsum, quum Rex inisset convivium, prostra- ,, turum humi corpus; debere idem facere caeteros, et *inprimis sapientiâ* ,, *praeditos*: Ab illis enim cultûs in Regem prodendum esse exemplum: Quae ,, oratio (ut Curtius ait) haud perplexe in Callisthenem dirigebatur." —— Quì factum, inquam, ut in universâ hac narratione nullae omnino Anaxárchi apud Curtium sint partes, omnia et singula ad Cleonem et Agin quemdam Argivum, pessimorum carminum conditorem, referantur, quem Agin Argivum non cum Cleone tamen, sed cum Anaxarcho, ARRIANUS paulo ante (3) conjunxerat, dum de Cleone silet? Caussa nimirum haec est; Peripateticos Vitarum Scriptores Arrianus secutus est, Plutarchus hac quidem in re sequi non est ausus; alios vero sibi duces Curtius elégit: Quin ipse Arrianus, quum haec jam fide aliorum esset relaturus, solitâ cautione usus est, non tanquam qui certos istorum sermonum testes haberet, sed famam et sparsos a nonnullis rumores: Ὑπὲρ δὲ τῆς προσκυνήσεως, ὅπως ἠναντιώθη Ἀλεξάνδρῳ (Καλλισθένης,) καὶ τοιόσδε κατέχει λόγος· Quemadmodum autem ista locutio, ὁ λόγος κατέχει, κληδὼν vel Φήμη τις κατέσχε, apud Historicos et Oratores, vel κατέχει Φάτις apud

CURTII ab Arriano dissensus.

PLUTARCHI silentium.

ARRIANUS narrationi ipse suae diffidit.

(1) De Exped. Alex. Magni Lib. IV. Cap. 10. 11, pag. 84. seqq. ed. Raphel.

(2) Lib. VIII. Cap. 5. §. 10.

(3) Ibid. Cap. 9. in f.

Poetas, docente post HENRICUM STEPHANUM Magno VALCKENAERIO (4), tunc adhibetur, " quando sermo aliquis invaluisse aut fama obtinuisse dici„ tur," ita Arrianus eâ plerumque utitur, cum quidpiam incertâ fide (5) refert, aliosque habet dictorum auctores praeter Ptolemaeum Lagidem vel Aristobulum. Ut vero confictas esse et ad invidiam Anaxarchi compositas istas orationes aequi nobiscum censeant judices, nihil ultra petimus, nisi ut eas attente et positâ omni opinione praejudicatâ perlegant. Rhetorem aliquem aut ex scholâ Alexandrinâ Sophistam in cathedrâ dicentem audire te credas, non magistrum sapientiae, qui, epulis regiis accumbens, inter pocula coram vinolentis sodalibus, ipse licet sobrius, dissereret. Existimantes porro talia ad invidiam Anaxarcho parandam prodita fuisse a Polyhistoribus Alexandrinis aliisque, sectam Aristotelicam secutis, non temere nec sine exemplo id facimus, sed quia tum res ipsa clamat, tum adsunt testimonia. Hoc videamus. SECTIO II. §. 16.

Nova et inaudita in Anaxarchum calumnia.

Turpe erat adulari terrarum domino mortalemque divinis honoribus colere; turpius tamen, non ad suam solius voluptatem, sed quo alii etiam ad petulantissimas impuritates inflammarentur, tam esse libidinosum, ut ne spurcissimus quidem *Epicuri de grege porcus* tantum flagitium admiserit: Namque, ut in convivio formosi adessent pueri, qui ministrarent, si CICERONEM (6) audiamus, ex Epicuri sententiâ factum fuisse videtur, neutiquam vero ut positis id facerent vestibus: Atque id tamen dedecus Philosopho Eudaemonico etiam tributum. — Parandi convivii cura, (in consortione Alexandri, ut credibile est,) propter imperitiam eorum, quibus id officii incumbebat, ad Anaxarchum erat delata: — Epulas instruit, omnemque apparatum constituit, — non qualem Callias, Hipponici filius, in Panathenaeis Autolycum, praesente Socrate atque amicis, convivio excepturus, — multo minus qualem Plato, cum Timotheus apud eum esset coenaturus; — imo ne talem quidem, qualem Volumnius Eutrapelus, cum infra illum Cytheris scortillum accumberet, dum in illo convivio adesset Cicero, *quem nihil istorum, ne juvenem*

(4) In Adnotationibus ad EURIPIDIS *Hippolytum* v. 1465.

(5) Conferri meretur Cl. I. AUG. ERNESTI *de Fide Historicâ recte aestimandâ* §. XXV. (*Opusc. Philos. et Crit.* pag. 81.) ubi apposite ad rem nostram animadvertit, Livium, e. gr. " notâ, *traditum memoriae est,* additâ indicare voluisse, non ex iis fontibus „ ista, quae narrat, ducta esse, ut eandem, quam superiora, fidem mererentur." *Atque his,* inquit, *similia multa in bonis Historicis antiquis diligentes lectores animadvertent.*

(6) *de Finib.* Lib. II. Cap. 8.

SECTIO II. §. 15.

quidem, movebat unquam. — Quem apparatum igitur? — Audies. — Puellam conduxit juvenculam, eximiâ corporis formâ insignem; atque haec, procurante, scilicet! *Anaxarcho Eudaemonico,* convivis ministravit nuda ac, positâ omni veste, pocula praebuit, non certe ut illa Virtutum partes sustineret, quas Cleanthes sibi fingebat pictas in tabulâ (7), " ut ancillulas, „ quae nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut Volup„ tati ministrarent, et eam tantum ad aurem admonerent, *ut caveret, ne „ quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quid„ quam e quo oriretur aliquis dolor."* Praeterea, quamquam in tantâ lasciviâ id leve est, jussit Anaxarchus, ut coquus manicas indueret manibus, os capistro obturaret, velo faciem tegeret, ne sordes aliquae, ne sudor, ne ipse anhelantis halitus cibos inficeret, aut pinsendam massam adflaret — *Luxuries,* inquit TULLIUS (8), *cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est: Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est, quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.* — Sed quis coenandi magistrum ferat, qui vivendi debeat esse praeceptor? — quis flagitiosum obscoenae voluptatis auctorem eum, qui omnium virtutum exemplar se reliquis profiteatur? *Aequabilitas universae vitae, tum singularum actionum, maxime decora est* (8). Qua igitur pessimae mentis conscientiâ, quo pudore idem ille, qui sapientiae doctor coram Alexandro de Providentiâ disputabat rerum creatrice, deque mirabili hujus mundi opificio, -- quo pudore, inquam, vel potius quâ impudentiâ idem ille latere non sivisset istas *libidines suas tenebricosas, quas fronte et supercilio saltem* (9), *nisi pudore et temperantiâ, contegere* Philosophum decebat? At vero hìc paululum subsistamus. --- Quis invidiosi criminis in Anaxarchum auctor? — Peripateticus Vitarum scriptor! — Neque id dubie, aut ex aliquâ nostrâ conjecturâ. CLEARCHUM *in quinto Vitarum Libro* testem facinoris ATHENAEUS (10) excitat, — eundem illum Clearchum Solensem, de cujus fabulis, et in Socratem quoque maledictis, supra (11) post Jonsium dicebamus.

CLEARCHUS *Peripateticus istius calumniae auctor.*

Idcirco,

(7) CIC. *de Fin.* Lib. II. Cap. 21.

(8) CIC. *de Off.* Lib. I. Cap. 31.

(9) CIC. *de Prov. Cons.* Cap. 4.

(10) Lib. XII. pag. 548. E. quem locum tetigit TOUPIUS *in Epist. Crit. ad Episc. Gloc.* pag. 84.

(11) Sect. I. §. 15. pag. 83.

Idcirco, perpensis his rationibus, nemo, opinor, inficias ibit, dedecora ista et probra, quibus fama Philosophi Eudaemonici apud posteros commaculata est, quaeque TIMONI Sillographo (12) calumniandi ipsum atque irridendi materiam pro more praebuerunt, a Peripateticis, Vitarumque ex illâ sectâ Scriptoribus, esse profecta; neque aliâ ex origine manasse, nisi ex invidiâ et odio, quibus illi hominem premere conabantur, intimâ Alexandri familiaritate ac benevolentiâ ad novissima usque hujus fata (13) usum, dum idem Asiae domitor Callisthenem, inter Lycei asseclas principem atque Aristotelis consobrinum, ob promtam nimis, saepius quoque intempestivam, in dicendo et reprehendendo libertatem seu arrogantiam, exquisitis tormentis crudelique supplicio affecerit, aut in caveâ clausum pro ludibrio circumtulerit, quin ipse Scholae auctor Aristoteles odiosus Regi, suo quondam discipulo, (14) fuerit, et malevolentiae suspectus. SECTIO II, §. 16.

(12) Hos Timonis in Anaxarchum Sillos gemino loco PLUTARCHUS conservavit, nempe *de Virtute Morali* Tomo II. Opp. pag. 446. B. et (non nominato Timone) *Symp.* Lib. VII. Quaest. 5. Tomo II. Opp. pag. 705. D.

(13) Anaxarcho haud minus quam Xenocrati, (ambobus Lycéo invisis) propter sapientiae studium, habitum ab Alexandro honorem et missa dona, scribit PLUT. in *Vitâ Alexandri* Tomo I. pag. 668. E. (Vol. IV. pag. 14. ed. Bryan.) Ubi eandem rem in *primâ Oratione de fortunâ vel virtute Alexandri*, Tomo II. Opp. pag. 331. E. narrat Plutarchus, τὸν μὲν ἁρμονικὸν Ἀνάξαρχον, inquit, ἐντιμότατον τῶν φίλων ἐνόμιζε. Xylander vertit *Musicum*. MENAGIUS *ad Laërt.* Lib. IX. Segm. 60. corrigit τὸν μὲν εὐδαιμονικόν. Ego sanam lectionem arbitror; ac Plutarchum, qui εὐδαιμονίαν, ut nos supra fecimus, interpretabatur εὐρυθμίαν τῆς ψυχῆς, optime ἁρμονικὸν appellasse, qui aliis εὐδαιμονικὸς dictus est: Quod certe haud leve mihi contra Bruckeri sententiam argumentum esse videtur. — Εὐδαιμονίαν, quemadmodum observavimus, Plato definiebat ὠφέλειαν αὐταρκῆ ζώου. PERICTIONE vero Pythagorica apud STOBAEUM in *Floril.* Serm. LXXXIII. pag. 48-. ἁρμονίην, quam mulieribus commendat, pluribus definit, praesertim hac notâ, ὥς ἔςαι καὶ δικαίη, καὶ ἀνδρήη, καὶ φρονέουσα, καὶ αὐταρκήη (Cod. MS. αὐταρκείην) καλλυνομένη καὶ κενὴν δόξαν μισέουσα· — κρατέουσα οὖν ἐπιθυμίας καὶ θυμοῦ θείη καὶ ἁρμονίη γίγνεται. — Caeterum huc quoque pertinet narratio de centum talentis; quae, concessâ ab Alexandro petendi veniâ, Anaxarchus dispensatorem illius rogavit et, annuente Rege, obtinuit, uti refert PLUTARCHUS in *Apophthegm.* Tomo II. Opp. pag. 179. F. quicum confer. est AELIAN. *Var. Hist.* Lib. IX. Cap. 30. namque ad idem factum narratio pertinere videtur, ut pecunia, quam Philosophus a dispensatore regio accepit, ab Alexandro ei donata fuerit, ut duplum pro omissis in sui gratiam impedimentis ipsi praestaret.

(14) PLUTARCHUS in *Alex.* Tomo I. pag. 696. D. Conf. pag. 706. A. et pag. 707. A.

SECTIO II. §. 17.

§. XVII. SATYRI *lubido maledicendi aliis praeterea exemplis universe demonstratur.*

§. 17. SATYRI *Peripatetici maledicentia.* Igitur, si inter testes ejusmodi, malitiâ falsos fictosque, Satyrum nostrum numeremus, atque ad consuetam Peripateticorum in adversarios invidiam ea referamus, quae de adulatione Anaxarchi erga Alexandrum ad posteros prodidit, nihil fecisse videmur, nec quod huic sectae insolens, neque quod a Satyri indole fuerit alienum, quem et alias reperimus a maledictione minime abhorruisse. — De Empedocle et Hieronymus Rhodius scripsit et Satyrus, uterque, ut videtur, saepe in eodem argumento (1) versati. Ita autem Satyrus scripsit, ut, quae ad laudem pertinere deberent, mox probris et dedecori conjuncta reperiantur. *De Empedocle maledixit.* Empedoclem Satyrus tradidit Medicum fuisse et dicendi artis doctorem egregium, cujus Gorgias Leontinus, Rhetorum iste princeps omnium ore celebratus, discipulus fuerit; mox addidit, hunc eundem Gorgiam testatum esse, se Empedocli ipsum adfuisse, quum hic circulatorem ageret, turpique fraude vulgus deciperet (2): Neque hoc satis: Cum in more positum esset, nefandae libidinis labem sapientiae magistris adspergere, et sua cuique *παιδικὰ* adsignare, quemadmodum et ipsum Socratem, juvenem sanequam haud formosissimum, Archelao in deliciis fuisse Aristoxenus tradidit; — hoc igitur quum calumniatoribus in more positum esset, Satyrus etiam neque Empedoclem ab isto coeno purum esse passus est; ac, siquidem illi fidem habeamus, Agrigentinus hic naturae indagator Pausaniam, Anchyti filium, cui Libros *περὶ φύσεως* inscripsit, turpi (3) amore deperiit. At vero, ut de criminatione ejusmodi tutius judicare possimus, bonum factum est, DIOGENEM LAËRTIUM Satyro alium ejus rei testem adjunxisse,

(1) Sic, (ne de *διγαμίᾳ* Socraticâ exemplum adferamus,) et Hieronymum Rhodium et Satyrum de accusatione, a Thucydide contra Anaxagoram institutâ, quem Pericles periculo exemerit, ambos prodidisse refert DIOG. LAËRTIUS Lib. II. Segm. 12 et 14. — Satyrum simul cum Hieronymo Rhodio et Aristoxeno testes fuisse adhibitos ab *Auctore Vitae Sophocleae*, supra animadvertimus. — De Empedocle egisse Hieronymum Rhodium, legimus apud DIOGENEM LAËRT. Lib. VIII. Segm. 57. et 58. — Satyrum autem, ibidem Segm. 53. 58. 59. 60.

(2) DIOG. LAËRT. d. l. Segm. 59. Φησὶ δὲ Σάτυρος ἐν τοῖς βίοις, ὅτι καὶ ἰατρὸς ἦν, καὶ ῥήτωρ ἄριστος. — Mox §. 59. τοῦτον (Γοργίαν τὸν Λεοντῖνον) φησὶν ὁ Σάτυρος λέγειν, ὡς αὐτὸς παρείη τῷ Ἐμπεδοκλεῖ γοητεύοντι, κ. τ. λ.

(3) DIOG. LAËRT. d. l. Segm. 60. Ἦν δ᾽ ὁ Παυσανίας (ὥς φησιν Ἀρίστιππος καὶ Σάτυρος) ἐρώμενος αὐτοῦ (τοῦ Ἐμπεδοκλέους) ᾧ δὴ καὶ τὰ περὶ φύσεως προσπεφώνηκεν οὕτως. κ. τ. λ.

Aristippum scilicet! seu impudentissimum calumniatorem, qui sub Aristippi nomine foedissimos scripsit *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς* Commentarios, cujusvis generis probris in excellentissimos ex omni Antiquitate viros adeo refertos, ut Epicurei cujusdam, sub Aristippi nomine latentis, propositum fuisse videatur, lutulenta suorum hominum vitia aliarum sectarum principibus sic adfricare, ut tanquam sues in spurcissimis voluptatum sordibus sese volutasse credantur; qua de re nos supra sententiam dicere (4) meminimus. Universe autem Satyrus in hoc *περὶ τρυφῆς* argumento lubens, similiter atque alii Peripatetici, versatus fuisse apparet. Sic apud ATHENAEUM (5) legimus, quae tum ipse, tum alter Peripateticus, Clearchus Solensis, de luxu et insanâ Dionysii Junioris, Siciliae Tyranni, libidine scripta reliquerunt. Alibi apud eundem (6) de voluptariis Alcibiadis moribus, modestius tamen, egisse noster reperitur. Sed ista leviora sunt et minus forte exprobranda. Alia eaque gravior est offensio, quam Satyro condonare eo minus possumus, quod haecce, uti et calumnia contra Socratem, communis ipsi est cum Aristoxeno aliisque Peripateticis, nata scilicet ex invidiâ istâ et *ζηλοτυπίᾳ*, quâ, detrahere de scholâ Socraticâ perpetuo conati, principem Academiae praecipue insectabantur, tanquam eum, qui, coëmtis veterum Philosophorum et suppressis voluminibus, doctrinâ illorum et laboribus suos auxerit libros, ac dissimulatis auctoribus, tacito Philolai, Democriti, Protagorae, caeterorumque nomine; aliena inventa et cogitata pro suis venditarit: *Λέγουσι δὲ τινες, (ὧν ἐςὶ καὶ Σάτυρος) ὅτι Δίωνι ἐπέςειλεν εἰς Σικελίαν ὠνήσασθαι τρία βιβλία Πυθαγορικὰ παρὰ Φιλολάου μνῶν ἑκατόν· καὶ γὰρ ἐν εὐπορίᾳ, φασὶν, ἦν, παρὰ Διονυσίου λαβὼν ὑπὲρ τὰ ὀγδοήκοντα τάλαντα.* Verba sunt DIOGENIS LAËRTII (7) in *Vitâ Platonis.* Quum autem hanc in Platonem calumniam ad Peripateticos referimus, atque existimamus, non alios secutum esse auctores GELLIUM, quando (8) ait, "memoriae mandatum esse, Platonem Philosophum tenui admodum pecuniâ familiari fuisse, atque eum tamen tres Philolai Pythagorici Libros decem millibus denariûm mercatum; quosdam vero scripsisse, id ei pretium donasse amicum ejus, Dionem Syracusium;" — quum existimamus igitur, hos, qui ea *memoriae tradiderint, scripserintve,* non alios esse nisi Aristotelicos

SECTIO II. §. 17.

Item de Platone.

(4) Hujus Sectionis §. II. pag. 108.

(5) Lib. XII. pag. 541. c.

(6) Lib. XII. pag. 534. B.

(7) Lib. III. Segm. 8.

(8) *Noct. Att.* Lib. III. Cap. 17.

SECTIO II. §. 17. Polyhistoras et (de quibus agimus) *Vitarum* Scriptores, testis iterum est DIOGENES LAËRTIUS, qui in *Vitâ Philolai* (9) Hermippum ejusdem cum Satyro accusationis appellat auctorem: Γέγραφε δὲ Φιλόλαος (inquit) βιβλίον ἓν, ὅ φησιν Ἕρμιππος λέγειν τινὰ τῶν συγγραφέων, Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον παραγενόμενον εἰς Σικελίαν πρὸς Διονύσιον ὠνήσασθαι παρὰ τῶν συγγενῶν τοῦ Φιλολάου, ἀργυρίου Ἀλεξανδρινῶν μνῶν μ΄· καὶ ἐντεῦθεν μεταγεγραφέναι τὸν Τιμαῖον· ἕτεροι δὲ λέγουσι τὸν Πλάτωνα λαβεῖν αὐτὰ παρὰ Διονυσίου, κ. τ. λ. Hermippus autem inter eos est ex disciplinâ Lycei profectos τῶν βίων Auctores, quos in narrandis rebus incredibilibus, sed plerumque parum decoris, foedis etiam et inhonestis, de Viris sapientiae ac virtutis laude claris, nimis libenter ac saepe versatos reperimus, cum Clearcho, Satyro, Hieronymo Rhodio, Aristoxeno conjungendos, — cum Aristoxeno, inquam, qui Platonem suos *de Republicâ* Libros ex Protagorae scriptis compilasse tradidit, uti postea pluribus probabimus. Et qua plerumque auctoritate? quaeso; — aut levi admodum aut nullâ. Id enim hac occasione, velut in transitu, observandum. — Hermippus adfirmaverat, λέγειν τινὰ τῶν συγγραφέων. Sed quis iste τὶς τῶν συγγραφέων? An fide dignus, an calumniae amans, Timon Sillographus vel alius? Quamquam enim Platonis hìc patrocinium suscipere (10) nec vacat, nec lubet, accusatio tamen satis erat gravis, ut testis neque obscurus, neque illaudatus ac sine nomine, ad eam confirmandam produceretur. Verum de isto argumento jam non agimus, ad alia properantes. — Caeterum pauca sunt praeterea, quae de Satyro Peripatetico apud Veteres memorentur (11); quumque ad rem nostram minus pertineant,

De Satyro cognita.

(9) Lib. VIII. Segm. 85.

(10) Non enim ignoramus, quae hac in caussâ de Platone seu potius in Platonem dici possunt: Neque VALCKENAERIO obloquimur, Viro summo, qui in notâ ad nuper editam a nobis *de Aristobulo Iudaeo Alexandrino Diatriben* §. XXII. pag. 65. omnia ex immensâ eruditionis copiâ contulit, quae de hoc fere argumento dici queant: " Et faciunt ista „ (ait) ut divinum Platonem in his etiam credamus saepius ἀνθρώπινα ἁμαρτεῖν, et *homi-* „ *num more fecisse.*" Id unum jure nostro postulare videmur, ut qui fuerint testes, quo in Platonem animo, qua auctoritate, quâ fide, ad severius examen revocemus; Neque enim aut Timon Sillographus, aut Aristoxenus, quorum testimonio Valckenaerius utitur, neque Hermippus etiam, aut quicunque alius ex eâdem sectâ Biographus vel Polyhistor id, me quidem arbitro, efficiunt, quod sola veteris, qui sub Timaei nomine exstat, Libelli efficit lectio, illiusque cum Dialogo Timaei Platonico instituta comparatio.

(11) Pleraque, nisi fallor, quae a Satyro memorata aut scripta apud Veteres, DIOGENEM LAËRTIUM praesertim et ATHENAEUM, exstant, supra retulimus: Acre Glycerae meretricis ad Cynicum Stilponem dictum, *et se et illum ambos juventutis esse corruptores*, ex narratione Satyri ἐν τοῖς βίοις refert ATHENAEUS Lib. XIII. pag. 584. A. Idem Satyrus

missa ista facientes transimus ad alium Διγαμίας Socraticae auctorem, — ad Hieronymum Rhodium, cujus prae duobus accusationis sociis, in proferendo Atheniensium Decreto, cognita et spectata est perseverantia sententiae, dicam, an perfricatae frontis audacia. Quis qualisque fuerit Satyrus, vidimus: Quis qualisque Hieronymus fuerit Rhodius, eâdem operâ ostendamus: Et de utriusque hujus contra Socratem testis fide atque auctoritate constabit.

§. XVIII. *De* Hieronymo Rhodio, *Philosopho Peripatetico et Sophista, disputatur.*

Antiquiorem Satyro Hieronymum fuisse Rhodium, supra (1) a nobis dictum est: Eadem utrique Philosophiam inter ac Philologiam seu Grammaticam anceps fuit disciplina, eadem variarum rerum cognitio, idem πολυμαθείας studium, eadem secta, cuncta denique fere communia, nisi diversa, qua vixerunt, aetas, Hieronymique major in defendendâ Peripateticâ seu potius Aristoxeneâ de *summo bono* sententiâ celebritas famae. Vixit Hieronymus, de quo praeter Gerardum-Ioannem Vossium (2), Ioannem Jonsium (3), et

§. 18. *De* Hieronymo Rhodio, *Peripatetico.*

ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν βίων, auctore Diogene Laërtio Lib. VI. Segm. 80. scripsit, "nihil Diogenem Cynicum literis prodidisse; illasque, quae sub ejus nomine exstarent, parvas Tragoedias, Philisci esse Aeginetae, qui familiaris fuerit Diogenis." Ephoros Lacedaemone a Lycurgo institutos, Diogenes Laërtius in *Chilone* Lib. I. Segm. 68. Sapientum primum fuisse Bianta, idem in hujus Vitâ Lib. I. Segm. 82. ex Satyri testimonio refert. Quae Scholiastes Aristophanis ad *Ranas* v. 73. de Sophocle habet ejusque filio Iophonte, petita illa sunt ex *Vitâ Sophoclis*, quae in fronte Tragoediarum Sophoclearum edi solet, et in qua Satyrum cum sociis Aristoxeno atque Hieronymo, illum quidem ter, testem laudari, supra observavimus. Scriptoribus Latinis, Ciceroni aliisque, Satyrus non adeo cognitus quam duo reliqui fuisse videtur. Neque tamen incognitus fuit Viro infinitae lectionis, Plinio *Majori*: Ubi enim de gemmis agit *Hist. Nat.* Lib. XXXVII. de onyche Indico et de carbunculo Indico Capp. 24. et 25. Satyrum adfert auctorem, quem alium esse ac Polyhistora nostrum ut credamus, nihil caussae video. De Mausoleo Satyrus scripsisse dicitur a Vitruvio in Praef. Lib. VII. pag. 125. ed. Laetii; sed hunc esse Architectum, qui in Aegypto obeliscum rate devexisse dicitur a Plinio *H. N.* Lib. XXXIV. Cap. 14. Num. 4. putat Harduinus ad illum locum.

(1) Hujus Sect. §. XIV. init. pag. 176.

(2) *De Hist. Graecis* Lib. I. Cap. 9. §. 48.

(3) *De Script. Hist. Philos.* Lib. II. Cap. 3. §. 6.

SECTIO II. §. 18. IOANNEM-ALBERTUM FABRICIUM, (4), IOANNES MEURSIUS egit, cum claros ex Insulâ Rhodo viros percenseret (5), — vixit, inquam, Hieronymus Rhodius sub prioribus Ptolemaeis a Sotere seu Lagi filio usque ad medios saltem, quos Philadelphus regnavit, annos. Quamquam enim inter Vossium et Jonsium sex septemve Olympiadum spatium in controversiâ esse videtur, certae satis sunt notae temporum, quibus Peripateticus noster vixisse censeatur. Arcesilao infestus fuit Hieronymus eumque vexare solitus, uti a DIOGENE-LAËRTIO (6) traditum. Idem vero, Apollodorum in Libris Chronicis secutus, auctor est, hunc novae Academiae conditorem circa Olympiada CXX^am^ floruisse (7). Itaque non injuriâ ad aetatem Ptolemaei Lagidae Hieronymus refertur, quandoquidem primus hic Aegypti Rex Macedo diem suum obiit Olympiados CXXIV^ae^ anno primo, qui annus insignis etiam fuit interitu duorum aliorum Regum *τῶν τοῦ Ἀλεξάνδρου διαδόχων*, nempe Lysimachi et Seleuci, Asiae, Macedoniae, ac Syriae Regum (8). Ab alterâ vero parte, teste eodem LAËRTIO (9), novimus, Hieronymo Rhodio inimicitias intercessisse cum Lycone, Peripatetico licet et Lycéi principe, haud minus acerbas quam cum Academico Arcesilao. Lycon autem Stratoni in principatu hujus Scholae ex testamento successit circa Olympiada CXXVII^am^. (10) regnante adeo Philadelpho. Priorem rationem Vossius sequitur, alteram Ionsius, cui calculum MENAGIUS (11) adjecit. Neque tamen, quod et hic et BRUCKERUS (12) inter egregios Duumviros se videre dissidium existimabant, ego inter illos reperio. Sua utrique constat ratio: Nam, quamvis Arcesilas jam floruerit Olympiade CXX^a^ (verbo *ἀκμάζειν* Laërtius utitur) nihil tamen impedit, quo minus cum *παρηκμακότι* novae Academiae auctore vixerit postea Hie-

Qua aetate vixerit.

(4) *Bibl. Graecae* Lib. II. Cap. 19. Vol. I. pag. 680. item in *Catalogo Peripateticorum.* Vol. II. pag. 303.

(5) In *Rhodo* Lib. II. Cap. 10.

(6) Lib. IV. Segm. 41.

(7) Ibid. Segm. 45.

(8) Vid. ED. CORSINI *Fast. Att.* Tomo IV. pag. 80.

(9) Lib. V. Segm. 68.

(10) DIOG. LAËRT. ibid. collato ejusdem Libri Segm. 58. Error typographi, in addendo numero denario, est in BRUCKERI *Hist. Philos.* Vol. I. pag. 845. Vid. etiam CORSINI *Fast. Att.* Tomo IV. pag. 86.

(11) Ad DIOG. LAËRT. Lib. V. Segm. 68. ubi nihili est, quod ait, Vossium de Hieronymo ante Philadelphi tempora egisse.

(12) *Hist. Philosoph.* Vol. I. pag. 859.

ronymus, et minus quidem amice vixerit; Arcesilas enim ultra septuagesimum quartum pervenit (13) aetatis annum: Neque intervallum viginti-octo annorum, quod inter utramque elapsum est temporis notam, longinquum adeo est, ut in subducendis vitae humanae calculis ad aliam quis aetatem pertinuisse propterea sit censendus, quae neque optimo Vossio fuit sententia, scribenti, "Hieronymum, Timoni familiarem, temporibus Philadelphi superfuisse videri." Hoc unum perspicuum est: Quando, nempe, Hieronymus Rhodius ATHENAEO (14) *discipulus Aristotelis* dici videtur, (dummodo reverâ dictus fuerit) ab eo sic tantum vocari potuisse, quod Peripateticae Philosophiae studiosus fuerit (15,) non vero quod Aristotelis auditor; nam, quum Aristoteles, teste LAËRTIO (16), mortuus sit anno tertio Olympiados CXIV^ae^, facile patet, fieri vix potuisse, ut idem Hieronymus, qui Olympiade CXXVII^a^. florebat, superstite adhuc Aristotele jam in Lycéum ventitarit. Theophrasti itaque auditor fuit, aut, quod probabilius videtur, Aristoxeni discipulus et assectator. Tam prope enim in illius vestigiis institit, tam constanter et perpetuo sententias illius probavit, defendit, cumulavit, et adauxit, ut Aristoxenéae disciplinae alumnus magistro per omnia adhaesisse, ejusque exempla imitatus videatur, sicut postea pluribus documentis patebit. Quapropter ab eâ haud procul suspicione absumus, in Athenaei loco, quem modo dicebamus, pro Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος, ἈΡΙΣΤΟΤΕ΄ΛΟΥΣ ὢν μαθητὴς, legendum esse ἈΡΙΣΤΟΞΕ΄ΝΟΥ ὢν μαθητής (17). — Verum, his jam missis, aliud praeterea est indi-

SECTIO II. §. 18.

Aristoxeni discipulus fuit et amicus.

(13) DIOGEN. LAËRT. Lib. IV. Segm. 44.

(14) Lib. X. pag. 424. inf. ubi post ea, quae *Theophrastus* in Libro *de Ebrietate* scripserat, se audivisse de Euripide puero, vinum in Thargeliis ministrante, addit ATHENAEUS: Τὰ αὐτὰ ἱστορεῖ καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος, Ἀριστοτέλους ὢν μαθητὴς, καὶ οὗτος ἐν τῷ περὶ μέθης. Sed, an sana sit aut germana ista lectio est quod vehementer dubitemus.

(15) Hanc JONSII *de Script. Hist. Philosoph.* Lib. II. Cap. 3. §. 6. interpretationem sequuntur MENAGIUS et BRUCKERUS dd. ll.

(16) Lib. V. Segm. 10. Conf. ED. CORSIN. *Fast. Att.* Tomo IV. pag. 53.

(17) Conjectura haec nostra seu suspicio cum temporum rationibus optime convenit. Vixit enim Aristoxenus circa Olympiada CXI. aetate Dionysii Junioris, Syracusarum Tyranni, et aequalis fuit Dicaearchi, ut ex Cicerone, Suidâ, ipsoque Aristoxeno apud Porphyrium novimus. Vid. MAHNII *Diatribam de Aristoxeno* Cap. I. §. 6. Praeterea Theophrasto aemulus de successione in principatu Lycéi contendit, post mortem Aristotelis, Olympiados CXIVae anno tertio. Hieronymus autem Rhodius floruit illo temporis spatio, quod inter Olympiada CXX. et CXXX. intercessit, adeoque Aristoxeni auditor esse potuit tum maxime, quum is, post mortem praeceptoris, e Lycéo discedens, disjunctâ a reliquis Peripateticis disciplinâ, doctrinae variaeque eruditionis famam est consecutus.

SECTIO II. §. 18. cium, quo Hieronymi nostri tempus vitae simul atque indoles et animi ingenium cognoscuntur. Istud autem ingenium, istos Peripatetici mores perscrutari praecipua pars operae nostrae est, ut quae fuerit auctoritas Viri, aut potius quae in dicendo contra Socratem levitas ac fides mala, (quam solus huc usque BENTLEJUS perspexerat,) manifestius demonstretur.

§. XIX. *De odio* HIERONYMI RHODII *erga Arcesilaum Academicum, et Lycona Peripateticum, deque ejus odii caussis.*

§. 19. *De odio Hieronymi erga alios Philosophos.* Verbo dictum a nobis supra est, magnum cum aperto dissidio odium ab Hieronymo Rhodio susceptum fuisse contra Arcesilaum et Lycona, illum novae Academiae, hunc scholae Peripateticae caput. Quae autem hujus tam gravis dissidii et invidiae fuit, — caussa, non dicam, (illam enim in vitiosâ aemulatione positam fuisse, probabile est) — sed quae, inquam, dissidii fuit ratio, quod argumentum? — Ut ea magis perspicue eluceant, ad Historiam illorum temporum est attendendum. — Ab illâ usque aetate, qua sapientiae, eloquentiae, ac poëtices studium in Graeciâ atque Athenis excoli et florere coeperunt, tum alii potentiâ atque opibus insignes Principes et Tyranni, tum Macedonum maxime Rex Archelaus, viros Philosophiae ac literarum laude claros ad se invitarunt, hospitio et mensâ exceperunt, donis et beneficiis cumularunt: De Socrate, de Euripide, quos Archelaus ad se invitavit, res est notissima; neque, ut de Philippo quicquam dicamus, necesse est, cujus erga Isocratem benevolentia, erga Isocratis adversarium Aristotelem gratia et caritas, a nemine, qui Graecae Antiquitatis peritus sit, ignorari possunt. De Callisthene, de Anaxarcho Philosophis, Alexandri Macedonis in Expeditione comitibus, ipsi supra egimus; nec quemquam latet, quam multi Historici, Geographi, rerumve naturalium studiosi, asseclae ejusdem in castris fuerint aut etiam sodales et comessatores. Hoc regis sui atque imperatoris exemplum, quadam velut aemulatione hac etiam in parte contendentes, secuti sunt duces, qui imperium Graeciae, Asiae, Aegypti, atque Orientis, latrociniis paratum, post Alexandri fata, inter se sunt partiti, aut potius, praedae instar, spoliatum dilaniatumque discerpserunt. Illi enim sapientiae magistros sectabantur, colebant, omni officiorum genere plerumque prosequebantur, donis ornabant, conviviis adhibebant, tecto excipiebant,

Sectio II. §. 19.

piebant, quasi ista cum doctoribus continentiae ac virtutis consuetudo ipsorum rapinas, perjuria, incestas nuptias, parricidia, ac cujusvis generis scelera et flagitia, (quot et qualia, tam brevi annorum intervallo, inter Reges ac Principes sanguine, adfinitate, aut communibus periculis junctos, nulla unquam vidit aetas,) — quasi, inquam, ista cum Philosophis consuetudo vitae tot ac tanta crimina et dedecora tegere ac velare aut omnino oblivione delere potuisset. Sic (uno ut exemplo defungamur) instructae Lysimachi mensae ne Hipparchia quidem, Cynica Cynici Cratetis uxor, defuit, cum qua ibi coram omnibus, *ἀνασύρας θοιμάτιον*, sic ludere Theodorus Atheus ausus est (1), ut pudor talem in ipso lupanari, praesentibus aliis, ludum facile prohiberet. Prae reliquis vero Alexandri *διαδόχοις* eorumque *ἐπιγόνοις* isto in Philosophos studio, dicam, an magnificâ et gloriosâ ostentatione benevolentiae, excelluerunt Ptolemaeus uterque, Soter et Philadelphus, atque Antigonus, Demetrii Poliorcetae filius, cognomine Gonatas. Quo apud Philadelphum, Aegypti Regem, loco Peripateticus Strato fuerit, quae dona acceperit (2), jam supra animadversum est: Sed de uno Antigono Gonata potissimum dicendum. Fautor ille ac patronus hominum doctorum, Philosophorum certe, haberi voluit, sic ut Pyrrhus, pugnacissimus ille et fortissimus Epirotarum Rex, id ipsi, homini certe minime bellicoso aut strenuo, vitio dederit dixeritque, *impudentem esse Antigonum Regem, qui regalem purpuram nondum posuisset, nec pro eâ Philosophorum induisset* (3) *pallium*, quamquam idem Pyrrhus tam parum ipse a literis erat alienus, ut, qui Cineam aliosque viros doctos expeditionum suarum haberet comites, Musas egregiis facinoribus bellicis celebrandis ipse media (4) inter arma adhiberet: Sed Antigonus, in depellendis hostibus segnior, in proeliis desertor timidus et ignavus, Athenas quum ventitaret, scholas Zenonis

Alexandri διαδόχοι eorumque ἐπιγόνοι Philosophiae ac Literarum studia adfectarunt.

Praesertim Rex Macedoniae, Antigonus Gonatas.

(1) Diog. Laërt. Lib. VI. Segm. 97. ubi verbum *ἀνασύρειν*, modestius ab Interprete intellectum, melius exposuit Is. Casaubonus, cujus non meminit Io. Toupius in *Epist. Crit. ad Episc. Gloc.* pag. 84.

(2) Vid. Diog. Laërt. Lib. V. Segm. 58.

(3) Ita enim interpretor verba Plutarchi in *Pyrrho* pag. 400. E. Τὸν μὲν Ἀντίγονον ἐφυβρίζων (ὁ Πύῤῥος) ἀναίσχυντον ἐκάλει, μὴ λαμβάνοντα θοιμάτιον, ἀλλ᾽ ἔτι τὴν πορφύραν φοροῦντα. Similiter in loco Diog. Laërt. Lib. VI. Segm. 97. quem modo adtulimus, de Hipparchiâ Philosophâ est, ἀνέσυρε δ᾽ αὐτῆς θοιμάτιον· Et Lib. IX. Segm. 69. de Pyrrhone; Ἀποῤῥίψας (sic ex Codd. legendum) θοιμάτιον διενήξατο τὸν Ἀλφειόν.

(4) Epigramma ibidem Plutarchus refert, quod spoliis post devictos Gallos Pyrrhus inscripsit, elegantissimum sanequam, et qualia perpauca in *Anthologiâ* reperiuntur.

SECTIO II. §. 19.

Zenonis ac Cleanthis idem amicus ac Stoae fautor.

Cittiéi (5), eoque defuncto Cleanthis (6) frequentabat, cui posteriori magnam dedit pecuniae summam; cum priore autem, quem et ad se invitaverat (7), tam familiariter vixit, ut Zeno ille, qui, secundum CICERONEM (8), *omnia, quae ad beatam vitam pertinerent, in unâ virtute poneret, nec quidquam aliud numeraret in bonis, idque appellaret honestum, quod esset simplex quoddam et solum et unum bonum,* — ut idem igitur hic *virtutis verae custos rigidusque satelles* Regi, saepe apud eum convivium facete concelebranti, comes esset in comessationibus intempestivis ad Aristoclem Citharoedum (9), quem Antigonus turpi amore deperibat, neque Philosophus se, nisi procedente como, clanculum subduceret, suae sero disciplinae memor, secundum quam *turpes erant voluptates* (10), *nihil autem, quod turpe foret, erat honestum; austerique sunt sapientes, quod nec cum aliis voluptatis caussâ* (11) *consuescant, neque ipsi aliis voluptatis se caussâ praebeant.* — At vero, si apud primum Stoïcae scholae auctorem tantum vel Regis valuerit caritas, vel, qui Stoae proprius erat, rerum civilium amor, et in procurandis regum civitatiumque negotiis agilitas, — (quare et Persaeus Philosophus, quem Zeno, popularem ac discipulum, sui vicarium (12) Gonatae dederat, arma pro Macedonibus movere non dubitavit, et Corinthiorum arcem pro Tyranno Graecorum contra Aratum, avitae libertatis vindicem, (13) tueri;) — si, inquam, apud Stoae asseclas et Lycéi desertorem,

(5) DIOG. LAËRT. Lib. VII. Segm. 6.

(6) Idem Lib. VII. Segm. 169.

(7) Epistolae Antigoni et Zenonis mutuae (an verae et germanae sint, non ego primus dubito) exstant ibid. Segm. 7 et 8. Mox §. 10. Psephisma refertur, quod, rogante per Legatos Antigono, in honorem Zenonis Athenienses condiderunt.

(8) Academ. Lib. I. Cap. 11.

(9) DIOG. LAËRT. Lib. VII. Segm. 13. Ἦν τε, φασὶν, εὐσυμπερίφορος, ὡς πολλάκις Ἀντίγονον τὸν βασιλέα ἐπικωμάσαι αὐτῷ, καὶ πρὸς Ἀριστοκλέα τὸν κιθαρῳδὸν ἅμα αὐτῷ ἐλθεῖν ἐπὶ κῶμον, εἶτα μέντοι ὑποδῦναι. — In quibus omnibus Diogenes Antigonum Carystium, quem paulo ante laudaverat, auctorem secutus est, uti patet conferenti ATHENAEUM Lib. XIII. pag. 603. E.

(10) DIOG. LAËRT. Lib. VII. Segm. 104.

(11) Ibid. Segm. 117.

(12) Ibid. Segm. 6 et 9. ubi Persaeum floruisse Olymp. CXXX. ait. Conf. CORSIN. *Fast. Att.* Tom. IV. pag. 91.

(13) Vid. PAUSANIAM in *Corinth.* seu Lib. II. Cap. 8. in *Achaïcis* seu Lib. VII. Cap. 8. PLUTARCHUM in *Arato* pag. 1034. in f. et pag. 1037. F. quorum ille Persaeum in istâ Acropoleos Corinthiacae expugnatione periisse, hic Cenchreas elapsum refert; idque confirmat

Hieronymum Rhodium, tantum valuit Antigoni et Macedonum gratia; non eadem Academiae et Lycei tum temporis principibus, Arcesilao ac Lyconi, propria fuit facilitas aut potius levitas, qua sese temporibus accommodarent, non idem placendi studium, non eadem dignitatis suae et gravitatis negligentia. Praeter Regis mores erant certe et alia, quae utrique in Antigono ac Macedonibus displicerent. Postquam Pyrrhus, ad suscipienda temere bella invadendasque regiones furiis velut actus, in urbe Argivorum misere occubuisset, Antigonus, tanto metu liberatus, et Graeciae facile subigendae jamjam occasionem nactus, bellum Atheniensibus intulit, ac, classe Ptolemaei atque Areo Rege cum Spartanorum copiis in tutiora se recipientibus, civitatem Atticam in deditionem accepit, praesidiumque tum Urbi tum Piraeeo (14) imposuit. (Evenerunt autem haec Olympiados CXXVIIIae anno circiter primo vel secundo.) Neque a Macedonum jugo liberati fuerunt Athenienses, nisi post elapsos viginti-quatuor ferme annos, quando Aratus (15), Achaeorum Praetor, antiquam illam Graeciam, sed quae a pristinâ virtute jam dudum defecerat, in libertatem vindicavit. Hanc tamen, quam ipsi interim Athenienses patienter ferebant, servitutem consuetudine suâ cum Tyranno probare noluerunt Arcesilaus ac Lyco, *αὐτονομίαν* illius civitatis desiderantes, in qua, ipsi quidem peregrini, Aeolide ac Troade advenae, studium tamen sapientiae, quae ab adulatione remota est quam longissime, libere profitebantur. Lyconem nihilo minus magni faciebat Antigonus, suavitatem in dicendo, propter quam Γλυκὼν, addito nomini Γ, a nonnullis dicebatur, tanto opere admiratus, ut hunc dulcissimae eloquentiae fructum, ne quid odoris sapo-

SECTIO II. §. 19.

Arcesilaus ac Lyco ab Antigono alieniores.

dicto aliquo ipsius Persaei, quod melius intelligi potest, si conferatur ATHENAEUS Lib. IV. pag. 162. C. D. E. Atque ex eodem hoc Athenaei loco perspicitur etiam, quam dignus iste fuerit Persaeus Citiensis, Zenonis Stoici civis, discipulus, et amicus, qui cum Hieronymo Rhodio similibusque, ex Philosophiâ ad Voluptatem ac delicias transfugis, intimâ Antigoni Gonatae amicitiâ ac benevolentiâ uteretur: Quippe qui ex praeceptoris sui Zenonis (severi illius Stoicorum parentis, quis credat!) atque Cynici Stilponis Commentariis *Convivales* congesserit *Dialogos*, in quibus praeter alia quaerit, " quando, deliciarum „ caussâ, formosi pueri formosaeque puellae in convivium sint admittendi." — Talibus, scilicet, Philosophis gaudere solent Principum aulae! — Addi meretur alter ATHENAEI locus Lib. VI. pag. 251. B. — Conf. CORSIN. *Fast. Att.* ad Olymp. CXXXIV. Tom. IV. pag. 94.

(14) Vid. JUSTINUM Lib. XXVI. Cap. 2. PAUSAN. in *Lacon.* seu Lib. III. Cap. 6.

(15) Vid. PLUTARCHUM in *Arato* pag. 1043. A. E. PAUSAN. in *Corinth.* d. l.

SECTIO II. §. 19. risve amitteret, ab ipsâ arbore decerpendum (16) existimaret: Igitur, ut Lyco ad se veniret suoque hospitio uteretur, vehementer desideravit (17), sed voto non est potitus: Quippe idem Lyconi atque Arcesilao sensus erat, idem judicium, *qui liber palatium Regis intrasset, famulum inde pedem esse relaturum;* quod si de aulis universe dici poterat, tum certe verum erat de illo Rege, qui se dominum militesque suos praesidiarios in cervicibus liberrimae quondam civitatis imposuisset. Idcirco (LAËRTII (18) fere sunt verba,) " cum multi Antigonum obsequio colerent, et Athenas ventitantem, salu-,, tandi gratiâ, saepius adirent, Arcesilaus domi se continuit, nihil admit-,, tere cupiens, quo aliqua inter se Regemque notitia exstaret. Hierocle

(16) DIOG. LAËRT. Lib. V. Segm. 65, 66.

(17) Legitur apud DIOG. LAËRT. Lib. V. Segm. 67. Ἐπειράθη δ' αὐτὸν σχεῖν καὶ Ἀντίοχος, ἀλλ' οὐκ ἔτυχεν. Syriae regnum istâ, de qua agimus, aetate tenebat, fateor, Antiochus, primi Seleuci filius, cui et Soteris fuit cognomen. Sed, uti Syriae Reges universe, inter omnes Alexandri διαδόχους eorumque ἐπιγόνους, minime cogniti sunt benevolentiâ ac studio erga literas literatosque, sic de Antiocho Sotere non liquet, illum unquam Philosophiae eximie favisse. De Antigono, uti vidimus, contra est: Pallio is aptior, quam solio ac diademati, haud sine ratione Pyrrho videbatur. Ipse autem de Lycone judicabat, ἐπ' αὐτοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καθάπερ ἐπὶ τοῦ δένδρου, τῶν λεγομένων ἕκαστον δεῖν θεωρεῖσθαι. Igitur, his consideratis, itemque iis quae de anniversario Halcyonei festo apud Diogenem sequuntur, et de quibus mox verbo dicemus, existimo, corrigendum esse Laërtii locum, et pro ἈΝΤΊΟΧΟΣ legendum esse ἈΝΤΊΓΟΝΟΣ· — Ἐπειράθη δ' αὐτὸν σχεῖν καὶ ἈΝΤΊΓΟΝΟΣ, ἀλλ' οὐκ ἔτυχεν.

(18) Lib. IV. Segm. 39. quem locum cum curâ tractavit Vir elegantis doctrinae, IGNATIUS ROSSIUS in *Comment. Laërt.* pag. 72. seqq. a quo tamen hic et illic est quod dissentiamus, praesertim in interpretandis postremis ejus loci verbis: Ἀλλ' οὖν ὅμως ὑπὲρ τῆς πατρίδος εἰς Δημητριάδα ἐπρέσβευσε πρὸς Ἀντίγονον, καὶ οὐκ ἐπέτυχε. Vertit Rossius: *Sed etiam legatus pro patriâ ad Antigonum Demetriadem profectus, nec ipsum convenit.* Priores, Aldobrandinus, Ambrosius, Meibomius, interpretati sunt, *nec quidquam profecit* vel *absque effectu rediit,* quemadmodum et Hadrianus Iunius in HESYCHIO MILESIO, hunc locum exscribenti: *Nihil obtinuit:* Et recte; sic enim in alio etiam loco, quem modo adtulimus. Ἐπειράθη δ' αὐτὸν σχεῖν καὶ Ἀντίγονος, ἀλλ' οὐκ ἔτυχεν. — Τυγχάνειν et ἐπιτυγχάνειν, *voto potiri, rem quaesitam consequi,* locutio est frequentissima, unde ἐπιτυχής, *qui feliciter res suas agit, et, quae desiderat, consequitur.* Eodem plane modo est apud SEXTUM EMPIR. Lib. *adv. Mathem.* §. 276. pag. 276. de Sostrato, quem Ptolemaeus Philadelphus Legatum ad Antigonum miserat, quique, Homericâ admonitione feliciter usus, quod petebat, obtinuit: Σώστρατος γὰρ, ὥς φασιν, ἀποσταλεὶς ὑπὸ Πτολεμαίου πρὸς τὸν Ἀντίγονον, βασιλικῆς τινος ἕνεκα χρείας, κἀκείνου εἰκαιότερον ἀποκρινομένου, ἐπέτυχεν εἰπών· Οὕτω δὴ κέλεαι κ. τ. λ. Ταῦτα γὰρ ἀκούσας Ἀντίγονος μετεβάλλετο.

„ tamen, qui Munychiam ac Piraeeum praesidio regio tenebat, amico ute- „ batur valde familiariter: Illum festis diebus frequenter invisebat. Quin „ aliquando Hierocli gratificatus in Piraeëo commoratus est, ad propositas „ quaestiones disputaturus. Hic itaque Regis Praefectus illum adsiduo cum „ aliis adhortabatur, ut Antigonum officiose salutatum conveniret; neque „ tamen id ab illo impetravit: Nam, cum monitis amici obtemperans ad „ januam aulae jam pervenisset, consilii Arcesilaum poenituit, et re infectâ „ domum est reversus. Pariterque, cum proelio navali Antigonus victoriam „ retulisset," [tum forte cum Patroclus, classis Aegyptiacae dux, sese pugnae contra classem Macedonum subduxisset,] " multi hanc ei fortunam „ praesentes, alii literis, sunt gratulati: Solus conticuit Arcesilaus. Quum „ nihilo minus pro Patriâ aliquando gratia Regis esset quaerenda, legatione „ ad Antigonum fungi Arcesilaus non detrectavit, eo tamen eventu ut voto „ minime potiretur." — Verum, qui amicitiam Macedonum et Gonatae adspernabantur, utpote in quibus duros spectabant Athenarum dominos, illi tamen non pervicaces adeo erant aut odiose superbi, ut favorem virorum principum omnino fastidirent, dummodo ii essent, quorum gratia sine dedecore et pudore accipi aut laudari posset. Tales erant Pergami Dynastae: Nam, quum caeteri spoliorum Macedonicorum participes, Antipater, Lysimachus, Antigonus, Seleucus, Ptolemaeus, quique ab iis sunt orti, per caedes et sanguinem, per bella, proditiones, perjuria, parricidia, atque incestas nuptias, ad summam potentiam ac divitias grassarentur, Philetaerus Eunuchus Pergami moderatum sine scelere imperium (19) condidit, cujus, donec literarum amor manebit, nunquam interibit gloria. Ergo Eumenis atque Attali (sive priores hi fuerint et Philetaeri fratres, sive priorum filii, quique unus post alterum Philetaero patruo in regno successerunt,) Pergamenorum Dynastarum amicitiam et Lyco coluit et Arcesilaus. " Eumeni atque Attalo „ iisque, qui cum his erant conjuncti, carus Lyco fuit, ut nemo alius, „ quare et in ipsum pereximia eorum fuit munificentia." DIOGENIS LAËRTII (20) sunt verba, mox adjicientis, frustra Lyconem ab Antigono, (ut equidem legendum existimo) fuisse desideratum. Pariter de Arcesilao haec

SECTIO II. §. 19.

Iidem contra amici Pergami Dynastis.

(19) In tantâ enim caedium ac direptionum licentiâ crimen haud fuisse videtur gazâ, quam occumbens Lysimachus reliquerat, bene uti, quo viris bonis ac literarum amantibus asylum Pergami aperiretur. Vid. STRABONEM Lib. XIII. pag. 720. PAUSAN. in *Att.* seu Lib. I. Cap. 8. et 10.

(20) Lib. V. Segm. 67.

SECTIO II. §. 19. apud eundem Scriptorem reperiuntur: "Eumenem Philetaeri multa Arcesilao „ liberaliter subministrasse, quare cum hoc, ex omnibus Regibus solo, lite„ rarum sermonisque (21) junxit consuetudinem." Quin et elegantissimum LAËRTIUS Epigramma ad nos servavit, quo, in gratiam Attali, futuram Pergami gloriam Arcesilaus celebrabat; nam, qui, secundum CICERONEM (22), *uti Ti. Gracchus optimae Reip. otium perturbavit, sic constitutam evertit Philosophiam*, idem ille non tantum eximio usus est dicendi lepore, sed et feliciter Poëticam (23) attigit. — Verum, ut eo redeamus, unde, argumenti dulcedine illecti, paulisper deflleximus, — ad Hieronymum nempe nostrum

(21) DIOG. LAËRT. Lid. IV. Segm. 38.

(22) In *Lucullo* seu *Acad.* Lib. II. Cap. 5.

(23) Exstat geminum idque elegantissimum Arcesilai Epigramma apud LAËRTIUM Lib. IV. Segm. 30, 31. quae tractavit IGNATIUS ROSSIUS *Commentationum Laertianarum* pag. 63. seqq. Verum, quum vitium, quod alteri horum Epigrammatum insidere nobis quidem videtur, acumen Viri ingeniosi effugerit, nimis secure in interpretatione Casauboniană acquiescentis, venia nobis detur, si severius argumentum mitiori Criticâ hic etiam, uti alias, aliquantisper exhilaremus. Arcesilai Epigramma est εἰς Μηνόδωρον, τὸν Εὐδάμου ἑνὸς τῶν συσχολαςῶν ἐρώμενον.

> Τηλοῦ μὲν Φρυγίη, τηλοῦ δ' ἱερὴ Θυάτειρα,
> Ὦ Μηνόδωρε, σὴ πατρὶς Καδανάδη.
> Ἀλλὰ γὰρ εἰς Ἀχέροντα, τὸν οὐ φατὸν, ἶσα κέλευθα,
> Ὥς ΔΕΙΝΟ'Σ ἀνδρῶν, πάντοθεν μετρεύμενα.
> Σῆμα δὲ τοι τόδ' ἔρεξεν ἀριφραδὲς Εὔδαμος, ᾧ σὺ
> Πολλῶν πενεςέων ἦσθα προσφιλέςερος.

De priore disticho hic nihil dicemus: Sed, in altero, quae, precor, haec est locutio? ὡς δεινὸς ἀνδρῶν. "Dëest, inquit Casaubonus, verbum ἔφη vel ἀπεφήνατο, ut passim in „ citandis Auctoribus fieri solet. Videtur autem Anaxagoras primus hujus dicti auctor, „ ut quidem placet Ciceroni et Laërtio; vel Aristippus, ut est apud Stobaeum, quem „ vide περὶ ξένης." Et ita etiam Rossius: *Ut ait vir sapiens, (Anaxagoras.)* At vero sic δεινὸς, simpliciter per se positum, erit *sapiens*, δεινὸς τὴν γνώμην vel τὴν σοφίαν, et δεινὸς ἀνδρῶν, erit *unus aliquis ex viris sapientibus?* Equidem vix credo; et legere malim.

> Ἀλλὰ γὰρ εἰς Ἀχέροντα, τὸν οὐ φατὸν, ἶσα κέλευθα,
> Ὥς ΑἾΝΟΣ ἀνδρῶν, πάντοθεν μετρεύμενα.

> *Namque aequis spatiis infandi Acherontis ad undas,*
> *Proverbium ut fert, undique via panditur.*

Corruptela Epigrammatis ab eo orta est, qui veterem vocis αἶνος potestatem non meminerat. Apud HOMERUM est *Od.* Ξ. v. 508.

Rhodium, — non tulit is (24) Lyconis atque Arcesilai in alias omnino partes discessionem aspernationemque Antigoni Regis, cui Pergami Dynastas illi palam anteponebant: Namque Hieronymus, hac etiam in parte Scholae suae desertor, cum Zenone ac Stoicis inter asseclas erat Gonatae et assentatores: Mittebat Hieronymo quotannis Gonatas magnifica munera ac pecuniam, quibus epulas appararet ad agendum Halcyonei diem natalem. Erat autem Halcyoneus Antigoni filius, quem ex crudeli post occisum Pyrrhum laetitiâ

SECTIO II. §. 19.

Hierônymus Rhodius Arcesilao et Lyconi inimicus.

Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφης, Εὔμαιε συβῶτα.
Ὦ γέρον, αἶνος μέν τοι ἀμύμων, ὃν κατέλεξας,
Οὐδέ τι παρὰ μοῖραν ἔπος νηκερδὲς ἔειπες.

Ad quem locum, *δῆλον δὲ*, inquit EUSTATHIUS, *ὅτι αἶνος παρὰ τοῖς Παλαιοῖς· οὐ μόνον ἔπαινος, ἐξ οὗ πολύαινος Ὀδυσσεὺς, — ἀλλὰ καὶ λόγος συμβολικὸς ἐκ μύθου ἢ ἱστορίας περιπέτειαν ἔχων παραινετικήν.* Ista significatio perspicua est, quum fabulam de accipitre et lusciniâ *αἶνον* vocat HESIODUS *Op. et D.* v. 200.

Νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσ' ἐρέω φρονέουσι καὶ αὐτοῖς.

ubi MOSCHOPULUS et PROCLUS notant: *Αἶνος ὁ παροιμιώδης λόγος, ὁ ἐπὶ παραινέσει λεγόμενος.* Neque tantum sententia, quae ad mores pertineat, *αἶνος* est, sed dictum quodcunque, proverbii locum habens. Ex usu Veterum scripsit THEOCRITUS Id. XIV. v. 43.

Αἶνος θήν λέγεταί τις, ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν·

et recte ibidem Scholiastes: *Παροιμία ἐστὶν, ἐπὶ τῶν μὴ ἀναστρεφόντων.* Paroemia etiam erat, ab hac mortali vitâ non aliena:

—— Atri Acherontis ad undas
Omnibus e terris panditur aequa via.

(24) Neque solus ex Polyhistoribus ac *Vitarum* Scriptoribus Peripateticis Hieronymus Rhodius fuisse videtur, qui de lectissimo Virorum pari, Lycone atque Arcesilao, famam minus secundam ad posteros propagare voluisse videatur. Conferenda sunt inter se, quae Hermippus refert de nimiâ Lyconis in vestitu munditie atque elegantiâ, item de ejus aequiparandâ nulli mollitie, apud DIOG. LAËRT. Lib. V. Segm. 67. tum quae idem narraverit de Arcesilao, qui, quum mero se ingurgitasset, inde in furorem inciderit, atque ex furore in mortem: Quare et nullum mihi dubium est, quin ab eodem Hermippo profecta sint, quae apud LAËRTIUM reperiuntur de luxuriâ Arcesilai, qui propterea alter Aristippus sit appellatus, de ejus consuetudine cum scortis Eliensibus, tum quod esset *φιλομειράκιός τις καὶ καταφερής*, ut eum ex Aristonis Chii scholâ Stoici dixerint *φθορέα τῶν νέων καὶ κιναιδολόγον*. Vid. Lib. IV. Segm. 39. et 44. Nihil prorsus est in talibus *αἰσχρολογίαις* apud Diogenem, quod non Hieronymum Rhodium, Hermippum, Clearchum, Sotiona, — aliquem denique ex Peripateticorum *βιογράφων* numero auctorem habeat. Illa vero, quae de libidine ac luxuriâ, potius quam de liberalitate ac magnificentiâ, Lyconis Troadensis narrat ATHENAEUS Lib. XII. pag. 547. et 548. ex Antigono Carystio sunt petita, quem et de Lycone testem citat DIOG. LAËRT. Lib. V. Segm. 67.

SECTIO II. §. 19. tempestivâque patris objurgatione (25) novimus. Ad hoc convivium annuum apud Hieronymum omnes, qui Athenis commorabantur, Philosophi vocari consueverant: Solus illuc non aderat (26) Lycon, seu quod convivium aversaretur, Macedonicis sumtibus instructum, seu quod tantum esset inter duos Peripateticos, Hieronymum et Lycona, odium, (quod LAËRTIUS existimat) ut alter alterius limen transire mensaeque nollet accumbere. Rigidus minus magisque facilis Arcesilaus invitationi haud dëerat, sed comitatis humanitatisque non aliud ferebat praemium, nisi convivarum in ipsum jocos, structasque per occultam simultatem (27) insidias: Nam, tametsi ipse Peripateticae scholae princeps Theophrastus (28) hospitalitatem eximie laudasset et commendasset, haud veritus est Hieronymus Rhodius, virum doctrinae humanitatisque laude insignem, violatis mensae hospitalis juribus, contemto Jove *Ξενιῳ*, procacibus minusque sobriis convivis deridendum propinare: Quibus tamen jocis cachinnisque immotus Arcesilaus placide reposuit et sine irâ; cumque eum aliquando Aridelus quidam propositâ quaestione lacessivisset, (quales quaestiones temulenti sapientiae magistri inter pocula ponere solebant) urgenti, ut illam solveret, homini leniter et sedate respondit, *hunc etiam Philosophiae fructum esse potissimum, ut singula singulis temporibus convenientia quis nosset:* Eandemque animi tranquillitatem et generosi pectoris candorem Arcesilaus Hieronymo demonstravit, quando desultorius aliquis Academiae alumnus in castra hujus Peripatetici, voluptati tam amica, ut ab hortis Epicuri parum distare viderentur, transfuga se recipere vellet: Hunc enim juvenem, insulâ Chio oriundum, ad adversarium ipse suum deduxit, utque modestiâ novo se praeceptori commendatum redderet, adhortatus est: Itaque aberat procul ab eorum consuetudine, qui aemulationem suam haud magis produnt, quam quando adolescentes discendi cupidos et studiorum amore inflammatos auctoritate suâ prohibent, ne aliorum, quos oderunt aut quibus invident, unquam scholas adeant. Arcesilaus contra discipulis suis auctor erat, ut et alios, praeter se, sapientiae magistros audirent; quod ne Hieronymum Rhodium vicissim fecisse credamus, invida viri vetat indoles, de qua ulterius dicendum.

§. XX. *De*

(25) Vid. PLUTARCHUM in *Pyrrho*, versus finem, (Tom. I. Opp. pag. 406, A. B.)
(26) DIOG. LAËRT. Lib. V. Segm. 68.
(27) Idem Lib. IV. Segm. 41. seqq.
(28) CICER. *de Off.* Lib. II. Cap. 18.

§. XX. *De disjunctione* Hieronymi Rhodii *ab aliis Philosophis, in rebus ad eorum disciplinam pertinentibus.*

Sectio II. §. 20.

Hieronymus Rhodius in re Philosophicâ ab aliis disjunctus.

Quod si istius dissidii Hieronymùm Rhodium inter et Arcesilaum ac Lycona rationem ulterius exquiramus, non in solo erga hunc illumve Regem studio aut in propensione versus has illasve in Rep. partes ea caussa reperietur, sed in ipsâ quoque disciplinâ, quamquam (uti plerumque inter diversas Philosophorum veterum, forte etiam nostrae aetatis, scholas) de nominibus magis quam de rebus animose concertaverint. Animadvertimus supra, in istâ erga Macedonas atque Antigonum Gonatam observantiâ, cum Hieronymo Rhodio contra Arcesilaum et Lycona stetisse Stoïcos: Sed, ut studiis civilibus, sic etiam sententiis de vero, de certo, de opinionibus, de fine bonorum, de summo bono, aliisque quaestionibus Philosophicis, Zeno ab utroque dissensit: Et Cicero quidem, qui alio loco id *obtrectandi* (1) voluntate factum scripsit, alibi tamen existimat, *Arcesilaum cum Zenone sibi omne certamen instituisse, non pertinaciâ aut studio vincendi* (2), *sed earum rerum obscuritate, quae ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem.* Haec eadem disciplinae Socraticae renovatio praecipua odii Hieronymum inter et Arcesilaum occasio fuisse videtur, quamquam fuerunt et aliae ejus odii caussae, ad aemulationem Hieronymi erga Arcesilaum, haud minus quam erga Lycona, referendae: Et Lycon quidem tertius post Theophrastum et Stratonem, in principatu Lycéi, Aristoteli successerat. Idcirco fieri non potuit, ut qui Aristoxeni discipulus foret et sectator praecipuus, quique adeo in alterâ istâ Peripateticorum scholâ jam esset princeps, quae a Lycéo, etiam sententiis, discesserat, Lyconi non esset aemulus et infensus. Arcesilas similiter Theophrasto carus fuerat et inter praestantissimos (3) auditores habi-

(1) In *Lucullo* seu *Academ.* Lib. II. Cap. 5. et 6.

(2) *Academ.* Lib. I. Cap. 13. ubi vid. est Io. Davisius. Nescio autem, cur in hac etiam Editione Davisianâ repudiata sit conjectura, quam cum dudum fecissem, vidi jam ante duo saecula proditam a M. Ant. Mureto, nequicquam dissentiente Petro Fabro Arverno. Confirmatur illa egregie altero *Academicorum* loco, nempe in *Lucullo* seu Lib. II. Cap. 5. *Similiter vos cum perturbare, ut illi Rempublicam, sic vos Philosophiam bene jam constitutam velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem, Xenophanem, Platonem etiam et Socratem profertis.* Caeterum alibi quoque Cicero (*Acad.* Lib. II. Cap. 24.) contrariam exponit sententiam, *Arcesilam non obtrectandi caussâ cum Zenone pugnavisse, sed verum invenire voluisse.*

(3) Diog. Laërt. Lib. IV. Segm. 30.

SECTIO II. §. 20. *Arcesilai diversa ab illo ratio.*

tus, sic ut illius in Academiam ad Crantora transitum aegre tulisse feratur. Sed gravior etiam contra Arcesilaum invidentia Hieronymum stimulabat; istam dico invidentiam, quae jam ab Aristotelis aetate plerosque Peripateticos contra Socraticos aeque et Isocratéos, contra Platonis discipulos et Rhetoris principis amatores, velut incendebat. Πρῶτος (Ἀρκεσίλαος) τὸν λόγον ἐκίνησε τὸν ὑπὸ Πλάτωνος παραδεδόμενον, ut merito DIOGENES ait (4) LAËRTIUS, καὶ ἐποίησε δι' ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως ἐριστικώτερον· Verum non a Platone incepit ista philosophandi ratio, quae confessione ignorationis continetur: Socratis illa fuit, qui, ut CICERONIS (5) iterum verbis utamur, *percunctando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones, quibuscum disserebat, ut ad haec, quae hi respondissent, si quid videretur, diceret; qui mos* (Tullium porro sequimur) *cum a posterioribus Academicis non esset retentus, Arcesilas eum revocavit. — Incubuit autem* (6) *in eas disputationes, ut doceret, nullum tale esse visum a vero, ut non ejusmodi etiam a falso posset esse. Falsa autem* (7) *cum a veris non distarent, quod judicium esset veri,* quaerebat, *cum esset commune falsi.* — Atque ex istis argumentis illa necessario nata est ἐποχή, id est, *adsensionis retentio*, in qua omnium optime sibi constitit Arcesilas. — At vero displicebat illa Peripateticis, Hieronymo maxime, qui cum praeterea Arcesilao parum amicus esset, librum scripsit περὶ ἐποχῆς, in quo non tantum propriam istam et solemnem novae Academiae retentionem adsensionis oppugnasse et vituperasse, sed de veteri etiam Academiâ et disciplinâ Socraticâ, quantum poterat, detraxisse videtur. DIOGENES saltem LAËRTIUS (8) istum περὶ ἐποχῆς Commentarium in testimonium vocat, ut servilem Phaedonis conditionem probet eo libelli loco, quo hunc tanto opere dilectum Socrati familiarem Rhodius noster censurâ vexaverat, quam censuram et ab alio ejusdem ingenii viro Phaedo expertus est. De Timone Phliasio loquor, qui, ut DIOGENIS LAËRTII (9) verbis utar, reliquos Socraticos arrodens et carpens, ne Phaedonem quidem dentis sui expertem praetermisit. — Διὰ ταῦτα δὲ καὶ περὶ αὐτοῦ (Εὐκλείδου) ταῦτά φησι Τίμων, προσπαρατρώγων καὶ τοὺς λοιποὺς Σωκρατικούς.

Contra Arcesilai ἐποχὴν scripsit Hieronymus Rhodius.

(4) Ibid. Segm. 28.
(5) *De Finibus* Lib. II. Cap. 1.
(6) *Acad.* Lib. II. Cap. 24. in f.
(7) Ibid. Cap. 18. med.
(8) Lib. II. Segm. 105.
(9) Ibid. Segm. 107.

Sectio II. §. 20.

'Αλλ' οὔ μοι τούτων Φλεδόνων μέλει, οὐδὲ γὰρ ἄλλου
Οὐδενὸς, οὐ Φαίδωνος, ὅτις γέ μεν, οὐδ' ἐριδάντεω
Εὐκλείδου, Μεγαρεῦσιν ὃς ἔμβαλε λύσσαν ἐρισμοῦ.

Atque hujus in vellicandis maledico morsu Socraticis, Phaedone praesertim, Hieronymum inter et Timonem consensûs facile ego caussam reperirem, si mihi satis constaret, vere a Gerardo-Ioanne Vossio scriptum esse (10), Sillographum Rhodii nostri fuisse familiarem. Sunt sane, quae id suadeant, plures caussae, tum communis utrique benevolentia Antigoni Gonatae et favor, tum commune itidem in Socratem ac Socraticos odium, tum denique amicum prorsus et benignum alterius de altero judicium. Et primo quidem, quod ad postremum hoc argumentum pertinet, referente post alios Laërtio, solitus erat Hieronymus de illo dicere, (nam de Phliasio ibi sermonem esse, non de Misanthropo Atheniensi, ex ipsis rebus patet, quamquam minus opportuna alterius eodem loco incidat mentio) — dicebat igitur de Sillographo (11) Hieronymus, " ut apud Scythas fugiendo alii, alii persequendo, ,, arcum tenderent, sic et Philosophorum complures instando discipulos ,, venari, nonnullos fugiendo, in quorum posteriorum numero Timon maxime ,, censeretur." — Sed, quamvis is esset Timon, qui Bacchum Minervae, pocula studio sapientiae longe praeferret, inter eum tamen Regesque Antigonum et Ptolemaeum Philadelphum (12) notitia fuit; quae favoris ac gratiae, apud Gonatam maxime, communio consociationi inter Hieronymum et Timonem novum quasi vinculum addidisse videtur, hac quoque in re conspicuum, quod uterque Arcesilaum, Antigono etiam et Stoicis invisum, pari odio sint prosecuti, licet mutatus deinde a pristinâ simultate Phliasius instauratae Academiae principem (13) laudasse feratur. Universe autem (nescio an fallamur) observasse nobis videmur, nulli magis Philosophorum sectae Timonem pepercisse quam Peripateticae, sic ut inter tot e *Sillis* illius Fragmenta, quae apud Plutarchum, Sextum Empiricum, Athenaeum, Diogenem praesertim Laërtium, aliosve supersunt, vix unus aut alter Sillus reperiatur, ubi Aristoteles leviter tangatur, aut quisquam ex illius scholâ aculeis petatur, sive id consuetudini hujus hominis mordacissimi cum nonnullis e Lycéo

Hieronymi Rhodii cum Timone Phliasio conjunctio.

Sillographus Peripateticis amicior.

(10) *De Hist. Graecis* Lib. I. Cap. 9. §. 48.

(11) Diog. Laërt. Lib. IX. Segm. 112.

(12) Ibid. Segm. 110.

(13) Diog. Laërt. Lib. IX. Segm. 114

SECTIO II. §. 20. Philologis, qui Athenis aut Alexandriae vivebant, sive alii cuicunque demum caussae sit tribuendum. A Socrate et disciplinâ Socraticâ ambo, et Hieronymus et Timon, fuerunt alieni, in Socratem iniqui ambo, talesque ut quae de homine sapientissimo, disciplinae moralis auctore, ad posteros retulerunt, nullam plane fidem mereantur. Sed de hac Hieronymi quidem Rhodii malitiâ deinceps pluribus erit dicendum, postquam quae illius fuerit philosophandi ratio, et quam illa intemperantiae ac vitiis, nisi indulserit, alimenta saltem subministraverit, a nobis fuerit demonstratum: Quod dum agimus, eâdem operâ de Philosophiâ Aristoxeni disputabimus, tum quod Hieronymus, quam ab Aristoxeno praeceptore acceperat, disciplinam ornasse videatur, tum quia ex ipsâ disquisitione, qualem ambo hi Socratis accusatores philosophandi viam sint secuti, manifestius fore existimamus, ab ejusmodi Viris non inexspectatam accidere debere, quam cum Bentlejo dicimus, *in Socratem calumniam*. Qui igitur in studio sapientiae fuerint ARISTOXENUS MUSICUS atque HIERONYMUS RHODIUS, auctore praesertim CICERONE, videamus.

§. XXI. *De Philosophiâ* ARISTOXENI *et* HIERONYMI RHODII.

§. 21. *Quae fuerit* ARISTOXENI *et* HIERONYMI RHODII *Philosophia.*

Postquam Socrates Philosophiam a rebus occultis ipsâque naturâ involutis ad vitam communem adduxisset, facta deinceps est, quod ipse minime probabat, ars quaedam Philosophiae, et rerum ordo, et descriptio disciplinae, ita ut jam triplex philosophandi foret ratio, quarum prima quum de vitâ et moribus ageret, reliquae vero tum in naturâ rebusque occultis, tum in disserendo de vero et falso, versarentur, nulla nobilior erat quaestio, quam de summo ac naturali bono, ad quod omnia referrentur. Quam quidem quaestionem etiamsi diversae ac dissentientes inter se Sectae sic disceptarent, ut, rebus congruentes, nominibus magis differre viderentur, unum tamen in istâ disputatione *de fine bonorum* ac *voluptate* erat discrimen, quod verum esse atque in ipsâ re positum quivis intelligat, hoc nimirum, ut virtutem atque honestatem alii dicerent a fine bonorum segregari, alii honestatem cum eo conjungi oportere, alii denique summum istud bonum in decore totum, id est, honestate reperiri. Quum TULLIUS pluribus locis (1),

(1) *De Finibus* Lib. II. Cap. 11. Lib. V. Cap. 7. et 25. *Lucullo* seu *Academ.* Lib. II. Cap. 42. et 43. *Tusc. Disp.* Lib. II. Cap. 6. De primo autem horum locorum, quos ex Libris

Sectio II. §. 21.

Hieronymus Rhodius *virtutem a fine bonorum segregavit.*

Indolentia illi summum bonum.

seu in Libris *de Finibus*, seu in *Academicis* ac *Tusculanis Disputationibus*, contrarias hasce Philosophorum sententias enumerat, sibi perpetuo in hoc (2) constat, ut Rhodium Hieronymum inter eos censeat, qui (3) *virtutem a bonorum fine segregaverint:* Qua quidem in disjunctione quamvis ita ab Aristippo Epicuroque hic differret, ut illi summum bonum in voluptate sensuum, Hieronymus in *vacuitate doloris* sive *indolentiâ* poneret, jure tamen ac merito ait Cicero (4), se nescire, cur illam *non dolendi voluptatem* Rhodius hic noster, quique cum eo sentirent, *voluptatem* Latine, Graece ἡδονὴν non adpellarent; quemadmodum ab alterâ parte, si idem Epicurus (5) diceret quod Hieronymus, existimans summum bonum esse sine molestiâ vivere, rogat Tullius, cur adpellare *voluptatem* Epicurus malit quam *vacuitatem doloris.* Adeo enim proximae sibi invicem (6) esse videbantur illa Hieronymi ἡδονὴ nihil dolentis seu *voluptas in stabilitate,* atque haec *dulcis* Aristippi (7) *voluptas in motu,* ut utramque Epicurus, sinon verbis,

de Finibus excitavimus, non possum quin expromam suspicionem, aliquid inde, et de Hieronymo quidem, excidisse. Tres erant sententiae, uti ex sequentibus patebit, eorum, „ qui finem bonorum statuebant expertem esse honestatis; unus finis Aristippi vel Epicuri, „ alter Hieronymi, Carneadis tertius, ut Aristippo voluptas, Hieronymo doloris vacuitas, „ Carneadi frui principiis naturalibus esset extremum." Conf. *Academ.* Lib. II. Cap. 42. *de Finibus* Lib. V. Cap. 7. Necesse est igitur, ut in iis, quae praecesserant *de Finibus* Lib. II. Cap. 11. post illa, *Aristippo simplex voluptas*, Hieronyméa *vacuitas doloris* etiam fuerit memorata, nisi sub *Aristippéâ voluptate* illic comprehensam dicamus. Conf. Sexti Empir. *Pyrrh. Hypot.* Lib. III. §. 175. pag. 170.

(2) *De Finibus* Lib. II. Capp. 3. 5. 7.

(3) *De Finibus* Lib. IV. Cap. 18.

(4) Ibid. Lib. II. Cap. 3. in f.

(5) Ibid. Lib. II. Cap. 5.

(6) *De vacuitate doloris eadem fere dici solent quae de voluptate. — Igitur, — quae contra voluptatem dicta sunt, eadem fere cadunt contra vacuitatem doloris. Nec vero alia sunt quaerenda contra Carneadéam illam sententiam. Quocunque enim modo summum bonum sic exponitur, ut id vacet honestate, nec officia, nec virtutes in eâ ratione, nec amicitia constare possunt.* Cic. *de Fin.* Lib. V. Cap. 8.

(7) Vid. Cicer. *de Fin.* Lib. II. Capp. 3. 6. et 10. in f. quo cum loco conferendus omnino est Clem. Alex. *Strom.* Lib. II. Cap. 21. pag. 495. 25. ed. Pott. eumque pro more secutus Theodoretus *Therap.* Serm. XI. pag. 152. ed. Sylb. Ο᾽ δὲ Ἐπίκουρος, inquit Clemens, *καὶ τὴν τῆς ἀλγηδόνος ὑπεξαίρεσιν ἡδονὴν εἶναι λέγει, αἱρετὸν δὲ εἶναι φησὶν, ὃ πρῶτον ἐξ ἑαυτοῦ ἐφ᾽ ἑαυτὸ ἐπισπᾶται· πάντως δηλονότι ἐν κινήσει ὑπάρχον· — ὅ τε Ἱερώνυμος ὁ Περιπατητικὸς, τέλος μὲν εἶναι, τὸ ἀοχλήτως ζῆν· τελικὸν δὲ ἀγαθὸν μόνον, τὴν εὐδαιμονίαν.* Vid. Potter. ad istum

SECTIO II. §. 21. *seu voluptas in stabilitate.*

re tamen, conjungens testificaretur (8), " ne intelligere quidem se posse, ubi „ sit aut quid sit ullum bonum, praeter illud quod cibo et potione et aurium „ delectatione et obscoenâ voluptate capiatur;" et recte quidem, judice eodem TULLIO (9), cum status ille non dolendi nullum haberet ictum, quo pelleret animum, atque adeo ista indolentiae voluptas, duce naturâ, a nullis animantibus expeteretur, ita ut, si in eâ solâ Hieronymus finem bonorum poneret, in hoc eodem peccaret. Ac profecto, si verbis quidem illum finem in indolentiâ posuit, rebus et factis Hieronymus voluptatem istam *in motu* quaesivit, haud minus quam Aristippus aut Aristoxenus, uti deinceps ipsis eorum verbis demonstrabitur. Idcirco ne dubitavit quidem is, quem sequimur, — CICERO Hieronymum atque Epicurum conjungere tanquam eos, qui omne sapientiae studium everterent. — " Quid censes (inquit) eos esse „ facturos, qui (10) *omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt,* Epi„ curum, Hieronymum, illos etiam si qui Carneadéum finem tueri volunt:" Item in *Tusculanis* (11) *Disputationibus:* " Haec *eadem quae Epicurus, toti„ dem verbis dicit et Hieronymus.* Quod si hi Philosophi, quorum ea sen„ tentia est, ut *virtus per se ipsa nihil valeat,* omneque quod *honestum* „ nos et *laudabile* esse dicimus, id illi *cassum quiddam et inani vocis sono* „ *decoratum* esse dicant; et tamen semper beatum esse censent sapientem, „ quid tandem a Socrate et Platone profectis Philosophis faciendum vides." — Tandemque, quandoquidem qui sic nervos virtutis inciderent, omnesque eliderent artus sapientiae, illi fundamenta Philosophiae eâdem operâ evellerent,

Hieronymus Philosophi nomine indignus.

quaerit alicubi (12) CICERO, cur illum *Philosophi* nomine amplius adpellet. " Praetereo, inquit, multos, in his doctûm hominem et suavem, Hierony„ mum, quem jam cur *Peripateticum* adpellem, nescio: *Summum* enim „ *bonum* exposuit *vacuitatem doloris:* Qui autem de *summo bono* dissentit, „ de *totâ Philosophiae ratione* dissentit." —

locum, et de Aristippéâ *voluptate in motu*, quam cum Hieronyméâ *voluptate in stabilitate* conjungebat Epicurus, DIOG. LAËRT. Lib. X. Segm. 136. Lib. II. Segm. 89. ibique Interpp. ut et GASSENDUM ad priorem locum, item ATHENAEUM Lib. XII. pag. 546. D.

(8) Vid. CIC. *de Fin.* Lib. II. Cap. 3. *Tusc. Disp.* Lib. III. Cap. 18. et ad utrumque locum IO. DAVISIUS; DIOG. LAËRT. Lib. X. Segm. 6. ibique MENAGIUS.

(9) *De Finib.* Lib. II. Cap. 10.

(10) Ibid. Lib. IV. Cap. 18.

(11) Lib. V. Cap. 41.

(12) *De Finibus* Lib. V. Cap. 5.

Quod si Rhodium nostrum, ipsa sapientiae principia non labefactantem tantum sed evertentem, Tullius nesciat cur jam amplius *Peripateticum* adpellet, de Aristoxeno etiam pejus est, quem Philosophorum Choro expellit prorsus et ad artem suam Musicam, cujus praeclarus magister exstitit, docendam ablegat. Tametsi enim haud constet, Aristippéam illum vel Epicuréam de voluptate sententiam fuisse professum, non opus etiam fuit, ut is de dolore vel de beatitudine aut felicitate omnino disputaret, qui cum altero Peripatetico, et sententiis et aetate conjunctissimo, ne sensit quidem *animum* se habere, atque *animam* nihil aliud dixit esse nisi harmoniam quandam corporis, membraque ipsâ compage suâ et velut concentu vim sentiendi habentia. " *Aristoxenus Musicus* (13) *idemque Philosophus ipsius corporis intentionem quamdam* (censet;) *velut in cantu et fidibus, quae harmonia dicitur, sic ex corporis totius naturâ et figurâ varios motus cieri, tanquam in cantu sonos.*" — Et (14) mox idem CICERO: " *Dicaearchum vero cum Aristoxeno aequali et condiscipulo suo, doctos sane homines, omittamus; quorum alter ne condoluisse quidem unquam videtur, qui animum se habere non sentiat; alter ita delectatur suis cantibus, ut eos etiam ad haec transferre conetur. — Sed hic quidem, quamvis eruditus sit, sicut est, haec magistro concedat Aristoteli; canere ipse doceat: Bene enim illo Graecorum proverbio praecipitur:*

Quam quisque novit artem, in hac se exerceat.

SECTIO II. §. 21. *Aristoxeni Philosophia Hieronyméâ etiam pejor.*

Animum essenegavit.

Ut et socius illius Dicaearchus.

En igitur utrumque hunc Socratis accusatorem ac disciplinae Socraticae acerrimum adversarium, qui et virtutem et virtutis fundamentum praecipuum, animum immortalem, ex rerum naturâ funditus tollant, omnemque ex societate hominum radicitus extrahant religionem, in qua tamen religione unicum illius societatis est vinculum, unica miseriarum humanarum levatio! Quid enim si *doloris vacuitas* sola est ad stabilem felicitatem via? Quid, si nihil prorsus animi bene factorum conscii tranquillitas? Quid si ne animus quidem est, ac totum hoc nomen inane, ita ut vis omnis, qua vel agamus quid, vel sentiamus, a corpore non sit separabilis, omninoque sit nulla? — Ab iis, qui sic sentiunt, cuncta quaevis exspectes, — in viros etiam optimos, in virtutem ipsam perfidas, dummodo has sibi et ad suam gloriam utiles existiment, impudentesque calumnias!

Quae istiusmodi hominibus fides.

(13) *Tusc. Disp.* Lib. I. Cap. 10. ubi vid. DAVISIUS.
(14) Ibid. Lib. I. Cap. 18.

SECTIO II. §. 22.

§. XXII. *Virtutem cassum quiddam esse, ex animi sententiâ a Socratis accusatoribus,* ARISTOXENO *et* HIERONYMO RHODIO, *scriptum demonstratur.*

Virtutis contemtores ARISTOXENUS *et* HIERONYMUS RHODIUS.

Neque est, quod quisquam sibi persuadeat, ejusmodi opiniones ad scholas tantum pertinuisse, ad vitam vero communem aut mores nunquam ab istis Duumviris fuisse translatas. Quid in vitâ egerint seu Aristoxenus, seu Hieronymus, quomodo vixerint, difficile dictu est, cum perpauca noverimus de eorum fortunâ ac fatis. Quid vero de moribus scripserint, quae praecepta reliquerint, est in propatulo. Exstat apud ATHENAEUM (1) luculento sane, perspicuo et dulci, sed impuro, stylo conscripta ab Aristoxeno *Voluptatis laudatio*, — non illius tantum Voluptatis, quae ἀταραξίᾳ vel εὐροίᾳ βίου continetur, quamque sub Democritéo τῆς Εὐεςοῦς nomine in hortis Epicuri colebant, sed foedissimae istius et in mores legesque contumeliosissimae, quae omnem ex vitâ humanâ exstirpet quietem, omnem εὐταξίαν, omne decorum, ipsamque adeo humanitatem. — Ἐμοὶ μὲν, ὦ ἄνδρες, πολλάκις ἤδη πεφήνεν ἐπισκοποῦντι κομιδῇ τὸ τῶν ἀρετῶν τούτων κατασκεύασμα, καὶ πολὺ τῆς φύσεως ἀφεξικὸς εἶναι· Ἡ γὰρ φύσις, ὅταν φθέγγηται τὴν ἑαυτῆς φωνὴν, ἀκολουθεῖν κελεύει ταῖς ἡδοναῖς, καὶ τοῦτο φησὶν εἶναι νοῦν ἔχοντος· τό δὲ ἀντιτείνειν καὶ καταδουλοῦσθαι τὰς ἐπιθυμίας (ita enim vere summus HEMSTERHUSIUS hunc locum emendavit,) οὔτε εὔφρονος, οὔτε εὐτυχοῦς, οὔτε ξυνιέντος εἶναι, τίς ποτε ἐςὶν ἡ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως σύςασις· τεκμήριον δ' ἰσχυρὸν εἶναι, τὸ πάντας ἀνθρώπους, ὅταν ἐξουσίας ἐπιλάβωνται μέγεθος ἀξιόχρεων ἐχούσης, ἐπὶ τὰς σωματικὰς ἡδονὰς καταφέρεσθαι, καὶ τοῦτο νομίζειν τέλος εἶναι τῆς ἐξουσίας, τὰ δ' ἄλλα πάντα σχεδὸν, ἁπλῶς εἰπεῖν, ἐν παρέργων (sic pro παρέργῳ corrigebat Magnus VALCKENAERIUS) τίθεσθαι χώρᾳ. — Nec satis erat Voluptatem sic velut in solio collocasse, eique tanquam blandissimae dominae omnem hominis praestantiam subjecisse. *In Voluptatis regno* (inquit (2) CICERO) *Virtus non potest consistere.* Igitur Virtus cum ipsis Legibus erat exturbanda. — Οἱ δὲ νομοθέται — (sic longior disputatio concluditur —) ὁμαλίζειν βουληθέντες τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, καὶ μηδένα πως πολιτῶν τρυφᾶν, ἀνακύψαι πεποιήκασι τὸ τῶν ἀρετῶν εἶδος· καὶ ἔγραψαν νόμους περὶ συναλλαγμάτων καὶ τῶν ἄλλων,

Luxuriosae voluptatis laudator Aristoxenus.

καὶ

(1) Lib. XII. Cap. 12. pag. 545. Vid. Diatr. *de Aristoxeno* Cap. II. §. 17. pag. 61. seqq.

(2) *De Senectute* Cap. 12.

καὶ ὅσα ἐδόκει πρὸς τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν ἀναγκαῖα εἶναι, καὶ δὴ καὶ περὶ ἐσθῆτος καὶ τῆς λοιπῆς διαίτης, ὅπως ᾖ ὁμαλής. Πολεμούντων οὖν τῶν νομοθετῶν τῷ τῆς πλεονεξίας γένει, πρῶτον μὲν ὁ περὶ τὴν δικαιοσύνην ἔπαινος ηὐξήθη, καί πού τις καὶ ποιητὴς ἐφθέγξατο, Δικαιοσύνας τὸ χρύσεον πρόσωπον, καὶ πάλιν, Τὸ χρύσεον ὄμμα τὸ τᾶς Δίκας. Ἀπεθεώθη δὲ καὶ αὐτὸ τὸ τῆς Δίκης ὄνομα· ὥστε παρ' ἐνίοις καὶ βωμοὺς καὶ θυσίας γίνεσθαι Δίκης. μετὰ ταύτην δὲ καὶ σωφροσύνην, καὶ ἐγκράτειαν ἐπεισεκώμασαν, καὶ πλεονεξίαν ἐκάλεσαν τὴν ἐν ἀπολαύσεσιν ὑπεροχήν· ὥστε τὸν πειθαρχοῦντα τοῖς νόμοις, καὶ τῇ τῶν πολλῶν φήμῃ, μετριάζειν περὶ τὰς σωματικὰς ἡδονάς. — Proh pudor! — Talia scilicet, licet Philosophia vitiorum expultrix Tullio vere dicatur, in Vitâ tamen Philosophi, ex continentissimâ Pythagorae disciplinâ profecti, alter narrat Philosophus, civis ejus, — in *Vitâ* nempe *Archytae* Tarentini Aristoxenus. — " Ecquis „ (inquit Doct. Mahne) majorem cognoscendi Archytae copiam posteritati „ facere poterat, quam ipsius civis? aut a quo accuratior *virtutum descriptio* „ exspectanda erat quam a viro, qui earum magnitudinem perciperet, et „ in se ipse (3) agnosceret." — Optandum certe foret, ut haec virtutum descriptio, concinne, eleganter, et suaviter (quemadmodum is scribere solebat) ab Aristoxeno literis consignata, saeculorum stragem evasisset. Quin Athenaeo propemodum irascor, qui, dum pro more liberalis est in exhibendis omnibus iis, quae ad vitia spectent ac delicias, pluresque enumerat, etiam Philosophos, qui luxuriose vixerint, aut *ἀσωτίαν* moribus scriptisve commendaverint, non tantum illos neglexit, qui virtutis et continentiae fuerint laudatores, sed hanc praesertim Aristoxeno fecit injuriam, ut contrarium, sub Archytae personâ habitum contra *blandissimam* Medorum, Persarum, ac Siculorum *dominam*, plane omiserit sermonem. Ejusmodi certe *τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς εὐκοσμίας* defensio adversus luxuriae atque intemperantiae patronum, scito et rotundo Aristoxeni stilo elaborata, haud minus placuisset quam dilucida ipsius de laude vitiorum praedicatio. — Estne igitur ista Athenaei non Aristoxeni culpa, quod orationem *pro Voluptate* sine adjunctâ responsione, qua *Virtutis* caussa agatur, jamjam legimus? Equidem serio vellem id adfirmari potuisse; vellem, ut Aristoxenum Temperantiae etiam disertum fuisse laudatorem alicunde constaret; vellem, suspicioni nullus esset locus, qua quis forte existimet, *voluptarium* hunc Polyarchum (sic enim *τὸν ἡδυπαθῆ* interpretamur) luxuriae ac libidinis tam vere fuisse praedicatorem, quam vere quondam Aristippus, conscripto editoque

Sectio II. §. 22.

(3) Diatr. *de Aristoxeno* §. XIV. pag. 57.

Sectio II. §. 22.

libro, Xenocratis aliorumque veterum Sapientum narravit delicias, aut quam vere vel Laïs vel Astyanassa Veneris depinxit gaudia ac varias concubitus formas; vellem (sine ambagibus enim loquamur, et sententiam nostram libere expromamus) — vellem, ut probabile minus esset, id egisse Aristoxenum, quod olim Idomeneus aliusve quispiam ex hortis Epicuri voluptatis assecla sub nomine egit Philosophi Cyrenaïci, aut quod sub personâ famosarum meretricum unus aut alter genio suo ac calamo indulgens Asotus; — vellem, credere non liceret, eodem prorsus modo Aristoxenum suam ipsius sententiam animi expromere voluisse ore atque habitu Polyarchi, nescio cujus, hominis per omnem Antiquitatem incogniti, nisi idem ille fuerit, cujus insanam AElianus (4) nobis retulit libidinem et in prosequendis canum gallorumque, quos amabat, exsequiis stultitiam: Vellem haec omnia; sed, ne ab hujusmodi dubitatione adhucdum me abduci patiar, facit Peripatetici nostri ratio philosophandi, parum diversa ab ea, qua socius illius et amicus Dicaearchus Pherecratem quemdam Phthiotam confinxit (5) senem, a Deucalione ortum, ita disserentem, ut *nihil omnino animum esse* adfirmaret, et *hoc esse nomen totum inane.* Quidni eodem colore similique sub larvâ Aristoxenéus Polyarchus disputaverit, *nihil omnino esse Virtutem, nihil Justitiam, nihil Temperantiam et Continentiam, nisi vanam umbram et nomina ad compescendos cives a legislatoribus inventa atque usurpata?* Larvam saltem coloremve non videtur quaesivisse alter Peripateticus, Aristoxeni discipulus, de quo agimus, cum in eo esset, ut perniciosissimam generi humano, turpissimamque simul et maxime nefariam, libidinem commendaret, quasi illa ad salutem Reip. faceret. Testimonium Graece referamus.

Aristoxenus ἀσωτίας *laudator.*

Ἱερώνυμος δὲ ὁ Περιπατητικὸς περισπουδάστους φησὶ γενέσθαι τοὺς τῶν παίδων ἔρωτας, ὅτι πολλάκις ἡ τῶν νέων ἀκμὴ, καὶ τὸ πρὸς ἀλλήλους ἑταιρικὸν συμφρονῆσαν, πολλὰς τυραννίδας καθεῖλε· παίδων (leg. παιδικῶν) γὰρ παρόντων, ἐραστὴς πᾶν ὅ, τι οὖν ἕλοιτ' ἂν παθεῖν, ἢ δειλοῦ δόξαν ἀπενέγκασθαι παρὰ τοῖς παιδικοῖς. Ἔργῳ γοῦν τοῦτο ἔδειξεν ὁ συνταχθεὶς Θήβησιν ὑπὸ Ἐπαμεινώνδου ἱερὸς λόχος, καὶ ὁ κατὰ τῶν Πεισιστρατιδῶν θάνατος ὑπὸ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος γενόμενος, περὶ Σικελίαν δ' ἐν Ἀκράγαντι ὁ Χαρίτωνος καὶ Μελανίππου. — Verba sunt Athenaei (6), eruditionem suam *utiliter* (proh pudor!) adhibentis, ut demonstret, ὅτι ὅλως τοὺς παιδικοὺς ἔρωτας τῶν ἐπὶ ταῖς

Hieronymus Rhodius παιδεραστίας *patronus.*

(4) *Var. Hist.* Lib. VIII. Cap. 4.

(5) Vid. Cic. *Tusc. Disp.* Lib. I. Cap. 10.

(6) Lib. XIII. pag. 602. A.

SECTIO II. §. 22.

θηλείαις προκρίνουσι πολλοὶ, καὶ παρὰ ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος σπουδασθῆναι τόδε τὸ ἔθος. — Quam praestabat Hieronymo Peripatetico, verbis quidem summum bonum in vacuitate doloris, rebus autem ipsis ἐν τῇ κινήσει ἡδονικῇ quaerenti, — quam praestabat nitido isti Rhodio sordidus caeteroquin et spurcus Cynicus Diogenes, qui, adolescentulum videns euntem ad coenam cum hominibus, quorum vita voluptatibus et divitiis adfluebat, misellum (7) ab istâ consortione abstraxit et parentibus custodiendum tradidit; — qui alium monuit, cessaret τὰ δείγματα τοῦ πασχητιῶντος περιφέρων (8); — cui denique, cum formoso puero colluctanti, διεκινήθη (9) πῶς τὸ αἰδοῖον· τοῦ δὲ παιδὸς φοβηθέντος καὶ ἀποπηδήσαντος, Θάῤῥει, inquit, ὦ παιδίον, οὐκ εἰμὶ ταύτῃ ὅμοιος. — Neque tamen haec turpitudo, ut probrosum flagitium Philosophus tueretur, omnibus e scholâ Peripateticâ communis fuit, quandoquidem CICERONIS (10) testimonio novimus, Dicaearchum, eundem illum qui cum Aristoxeno principia virtutis tollebat, tam procul tamen ab isto dedecore abfuisse, quo auctoritatem nefando amori tribueret, ut ipsum propterea Platonem, sanequam in ejusmodi temere nimis sermonibus ludentem, accusaret, Peripateticum quidem morem in exagitando Platone, non tamen hîc prorsus sine caussâ, secutus. —— Enimvero Rhodius Hieronymus in hisce sordibus libenter versatus videtur, et in eo argumento praecipuus Athenaeo auctor exstitit: Quocirca satis ei non fuit foedo amori patrocinium praestare, nisi et alios in ejusdem flagitii societatem pertraheret. Itaque Sophoclem formosi pueri narravit corruptorem, et ne Sophoclem quidem solum; sed castissimum quoque Euripidem in illius sceleris communionem seu potius suspicionem adduxit. Ἱερώνυμος δὲ ὁ Ῥόδιος, ait (11) ATHENAEUS, ἐν τοῖς ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν φησὶν, ὅτι Σοφοκλῆς εὐπρεπῆ παῖδα ἔξω τοῦ τείχους ἀπήγαγε, χρησόμενος αὐτῷ, κ. τ. λ. Mox, post lepidam sed spurcam narrationem, ὡς δὲ εἰκὸς (pergit secundum Athenaeum Hieronymus) διαλαληθέντος τοῦ συμβεβηκότος, Εὐριπίδης πυθόμενος καὶ ἐπιτωθάζων τὸ γεγονὸς, καὶ αὐτός ποτε ἔφη τούτῳ κεχρῆσθαι τῷ παιδὶ,

Diogenes Cynicus ejusdem turpitudinis osor.

Ab eo itidem dedecore alienus Dicaearchus.

Aliis easdem sordes adfricuit Hieronymus.

(7) Vid. DIOG. LAËRT. Lib. VI. Segm. 46.

(8) Vid. DIOG. LAËRT. ibid. Segm. 47.

(9) Rem narrat DEMETRIUS PHALEREUS, qui dicitur, περὶ ἑρμηνείας §. 273.

(10) *Tusc. Disp.* Lib. IV. Cap. 33.

(11) Lib. XIII. pag. 604. — Huc quoque referimus, quod narrat Hieronymus Rhodius apud PLUTARCHUM in *Agesilao* p. 603. quasi et fortissimus hic Spartae Rex ἐρώμενον habuisset: Hic vero quum aeger decumberet, castra autem celeriter aliorsum movere Agesilaus cogeretur, puero se derelictum desertumque quiritanti, et, ne Rex abiret, obsecranti, ille, si Hieronymo fides, responderit: ὡς χαλεπὸν ἐλεεῖν ἅμα καὶ φρονεῖν.

SECTIO II. §. 22.

ἀλλὰ μηδὲν προσθῆναι, τὸν δὲ Σοφοκλέα διὰ τὴν ἀκολασίαν καταφρονηθῆναι· quam ab Euripide illatam sibi injuriam Sophocles acri Epigrammate vindicaverit: Ἀλλ' *οὐκ ἐγὼ τὶς ταχυπειθής.* Id vero unum ex isto aliisque Peripatetici Rhodii Fragmentis colligitur, morem sectae suae, seu Polyhistorum cum Lycéo conjunctorum, ab illo fuisse servatum, ut, Vitas Virorum illustrium describens, turpitudinis magis atque infamiae notam illis inureret, probra quaevis de iis referendo, quam vitia tegendo laudes eorum et egregias animi dotes posteris propagaret. Isthuc quoque pertinet alia narratio, quam his verbis refert ATHENAEUS (12): *Φιλογύνης δ' ἦν καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητής. Ἱερώνυμος γοῦν ἐν ἱςορικοῖς ὑπομνήμασι φησὶ οὕτως, εἰπόντος Σοφοκλεῖ τινός, ὅτι μισογύνης ἐςὶν Εὐριπίδης, ἔνγε ταῖς τραγῳδίαις, ἔφη ὁ Σοφοκλῆς, ἐπεὶ ἔνγε τῇ κλίνῃ φιλογύνης.* Quibus ex testimoniis seu fragmentis satis constat, quis Hieronymo in Euripidem, quin et in Sophoclem fuerit animus, idem qui praeceptori ipsius Aristoxeno, cui fidem propterea denegat Scholiastes, Vitae Sophocléae auctor: Σοφοκλῆς, inquit, *τὸ μὲν γένος ἦν Ἀθηναῖος, υἱὸς δὲ Σοφίλου, ὃς οὔτε, ὡς Ἀριςόξενος φησὶ, τέκτων ἢ χαλκεὺς ἦν.* Nimirum Sophocli, viro praecipuis muneribus in Rep. Atticâ perfuncto, humilitas atque obscuritas parentum vel exprobranda vel tribuenda erat, ut Socrati quoque patrem fuisse statuarium, ipsumque etiam juvenem statuariae arti operam dicasse, ab Aristoxeno aliisque velut probro datum est. — Sed haec potius pertinent ad declarandam animi indolem, quae utrique fuit Peripatetico, eorumque in scribendo ingenium, de quo jam nonnulla sunt adjicienda.

Hieronymus Euripidi et Sophocli infensus.

§. XXIII. *De ingenio et auctoritate* HIERONYMI RHODII, *ut et de fide, quam meretur in Historiâ.*

§. 23. *De ingenio, auctoritate, et fide Historicâ* HIERONYMI RHODII.

IO. MATTHIAS GESNERUS, in Commentatione Göttingensi, quam *Socratem Sanctum Paederastam* inscripsit, " BENTLEJO, ait, et HARDIONIO sine ,, ullâ dubitatione se subscripturum esse, totum istud de *duabus Socratis* ,, *uxoribus*, quin de *Lege maritali*, falsum esse dicentibus, nisi provocaret ,, ATHENAEUS ad Decretum ab HIERONYMO RHODIO conservatum, Aristo- ,, telis discipulo, Philosopho eodem et Historico: Sed (inquit Vir optimus) ,, cum *hodie ne conjecturae quidem via* de illius INGENIO *ac* FIDE super-

(12) Lib. XIII. pag. 557. E.

„ sit, illud (1) de maritali Lege negare non ausim equidem." — Igitur, cum Joanni-Matthiae Gesnero, Viro certe in literis versatissimo, talia viderentur, operae pretium nos facturos existimamus, si istam non tantum aperiamus *conjecturae viam*, sed certam probationem adferamus, qua constet, quale Hieronymo Rhodio *ingenium*, quae fuerit *fides*, id est, si planum faciamus, ingenium viro fuisse a dolo non alienum, quoties falsum dicendum esset, ut quos carpere et calumniari vellet, tuto carperet et calumniaretur; sique adeo ostendamus, nullam eum in Historiâ mereri fidem, sed potius, nisi pro homine fraudulento, saltem pro commentitiarum fabellarum auctore habendum. — Atque illud quidem ex iis, quae hactenus disputavimus, partim jam apparere arbitramur, demonstratâ ipsius in Euripidem, in Sophoclem, in Arcesilaum, in Lyconem Peripateticum, in Phaedonem Socraticum, in ipsum denique Socratem maledicentiâ: Sed, si fabellae commentitiae ab Hieronymo Rhodio pro verâ, ut videtur, traditae quis velit exemplum, dabit hoc Diogenes Laërtius (2), qui Polyhistorem istum, haud minus frequenter quam Athenaeus, auctorem sequitur. Retulit igitur Hieronymus, " Pythagoram, quum ad inferos descendisset, vidisse ibi „ animam Hesiodi, quae columnae aereae vinculis erat adligata, dentiumque „ stridore cruciatus suos atque aegritudinem declarabat; vidisse itidem ani- „ mam Homeri ab arbore suspensam, et a serpentibus illam circumdantibus „ adpetitam, utroque sic poenam pendente eorum, quae de Diis con- „ finxerant." Pythagoreïs licuerit, quin ipsi Porphyrio, divini sui, quem putabant, magistri θαυματουργήματα extollere et pro veris venditare: Philosopho, ex disciplinâ Lycéi profecto, talia serio narranti, fides bona defuisse videtur. Sed, nimirum, Peripateticis istius classis, quam saepius memoravimus, qui πολυϊςορίαν ac πολυμαθίαν adfectabant, tam in more positum fuit, τὰ μυθώδη literis consignare et in iis velut aetatem terere, ut falsa tandem et conficta quaecunque eodem loco ac vera habuisse videantur. Sic quae fuerit Herculi statura corporis, quae facies, quis vultus, Hieronymus Rhodius, item Peripateticus alter, summus praeceptoris Aristoxeni amicus, Dicaearchus, tam bene noverunt ac si ipsi inter Argonautas fuissent, aut cum Alcmenae filio in Oetâ versati. — Ἱερώνυμος δὲ (3) ὁ φιλόσοφος καὶ τὴν

Sectio II. §. 23.

Putidarum fabellarum scriptor Hieronymus Rhodius.

(1) *De Socrate S. Paed.* in f. p. 54.

(2) Lib. VIII. Segm. 21.

(3) Clemens Alex. in *Protrept.* Tom. I. Opp. pag. 26. 26. ed. Pott.

Sectio II. §. 23.

σχέσιν αὐτοῦ ὑφηγεῖται τοῦ σώματος, μικρὸν (μακρὸν ex Aulo Gellio (4) probat Sylburgius,) *φριξότριχα, ῥωξικόν· Δικαίαρχος δὲ σχιζίαν, νευρώδη, μέλανα, γρυπὸν, ὑποχαροπὸν, τετανότριχα.* —

Atque haec quidem pertinent ad istud Mythologiae studium, quod supra etiam (5) in Satyro spectavimus: Sed indoles Hieronymi, tanquam doli mali capax, propius cognoscitur ex testimonio Ciceronis, quod miror Vossium, Jonsium, aliosque effugisse, praesertim Gesnerum, qui illius saltem loci non recordabatur, cum scriberet, " de ingenio ac fide Rhodii nostri ne ,, *conjecturae* quidem viam hodie superesse." — " *Sed quaeritur,* inquit (6) Cicero, *quo numero aut quibus potissimum sit utendum. Incidere vero omnes in orationem, etiam ex hoc intelligi potest, quod versus saepe in oratione per imprudentiam dicimus,* (*quod vehementer est vitiosum; sed non attendimus, neque exaudimus nosmet ipsos:*) *Senarios vero et Hipponactéos effugere vix possumus: Magnam enim partem ex jambis nostra constat oratio: Sed tamen eos versus facile agnoscit auditor; sunt enim usitatissimi. Inculcamus autem per imprudentiam saepe etiam minus usitatos, sed tamen versus; vitiosum genus et longá animi provisione fugiendum. Elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse versus Hieronymus, Peripateticus inprimis nobilis, plerosque senarios, sed etiam anapaesta, quo quid potest esse turpius? etsi in eligendo* FECIT MALITIOSE: *Primá enim syllabá demtá in primo verbo sententiae, postremum ad verbum primam rursus syllabam adjunxit insequentis. Ita factus est anapaestus is, qui Aristophanéus nominatur; quod ne accidat, observari nec potest, nec necesse est. Sed tamen hic corrector, in eo ipso loco, quo reprehendit,* (*ut a me animadversum est studiose inquirente in eum*) *immittit imprudens ipse senarium.*" — En igitur Virum! en illum, quem nos calumniam in Socratem, ab Aristoxeno praeceptore vulgatam, malâ fide per falsum testimonium probare conatum, Bentlejum secuti, adseverare ausimus! en illum, quem Cicero, in aliâ pariter caussâ, *malitiose fecisse* testatur, quin etiam imprudenter et stulte, cum, quod in alio vitium reprehendebat, in eo ipso loco iniquus corrector committeret: Sed hoc minimum est: Magna culpa est in *malitiá*, major etiam in *malitiae caussá.* Quae enim illa caussa fuit? Odium scilicet, et prava Peripateticorum erga Isocratem cupiditas.

Odium Hieronymi, ut Peripatetici, in Isocratem.

(4) Lib. I. Cap. 1.

(5) Sectione II. §. 14. pag. 177.

(6) In *Orat.* Cap. 56.

Sectio II §. 23.

Observavimus enim supra (7), non tantum inimicitias Isocratem inter et Aristotelem maximas fuisse, sed istas inimicitias deinceps, praesertim eâ, qua Aristoxenus et Hieronymus vixerunt, aetate inter Lycéum ac Scholam Isocratis propagatas fuisse. Huic odio et cupiditati indulgens Hieronymus Rhodius id facere non est veritus, quod a viro probo et cordato fuisset alienissimum, et, ut leve in Isocrate vitium importuna censura vexaret, disjungere quae fuerant conjungenda, conjungere quae fuerant disjungenda. — Jam aequos rogamus rerum existimatores, an ab ejusmodi *malitiâ animi* abhorreat, (nam *malitiosum* Hieronymum vere appellat Cicero) — an a viro, inquam, malitioso remota adeo sit suspicio doli, quam primus sagaciter prodidit Criticorum sui temporis princeps, Richardus Bentlejus. (8) — " De ,, Hieronymo autem, quid dicam? (inquit,) qui idem Decretum, quo bi- ,, nas uxores simul habere liceret, in medium profert? Vides Panaetium ,, non credidisse, et cur non aeque Decretum commentitium esse potuit atque ,, hae Epistolae? — Mirum etiam est, nemini unquam, nisi Hieronymo, ,, hoc Decretum auditum fuisse et notum, et quidem *suspecto testi*, ,, quod, *ut extremis angustiis se expediret*, id protulerit." — Ita est, vir omnium perspicacissime! Hieronymus, cum fabulam Aristoxenéam de Socrate διγάμῳ confidenter Commentariis suis confirmasset et posteris propagasset, exstiterunt eâ jam aetate, qui non magis essent creduli quam fuit postea Philosophus veritatis amicus, Panaetius, quique διγαμίαν Athenis unquam licitam fuisse eo vehementius negarent, quod ista licentia nec a Thucydide, nec a Xenophonte, neque ab alio ejus aetatis Historico unquam literis prodita fuisset. Quid ad istas *angustias redactus, ut inde se expediret*, vafer et subdolus fecit Peripateticus? Decretum non protulit commentitium; eo enim impudentiae non processit veterator, atque eatenus suspicionem Bentleji corrigendam putamus: Sed Decretum, cujus alia prorsus erat caussa, alia mens, alia ratio, alia opportunitas, *malitiose* in rem suam translulit; et verba Legis, cujus finis erat, civitatem dare liberis ex matrimonio non legitimo seu etiam ex concubinatu cum muliere peregrinâ natis, — illius igitur Legis verba sic est interpretatus, ac si venia data fuisset duas simul domum ducendi atque habendi uxores — Istam vero, quam dicimus, Decreti mentem, rationem, atque opportunitatem demon-

Justa in malitiosum Hieronymum suspicio.

Ratio et modus fraudis Hieronyméae.

(7) Hujus Sectionis §. V.

(8) Dissert. *de Epist. Socrat.* §. XIII.

Sectio II. §. 23. strare cum non sit hujus loci, sed ad tertiam pertineat operae nostrae partem, nunc illud solummodo agemus, ut nullam Hieronymi esse auctoritatem porro ostendamus ex scribendi genere, quod illi fuit proprium, atque ex istâ *πολυϊστορίᾳ*, quam cum reliquis Lycéi, e disciplinâ potissimum Aristoxeneâ profectis, alumnis sectatus est, quamque impurum fuisse Historiae Philosophicae fontem supra (9) demonstravimus. Illam autem homini operam eo impendemus libentius, quod, etiamsi Cicero ejus saepe meminerit, viris tamen primariis vix cognitus fuisse videatur, Erasmo (10), inquam, Moysi Solano, Ioanni-Matthiae Gesnero, aliis; quin et ipse Bruckerus (11) in *Historiâ Philosophicâ* parcus admodum fuerit in illius doctrinâ ac moribus enarrandis.

Hieronymus Rhodius VV. DD. parum cognitus.

§. XXIV. *De doctrinâ et scriptis* Hieronymi Rhodii *refertur.*

§. 24. Hieronymus Rhodius inter *διαδόχους* seu doctores Peripateticae Scholae principes cum Theophrasto, Stratone, Lycone, Aristone, Critolao numeratur ab eo, qui ipsum Hieronymi praeceptorem omisit Aristoxenum, nempe a Scriptore incerto *Vitae Aristotelis*, quem edidit Menagius (1). Nimirum scriptis inclaruit Hieronymus, inter illustres Rhodios propterea a Strabone (2) relatus; atque, uti multifariae doctrinae ac *πολυγραφίας* famam cum Aristoxeno communem habuit, sic et suavitatis atque elegantiae in scribendo laudem; quare *doctum hominem* et *suavem* (3) dicit Cicero, ut et mox Hieronymo haud minus quam Aristippo, de voluptate tanquam summo bono disserentibus, eam laudem tribuit, quod *uterque* (4) *Graece egregie sit locutus:* Et vero haec praecipua dos istorum Peripateticorum, qui a Lycéo discesserunt et Philologiam cum studio sapientiae voluerunt conjun-

De doctrina et scriptis Hieronymi Rhodii.

Hieronymus Scriptor elegans et suavis.

(9) Hujus Sectionis §. VII. pag. 132. seqq. imprimis §. IX. pag. 144. seqq.

(10) In Adagio *Anagyrum commoves*, Adag. pag. 490. M. Solanus ad *Plutarch.* in Agesilao, in Notis pag. 578. I. Gesnerus *de Socr. S. Paed.* in f. Conf. Valcken. *Diatr. Eurip.* Cap. XXIV. pag. 269.

(11) Tomo I. pag. 859.

(1) In Notis ad Diog. Laërt. Lib. V. Segm. 35.

(2) Lib. XIV. pag. 655. ed. Paris.

(3) *De Finibus* Lib. V. Cap. 5.

(4) Ibid. Lib. V. Cap. 6.

gere, Aristoxeni praesertim atque Hieronymi, fuisse videtur, ut perspicua ac dulci oratione uterentur, eâ tamen dulcedine ac jucunditate, quam in Aristone etiam reperit atque sic descripsit TULLIUS (5): " Concinnus deinde et elegans Aristo; sed ea, quae desideratur a magno Philosopho, gravitas in eo non fuit: Scripta sane et multa et polita; sed nescio, quo pacto auctoritatem oratio non habet." Igitur illi, quos dicimus, Peripatetici, de sectâ praesertim Aristoxeni, tales fuerunt in Philosophiâ, qualis in arte Oratoriâ Demetrius Phaléreus, Peripateticus idem et Ῥήτωρ (6). Suaves videri cum mallent quam graves, antiquam istam inflexerunt Philosophiam, et pro severâ ac pudicâ mollem reddiderunt teneramque, quae concinnitate propriâ ac velut adfectatâ, quin etiam per meretricias illecebras, animos suavitate quadam perfunderet magis, quam ad virtutem et honestatem perfringeret ac quasi invitos in gyrum rationis duceret; — tales, ut verbo dicam, quales cum pecuniâ Alexandrinâ comparabat Stoicorum parens, Zeno (7), " qui, cum nihil insolens dicerent, nihil ab elegantiâ aut ab artis normâ discedens, similes essent argenti apud Alexandrinos signati, figurâ eximiâ et arte circumscripti, sed propterea nihilo interius meliores; cum contra qui istius ornatûs ac concinnitudinis minus haberent, adsimilari possent tetradrachmis Atticis, rudi quidem et velut rusticâ manu fabrefacti, sed qui pondere suo ac gravitate comtos istos et calamistratos libellos saepius superarent."

SECTIO II. §. 24.

item Aristoxenus.

Peripatetici, praesertim Aristoxenéi, vim Philosophiae infregerunt.

Atque haec quidem, eaque quae supra plus uno loco (8) diximus de pretio, quod variae eruditioni, doctrinae multiplici, aut stili elegantiae ac suavitati statui debeat, — haec, inquam, copiose a nobis disputata, satis superque erunt, ut omnem a nobis invidiam amoliamur, si hic adfirmemus, quod jam antea (9) indicavimus, Hieronymo Rhodio eundem, qui Sa-

Hieronymus bellulae Philosophiae sectator.

(5) *De Finibus* ibid.

(6) *Demetrius Phaléreus, disputator subtilis, Orator parum vehemens, dulcis tamen ut Theophrasti discipulum possis agnoscere.* CIC. *de Off.* Lib. I. Cap. I. Nempe, Theophrasti exemplo, hanc *suavitatem* ac *dulcedinem* recentiores Peripatetici maxime appetiisse videntur.

(7) DIOG. LAËRT. Lib. VII. Segm. 18.

(8) Hujus Sectionis §. VIII. pag. 140. seqq. — §. IX. pag. 146. seqq. — §. XI. pag. 166. seqq. — §. XIII. pag. 174. seqq.

(9) §. XVIII. pag. 197.

Sectio II. §. 24.

tyro (10), morem fuisse, ut Philosophiam, levem istam ac bellulam et assentatricem, conjungeret (11) cum scientiâ rerum variarum, quin vanarum ac futilium, cum fabularum etiam nugarumque Grammaticarum cognitione. Ac primum quidem eam juniorum Peripateticorum consuetudinem secutus est, de qua nos agere meminimus, ut, si superiorum Peripateticorum quispiam de aliquo argumento haud sine nominis famâ scripsisset, mox juniores de eodem argumento libros ederent, ejusdemque laudis societatem appeterent. *De ebrietate* Commentarium scripserat Theophrastus (12): Eodem titulo librum edidit Hieronymus, quin ejusdem fere, uti videtur, argumenti (13), in quo majores Philologiae quam Philosophiae partes fuisse apparet, quum; illic (14) inter alia de origine verbi *σκυθίσαι* agens, quod *ebrium fieri* notet, idemque valeat quod *μεθύσαι*, rationem originis referat ad Scythas; doceatque cognatas esse literas Φ et Θ, atque inter se commutari. Alias Theophrasti auctoritatem (qua fide incertum) laudasse reperitur ad confirmanda dicta, quae ab omni similitudine veri prorsus discedebant. Sic in *Epistolis*; quae Historici seu Philologici argumenti, Theophrasti etiam exemplo, ab eo in vulgus editae atque ad posteros superfuisse videntur, — in illis igitur *Epistolis*, eodem Theophrasto (quod vix credendum) auctore, adfirmaverat (15), Alexandrum Macedona in re Venereâ imbellem fuisse. Neque in istis Libris substitit Hieronymi studium in imitandis et exprimendis priori-

Theophrastum aemulatur;

(10) Vid. §. XIV. pag. 177.

(11) Haec est ratio, cur Hieronymus a Plutarcho, Athenaeo, Diogene Laërtio, nunc simpliciter ὁ Φιλόσοφος vel ὁ Περιπατητικός dicatur, nunc tanquam Historicus vel Grammaticus ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ad partes vocetur, quam duplicem personam Moysi Solano fraudi fuisse, supra vidimus. Igitur Patricio *Disc. Peripatet.* Tomo I. Lib. 12. pag. 157. Hieronymus noster „primus fuisse videbatur, qui Peripateticam doctrinam cum aliis aliarum sectarum doctrinis miscuisset."

(12) Vid. Diog. Laert. Lib. V. Segm. 44. Frequenter ad istum librum provocat Athenaeus. Vid. Lib. X. pag. 424. f. Lib. XI. pag. 465. b. pag. 497. e.

(13) Nam, quae Theophrastus literis mandaverat de Euripide adolescente, in Festo Apollinis pocula et vinum ministrante, eadem post illum noster retulit Rhodius. Vid. Athenaeum Lib. X. pag. 424. f.

(14) Vid. Athenaeum Lib. XI. pag. 499. in f.

(15) Γεγένημαι τε ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς Θεόφραστον φησὶ λέγειν, ὅτι Ἀλέξανδρος οὐκ εὖ διέκειτο πρὸς Ἀφροδίσια. Athenaeus Lib. X. pag. 435. a. quem locum in rem suam transtulit Eustath. ad *Odyss.* Λ. v. 233. pag. 1680. 47. ed. Rom. (429. 20. ed. Basil.)

bus, quippe jam supra (16) animadvertimus, quum Aristoteles, praeter Poëtarum fata et Musices Historiam, Scenae quoque Annales condidisset, post hunc Sectae auctorem, post Theophrastum, post Dicaearchum, qui uterque Aristotelem in istâ materiâ pertractandâ jam erant secuti, eandem tamen seriori ac velut vicariâ operâ Hieronymum repetiisse. Conscripsit scilicet minimum quinque *de Poëtis* Libros; namque Ἱερώνυμος ἐν τῷ Περὶ κιθαρῳδῶν, ὅπερ ἐςὶ πέμπτον περὶ Ποιητῶν, ad testimonium vocatur ab ATHENAEO (17): Ejusdemque Operis *de Poëtis* JONSIUS (18) vere observat partem fuisse Librum περὶ Τραγῳδοποιῶν, quo conscribendo Aristoxenum praesertim praeceptorem itidem aemulatus videtur. Hunc enim plures *de Tragicis* Libros composuisse, novimus indicio AMMONII Grammatici, laudantis (19) Ἀριςόξενον ἐν τῷ πρώτῳ Τραγῳδοποιῶν; Hieronymianum autem *de Tragicis* Commentarium citant *Paroemiographi* SUIDAS et APOSTOLIUS (20): Ex quo Suidae loco apparet, in istis περὶ Ποιητῶν Libris non tantum de aetate, vitâ, et scriptis Poëtarum (e. gr. de aetate, qua vixit Terpander, eâdem qua Lycurgus Lacedaemoniorum (21) Legislator) Hieronymum egisse; sed et veteres fabulas, Grammaticorum instar, enarrasse, quibus scilicet cognitis ipsa Tragoediarum aliorumve Poëmatum argumenta melius intelligerentur. Ibi enim apud Suidam Rhodius magister, Phoenicem forsan Euripideum attingens, fabulam exposuisse dicitur de rustico nimis credulo ex Anagyro, vico Attices, qui, calumniis novercae, Thesei instar, temere fidem habens, filium misere disperdidit, seque ipsum suspendio necavit, dum concubina calumniatrix sese in puteum praecipitem daret. De Sophocle vero et Euripide quae Hieronymum minus decora retulisse supra vidimus, ATHENAEUS illa petivit ex *Monumentis* ejus *Historicis*. Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος (inquit) ἐν τοῖς ἱςορικοῖς ὑπομνήμασιν (22),

SECTIO II. §. 24.

uti et alios Peripateticos.

(16) Sect. II. §. 8. pag. 140.
(17) Lib. XIII. pag. 635. F.
(18) *De Script. Hist. Philoph.* Lib. II. Cap. 3. §. 6.
(19) *De Diff. Verb.* v. Ῥύεσθαι. Vid. Diatr. *de Aristoxeno* pag. 122. et pag. 150.
(20) SUIDAS v. Ἀναγυράσιος. APOSTOLIUS *Proverb.* Cent. XI. Num. 41. De Suidae loco et de Proverbio Ἀνάγυρος vel Ἀναγυράσιος ἥρως aut δαίμων, item Ἀνάγυρον κινεῖν, egit VALCKEN. *Diatr. Eurip.* Cap. XXIV. pag. 269. B. C.
(21) Ἱερώνυμος δ' ἐν τῷ Περὶ κιθαρῳδῶν, ὅπερ ἐςὶ πέμπτον περὶ Ποιητῶν, κατὰ Λυκοῦργον τὸν νομοθέτην τὸν Τέρπανδρον φησὶ γενέσθαι, κ. τ. λ. ATHENAEUS Lib. XIII. pag. 635. F.
(22) ATHENAEUS Lib. XIII. pag. 604. D.

SECTIO II. §. 24. vel simpliciter Ἱερώνυμος ἐν ἱςορικοῖς (23) ὑπομνήμασιν. Quae autem isto nomine nunquam laudat DIOGENES LAËRTIUS, ea videntur idem fuisse Opus ac τὰ σποράδην ὑπομνήματα, quae postrema nunquam contra ab Athenaeo, sed totidem verbis a LAËRTIO (24) bis in testimonium advocantur. Atque id in aliis quoque ejus generis auctoribus citandis locum habere existimamus; neque ullum nobis dubium est, quin similiter DIOGENES suo hoc more τὰ σποράδην Aristoxeni (25) appellaverit, quae alibi (26) ejusdem ἱςορικὰ dicit ὑπομνήματα. Immo haud absurda MEURSII (27) suspicio videtur, illa, quae τὰ σποράδην vel ἱςορικὰ ὑπομνήματα laudat LAËRTIUS, non diversa fuisse ab aliis Commentariis, qui τῶν κατὰ βραχὺ ὑπομνημάτων nomine ab ATHENAEO (28) in testimonium adferuntur, quin fortassis ne ab iis quidem, qui σύμμικτα ὑπομνήματα audiunt PHOTIO (29), sextum decimum eorum Librorum memoranti, aut ab *Historiis* (αἱ ἱςορίαι.) Quare et hoc Opus, cujus solus SUIDAS meminit, haud sine caussâ Doct. MAHNIO (30), post Vossium atque Meursium, non videtur singularis fuisse Liber, neque diversus a reliquis Historici argumenti scriptis, quibus variae doctrinae famam Aristoxenus posteritati propagavit: Quippe cognitum est, illis, qui Indices confecerunt Librorum a Veteribus scriptorum, optimo praesertim I. A. FABRICIO, uti quondam Diogeni Laërtio, saepe nimis hoc in more positum fuisse, ut ex diverso, quo laudatum Librum vel Commentarium reperirent, titulo totidem diversa effingerent Scriptorum Opera; a quo tamen errore solers inprimis in talibus discernendis Jonsius sibi plerumque cavit. —

Quae fuerint Veterum τὰ σποράδην.

Hieronymus Mythologiae studiosus, et variae Historiae auctor:

Sed, ut in viam redeamus, in hisce ὑπομνήμασιν, quae σποράδην, Aristoxeni exemplo, Hieronymus conscripserat, (qualia aliis ἄτακτα, vel ποικίλαι ἱςορίαι, vel σύμμικτα dicebantur,) — in hisce igitur varii argumenti *Commentariis* seu *Monumentis*, nullo ordine servato, nullâ adhibitâ auctoritate, ea memoriae prodidit, quae, sive ad Mythologiam veteresque fabulas referenda, sive pro-

(23) ATHENAEUS ibid. pag. 557. E.
(24) Lib. I. Segm. 26. Lib. II. Segm. 14.
(25) Lib. I. Segm. 107.
(26) Lib. IX. Segm. 40.
(27) In *Animadv. ad Aristoxeni Harm. Elem.* pag. 140. Vid. Diatr. *de Aristoxeno* pag. 114.
(28) Lib. XIV. pag. 609. F.
(29) In *Biblioth.* pag. 176. ed. Hoesch.
(30) Diatr. *de Aristoxeno* pag. 121.

piora vero et ad recentiorem aetatem pertinentia, grata fore et jucunda arbitrabatur isti cognoscendi legendique cupidini, qua tunc homines, magis quam intelligendi studio, ferebantur; de qua saeculi Ptolemaïci consuetudine, rerum gestarum fidei, Historiae inprimis Philosophicae, sanequam non utilissimâ, nos supra (31) sententiam dicere meminimus. Sic Libro secundo *τῶν σποράδην ὑπομνημάτων* Hieronymus retulit (32), Thalem pyramidum altitudinem deprehendisse umbram metiendo, qua horâ par corpori esse solet; eodemque loco (33), ubi plura de Milesio collegisse videtur, tradita ab illo fuit sagax Thaletis providentia, qui, ut objurgatores suos convinceret, ostenderetque, Philosophum etiam, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere coepisset, in agro Milesio coëmerit: Qua in re, uti Hieronymus ARISTOTELIS (34) sui auctoritatem, sic CICERO (35) vel alterius vel utriusque fidem secutus est, ejusmodi tamen cum cautione, quae monstret, pro certo atque explorato ipsum non ha- SECTIO II. §. 24.

(31) Hujus Sectionis §. VII. pag. 137.

(32) Quae DIOGENES LAËRTIUS Lib. I. Segm. 27. ex Hieronymo descripsit, ea iisdem fere verbis Latine habet PLINIUS *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. Cap. 12.

(33) Vid. DIOG. LAËRT. ibid. Segm. 26. et ad eum locum Interpretes.

(34) *Polit.* Lib. I. Cap. 11.

(35) *De Divin.* Lib. I. Cap. 49. ubi ait: "*Omnem oleam, antequam florere coepisset, in* „ *agro Milesio coëmisse* DICITUR." Aristoteles tamen, ante Ciceronem, cautius quam Hieronymus locutus est: *Κατανοήσαντά φασιν αὐτὸν ἐλαιῶν φορὰν ἐσομένην ἐκ τῆς ἀστρολογίας, κ. τ. λ.* — Quod autem Aristoteles et post eum Hieronymus dixerunt, "officinas olearias „ a Thalete conductas," eâ in re ab illis discessisse Tullius non videtur, ut Casaubonus ac reliqui Interpretes putarunt. Qui enim omnem coëmebat oleam, vel datis arrhis omnem oleae proventum conducebat, is eodem conductionis contractu officinas, in quibus oleum ex eo proventu conficiebatur, in suam redigebat potestatem: Neque alio sensu Plinius dixit: *Democritum omne oleum in toto tractu coëmisse.* — Caeterum non possumus, quin hunc eundem Aristotelis locum adhibeamus, ut demonstremus, quam lubrica sit fides omnium eorum, quae in *τοῖς τῶν σποράδην* Commentariis consignarunt Aristoxenus, Hieronymus Rhodius, alii. Etenim, cum hanc de Thalete narratiunculam ut *rumorem vulgi* esset relaturus, dicit eam esse ex numero *τῶν λεγομένων σποράδην.* — Haec illius sunt verba: *Ἔτι δὲ καὶ τὰ λεγόμενα σποράδην, δι' ὧν ἐπιτετυχήκασιν ἔνιοι χρηματιζόμενοι, δεῖ συλλέγειν· πάντα γὰρ ὠφέλιμα ταῦτ' ἐστὶ τοῖς τιμῶσι τὴν χρηματιστικήν· οἷον καὶ τὸ Θάλεω τοῦ Μιλησίου κ. τ. λ.* — Mox autem, velut de *rumore incerto*, addit: *Κατανοήσαντά* ΦΑΣΙΝ. Igitur *τὰ λεγόμενα σποράδην* sunt res, non certâ fide Historicâ, sed *rumore vago vulgi relatae.* — Atque ex his, quos Peripatetici maxime conscripserunt, *τῶν σποράδην* Libris crevit Historia Philosophica!

Sectio II. §. 24. buisse, quod Laërtius ex Hieronymo tanquam factum non dubium literis consignavit. Neque inmerito famam se tantum sequi Tullius indicat; namque novum hic iterum habemus documentum, quam vaga et incerta sit Historiae Philosophicae fides, quando quidem quod, secundum duos Philosophos Peripateticos eosdemque Historiae Philosophicae auctores de Thalete refert Cicero, id Plinius Major (36) Democrito tribuit, ita tamen, ut famae rumorem se magis referre ostendat, quam factum quod pro perspecto et explorato habeat. Ferunt *Democritum — coëmisse in toto tractu omne oleum.* — Neque tamen res tantum veteres, aut antiquiorem Historiam Philosophicam, in istis *varii argumenti Commentariis*, attigit Hieronymus, sed eas quoque, quae patrum avorumque memoriâ evenerant, cujusmodi fuit accusatio Athenis contra Anaxagoram instituta, illiusque ad mortem condemnatio. Namque Diogenes Laërtius (37), dissensum exponens, qui in istâ re narrandâ inter Hermippum fuit et Hieronymum Rhodium, priorem horum Polyhistorum Peripateticorum laudat ἐν τοῖς βίοις, alterum ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν σποράδην ὑπομνημάτων. Eundem pariter Anaxagorae casum relatum a Satyro, Hieronymi sui vestigia frequenter legenti, jam antea a nobis (38) est observatum.

Incertam famam saepius secutus.

Porro, ut hunc de Philosopho ac Philologo Rhodio disputationem concludamus, saepe illum non solum ab Athenaeo et Diogene Laërtio, sed a Plutarcho quoque, a Clemente Alexandrino, aliisque testem advocari vidimus; non adjecto Libri titulo. Nulli vero dubitamus, quin pleraque (nisi de argumento Philosophico agatur) ex istis τῶν σποράδην Commentariis sint petita; maxime cum ejusdem sint generis atque illa quae modo collegimus, sive ad fabulas ac res antiquas pertinentia, sive spectantia ad Philosophorum aliorumve virorum illustrium Vitas ac fata. — Acesius Patarensis et Helicon Carystius celebres vetustissimâ aetate artifices fuerunt, qui decantatum Minervae Poliados peplum apud Athenienses primi summâ cum arte contexuerunt, unde proverbium Ἀκέσεως καὶ Ἑλικῶνος ἔργα —— ἐπὶ τῶν θαύματος ἀξίων. Ita

(36) *Hist. Nat.* Lib. XVIII. Cap. 28.
(37) Lib. II. Segm. 14.
(38) Hujus Sectionis §. XVII. pag. 194.

saltem ZENOBIUS tradit, et post eum DIOGENIANUS (39). Horum igitur Acesae (sic enim apud ATHENAEUM (40) dicitur) ejusque filii Heliconis vitam atque artem Hieronymus celebravit. Similiter quando machinas aliaque opera, propter eximium artificium admiranda, recenset ATHENAEUS, Hieronymum (41) appellat, in descriptione currûs affabre a Dioclide Abderitâ confecti, quo cadaver Alexandri Macedonis deferretur. Namque in rebus quoque Macedonicis Hieronymus versatus est: Illius saltem ab aliis Historicis dissensum refert ATHENAEUS (42) in definiendis annis, quibus Perdiccas in Macedoniâ regnavit. Verum ad Historiam praesertim Philosophicam, ad fata, sententias, et res gestas eorum, qui sapientiae studium professi sunt, Hieronymus labores suos retulisse videtur. Aristoxeni exemplo, de Pythagorâ eum prodidisse, DIOGENES LAËRTIUS (43) testis est, tum de Empedocle (44), de illius poëmatibus, aliisque scriptis, uti et post Hieronymum de eodem Philosopho egit Satyrus; tum de Heraclito (45) seu de Scythino quodam, Iamborum scriptore, qui Heraclitéas sententias versibus exprimere instituit. Quin et de Timone Sillographo exstare dicta Hieronymi, supra (46) a nobis animadversum est: Neque ulli dubitamus in hosce *de vitâ ac moribus Philosophorum fortuitos Commentarios* a Rhodio Polyhistore relata; quae ipsi de Socrate vel in Socratem ac Socraticos dicenda videbantur, quamquam quo demum in Libro *Digamiam Socraticam* primum accusaverit, quo deinceps alio accusationem confirmare sustinuerit, neque ex Plutarcho, neque ex Laërtio aut Athenaeo cognoscitur. Ridiculus enim est error illius, qui Indicem Auctorum ab Athenaeo laudatorum confecit; — error nimis secure a I. A. FABRICIO (47) repetitus, quando Commentarium Hieronymi περὶ τῶν γυναικῶν confinxit ex hisce, quae apud ATHE-

SECTIO II. §. 24.

Fortuiti Commentarii *Hieronymi Rhodii.*

Hieronymus non scripsit de Mulieribus.

(39) ZENOBIUS *Prov.* Cent. I. Num. 56. DIOGENIANUS Cent. II. Num. 7.

(40) Lib. II. pag. 48. B. ex quo sua habet EUSTATHIUS ad *Homer. Odyss.* A. v. 130. (pag. 1400. 12. ed. Rom.)

(41) Lib. V. pag. 206. E.

(42) Lib. V. pag. 217. E.

(43) Lib. VIII. Segm. 21.

(44) Lib. VIII. Segm. 57 et 58.

(45) Lib. IX. Segm. 16.

(46) Hujus Sectionis §. XX. pag. 211.

(47) *Bibl. Graecae* Vol. III. pag. 670.

SECTIO II. §. 24. NAEUM leguntur: *παρέθετο δὲ περὶ τῶν γυναικῶν ψήφισμα Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος, ὅπερ σοι διαπέμψομαι εὐπορήσας τοῦ βιβλίου.* — Qui vero iste fuerit Liber, in quo Hieronymus Digamiam Socratis Decreto Atheniensium de ducendâ geminâ Uxore probare sustinuerit, incertum est, fortassis *τὰ σποράδην ὑπομνήματα*, fortassis non alius nisi *ὁ περὶ ἐποχῆς*, quem indicio quoque LAËRTII (48) novimus, quique non tantum contra novam Arcesilai Academiam, sed contra disciplinam Socraticam universe, ipsumque adeo Socratem, scriptus fuisse videtur, uti supra jam a nobis observatum est, quum de discidio Hieronymi ac Scholae Aristoxenéae a Philosophis Socraticis (49) agebamus: Sed, quamquam Hieronymus eam culpam praecipue habuit, ut turpe mendacium turpiori fraude confirmare sit conatus, dux tamen illi et calumniae auctor fuit Aristoxenus, de quo jam restat ut, quantum ad rem nostram, videamus: Quippe de gemino illius socio, Hieronymo Rhodio ac Satyro, neminem in hac quidem caussâ plura, quam dedimus, desideraturum existimamus.

§. 25. *De indole, ingenio et auctoritate* ARISTOXENI.

§. XXV. *De indole, ingenio et auctoritate* ARISTOXENI *disquiritur.*

Est genus aliquod hominum, qui, Domitio illi Grammatico apud GELLIUM (1) similes, tanto naturâ sunt intractabiliores ac morosiores, quanto doctiores ac celebriores sibi aliisque videntur, quorum hominum doctrina et multarum literarum scientia non emollit mores, nec placidos reddit et mansuetos, sed feros, immites, ac superbos: Quam intemperiem etiamsi quis pro *μελαγχολίᾳ* habeat, et cum Favorino *πάθος* dicat *σχεδόν τι ἡρωικὸν*, ego tamen tribuerim contemtui aliorum, insolentiae, atque arrogantiae, potius quam liberae illi contumaciae, quae aliquando in laude ponitur, utpote a magnitudine animi ducta non a superbiâ. *Aristoxenus ingenio ferus et morosus.* Ex hoc hominum genere fuit Aristoxenus Tarentinus, quod nisi dictis illius, judiciis, sententiis, factisque comprobaretur, colligi posset ex testimonio Adrasti apud PROCLUM (2) de Aristo-

(48) Lib. II. Segm. 105.
(49) Hujus Sectionis §. XX. pag. 209.
(1) Noct. Att. Lib. XVIII. Cap. 7.
(2) *In Timaeum Platonis* Lib. III. pag. 192. init. Scilicet agit ibi de probabili Aristoxeni

Aristoxeno scribentis, ὅτι οὐ πάνυ τὸ εἶδος ἀνὴρ ἐκεῖνος μουσικὸς, ἀλλ᾽ ὅπως ἂν δόξῃ τὶ καινὸν λέγειν πεφροντικώς. Quibus verbis etsi in appellatione *Musici* luserit Adrastus, id tamen aperte satis significatur, morosum fuisse, difficilem, ac stomachosum Tarentinum istum Polyhistora ac Philosophum. Quum autem id fastidii ac contumaciae genus ex superbiâ oriatur, hinc fit, ut qui illâ est animi indole durâ, tristi, ac prope inhumanâ, alios prae se despiciat eorumque famae detrahat, quantum possit, ne quid eorum gloria suis luminibus officiat scilicet, et ipse forsan non omnium primus, aut etiam solus, in suâ disciplinâ laudandus, esse videatur. Igitur alios carpit perpetuo, arguit, deprimit, quin neque ab opprobriis abstinet, sed, ut animum expleat, maledicentiae haud raro indulget. Hoc Aristoxeno quoque fuit ingenium: Quapropter Viris illustribus maledixit quam plurimis, neque aemulis tantum iisve, quos odio vel invidiâ prosequebatur, sed ipsi praeceptori suo Aristoteli. Ut vero Platoni Academiaeque insultarent, Peripateticis, Hieronymo praesertim caeterisque suae sectae hominibus, signum sustulit. Denique in Socra- SECTIO II. §. 25.

a Platone dissensu, additque: πῶς οὖν ταῦτα λέγει (ὁ Ἀριστόξενος,) καί τοι καὶ τοῦ Πλάτωνος κατὰ τὸ διατονικὸν γένος ἐκθεμένου τὸ διάγραμμα καὶ τὸν ἀμφὶ τὸν Τιμαῖον, θαυμάσαι ἄξιον, εἰ μὴ ἄρα τοῦ Ἀδράστου ἀληθὲς, ὃ εἰς αὐτὸν ἀπέῤῥιψεν, ὅτι οὐ πάνυ τὸ εἶδος ἀνὴρ ἐκεῖνος μουσικὸς, ἀλλ᾽ ὅπως ἂν δόξῃ τὶ καινὸν λέγειν πεφροντικώς. Ex cujus loci Meibomianâ interpretatione (vertit autem Meibomius: "Non admodum *moribus* illum virum fuisse *Musicum*, sed „ talem qui quocunque modo novi aliquid dicere quaereret)" — ex hac igitur interpretatione conficit Auctor *Diatribes Aristoxeneae*, istud εἶδος illum corrigere voluisse in ἦθος, quippe qui vertat *moribus*; *quod*, inquit, *omnino probandum est.* Ego vero minus necessariam emendationem arbitror, quandoquidem et ipse Aristoxenus sic locutus est, teste PORPHYRIO, in *Historiâ Philosophicâ* apud THEODORETUM *Therap.* Serm. XII. pag. 174. 30. ἔφη γὰρ μηδενὶ ἑτέρῳ ἐντετυχηκέναι, πιθανωτέρῳ ἐκείνου· τοιαύτην εἶναι τήν τε φωνὴν, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὸ ἐπιφαινόμενον ἦθος καὶ πρὸς ἅπασι δὲ τοῖς εἰρημένοις τὴν τοῦ εἴδους ἰδιότητα. Ita et alias εἶδος ponitur pro τρόπῳ seu *habitu*; quocirca et illa vox de formâ Reipublicae THUCYDIDI praesertim fuit familiaris. Vid. DUKER. ad Lib. VIII. Cap. 89. Caeterum hic Adrastus, quem Aphrodisiensem fuisse puto, ad Neronis aetatem a Jonsio relatum, in iis, quae de Aristoxeno scribit, eo magis fidem meretur, quod ejusdem fuit Sectae, easdemque plane cum illo tractavit disciplinas, ἀνὴρ τῶν γνησίως Περιπατητικῶν γεγονὼς, qui scripsit non tantum περὶ τῆς τάξεως τῶν Ἀριστοτέλους βιβλίων καὶ τῆς αὐτοῦ φιλοσοφίας, uti auctor est ipse Peripateticus Simplicius, sed et *Harmonicorum* Libros tres, quos Romae etiamnum superesse fama est. Vid. FABRICIUM in *Catalogo Peripatet.* Vol. II. *Bibl. Graecae* pag. 272.

SECTIO II. §. 25.

tem Socraticosque teterrimae calumniae virus effudit. Quae nostra in Aristoxenum dicta antequam singulatim testimoniis ac rerum documentis confirmemus, laudandus est *Aristoxenéae Diatribes* Auctor MAHNIUS. Is enim, quamquam totus est in praedicando atque extollendo Philosopho suo Peripatetico, vi tamen veritatis victus, ut virum ingenuum decebat, " videtur „ (3) quidem, inquit, Aristoxenus *maledicentiae indulsisse*, quippe ejus „ alia suo loco habebimus indicia: Propterea tamen tanta non debet esse „ Suidae auctoritas, ut ipsius dicta oraculi instar habeamus." — Agitur nimirum de calumniâ, qua Aristotelem post illius mortem insectatus est Aristoxenus: Sed de hoc argumento paulo post videbimus: Nunc quaerimus, quid sit illud, quod subjungit Mahnins. " Caeterum mihi Aristoxenus non „ videtur *ex instituto maledicentiae studuisse*, sed hoc potius ex ipsius *mori-* „ *bus* et *ingenio* esse repetendum." Quid hoc est, — *non ex instituto studere maledicentiae*, sed *moribus* et *ingenio* in maledicentiam ferri? Quis, quaeso, qui ingenio sit mitis, placidus, moderatus, benignus, humanus, — quis qui naturâ non sit asper et durus, invidus et malevolus, *maledicentiae* studeat *ex instituto*? quis contra, qui istiusmodi sit *indole* immiti et morosâ, maledicentiae non studeat, seu ex *instituto* id dicas, seu ex naturali quadam et insitâ malitiâ. Et vero, quodnam illud est *institutum* ab *indole* seu alienum seu potius diversum? aut quomodo *institutum* et *mores* a se invicem sejunguntur? Nemo quidem ex *instituto*, si simplicem sic voluntatem appelles, malus est, sed *vitio* aut *animi pravitate*. Idcirco, quum nemo maledicus sit, qui non idem sit malus, sequitur maledicentiae studium ex insitâ quidem animi malitiâ oriri, innatum vero istiusmodi *ingenium* mox in habitum quemdam ac consuetudinem adeoque in *mores* seu *institutum*, quod nihil aliud est nisi morum continuatio, transire.

Idem naturâ et ingenio maledicus.

Sed, quod, unâ exceptâ caussâ Socraticâ, ingenue et liberaliter concedit Mahnius, " Aristoxenum maledicentiae indulsisse," id haud scio, an negare non videatur elegans *Historiae Graecorum Literariae ac Philosophicae* Scriptor, CHRISTOPHORUS MEINERS, de quo Viro egregio hic dicemus tanto libentius, quod, in praecedentibus hujus disputationis partibus (4) de Peripateti-

MEINERSII *de Peripateticis Historiae Philosophicae auctoribus sententia.*

(3) *Diatr. Aristox.* Cap. I. §. 5. pag. 14.

(4) Hujus Sectionis §. III. praesertim §. VIII. pag. 146. seqq.

corum fide Historicâ nostrum ex ipsis fontibus haustum judicium perscribentes, *Historiam Disciplinarum apud Graecos*, ab ipso conscriptam, ad testimonium non vocavimus, hoc loco eam plenius laudaturi. Gratulor mihi Meinersii nobiscum in plerisque consensum, tum quando Historiam Philosophicam pro magnâ saltem parte niti fatetur (5) " narrationibus, de manu „ in manum traditis, quas necesse fuit multifariam deformatas atque adul- „ teratas fuisse inter *Graecos*, *haud minus credulitate leves*, *quam audacter* „ *fingendi licentiâ insignes;*" tum quando (6) Lectores suos " memorabili „ exemplo docet, quam temerariâ confidentiâ, proximâ post Aristotelem „ primosque illius discipulos aetate, maximorum Virorum fidei derogatum „ sit; quanto opere verae narrationes fuerint detortae, fabulae (ut ita di- „ cam) adhuc fabulosiores factae, atque ex his illisque nova miracula con- „ ficta: Quin, inquit, coacti fuerunt illi, qui primos Historiae Philosophicae „ auctores sunt consecuti, nova invenire aut vetera adulterare, si ea, quae „ dudum cognita erant, repetere nollent. Quaecunque, vera an falsa, quae „ ex traditionibus, rumoribus vulgi, scriptisve libris congeri poterant, — „ omnia jam ab Aristotele ejusque, dignis an indignis, discipulis exhausta „ erant. Igitur junioribus, qui priorum narrationes neque ad judicium vel- „ lent revocare, neque nudâ repetitione iterum apponere, nihil reliquum „ erat, nisi res antea non auditas ex ingenio confingere, aut, quae ab aliis „ narrata fuerant, in novas formas mutare." --- Neque magis alteram Meinersius (7) dissimulat turbidam scaturiginem, unde limpidus caeteroquin Historiae Philosophicae fluxus sordes contraxit, quae omnes illius haustus

(5) *Geschichte des Ursprungs, Fortgangs, und Verfalls der Wissenschafften in Griechenland und Rom* Tomo I. pag. 182. seqq. ubi ait: " *Die ersten Geschichtschreiber,* „ *die vom Pythagoras handelten, — schöpften nicht allen aus sichern, öffentli-* „ *chen, sorgfältig geprüften Urkunden, und Denkmälern, sondern meistens aus* „ *Ueberlieferungen, die nothwendig während eines so grossen Zeitraums unter den* „ *eben so leichtgläubigen als kühn erdichtenden Griechen auf mannigfaltige Art* „ *verstummelt und verfälscht seyn musten.*" Conf. inprimis ibid. pag. 187.

(6) D. l. pag. 234.

(7) D. l. pag. 200 (" *Aristoteles*) *lebte vor oder in dem Anfange der Zeiten, wo die* „ *Griechen von der Wuth der Bücher-erdichtungen, wie von einer allgemein her-* „ *schenden bösartigen Krankheit ergriffen würden.*" Confer hujus Sectionis nostrae §. X. pag. 149. seqq.

SECTIO II. §. 25.

inficiant ac non tantum impuros reddant sed et minus salubres aut propemodum noxios. Est secunda haec fidei incertae in Vitis Philosophorum, Meinersio judice, caussa, " furor iste, qui, tum fere quando diem clausit ,, Aristoteles, Graecos invasit, ut libros alieno nomini supponerent, qui furor, velut communis contagio, pessimas ubique edidit strages." Itaque, qui sic judicabat, diligenterque Plutarchum, Diogenem Laërtium, Athenaeum, caeterosque rei Philosophicae Auctores perlegerat, Vir praeclarus non poterat non suspectam habere fidem plurium Peripateticorum, quorum testimoniis illi utuntur, atque adeo non diffidere Heraclidi Pontico (8) et Hermippo (9), de quorum levitate ac credulitate nos quoque supra diximus; neque his tantum, quos et alii (10) tanquam male fidos damnant et rejiciunt, sed itidem (11) Clearcho, Dicaearcho, ac Duridi Samio, quos nos ibidem in eundem fere censum retulimus, eleganti doctrinâ dulces ac jucundos, auctoritate parum graves. —

Ejusdem benignum de Aristoxeno judicium.

Verum, quod quis miretur, (et jure miratus est Cl. *Bibliothecae Criticae* (12) Scriptor,) idem hic, qui in alios ejusmodi Auctores severior est, erga unum Aristoxenum indulgentem se praebet Meinersius, erroresque, quos in caeteris reprehendit, ipsi non tantum condonat, sed malitiam, quae erroribus inest, etiam excusat: Cujusmodi sane excusatio ab illo exspectari poterat, penes quem (13) " ficta atque prava, ex studio partium nata, fidem Scriptoris ,, universe non elevant nec testimonium infirmant." Mihi contra Phaedrus vere dixisse semper visus est:

Quicunque turpi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.

(8) Dicto Tomo I. pag. 206. seqq. Conf. supra hanc Sect. §. X. pag. 150. in Notâ.

(9) Ibid pag. 208 praesertim pag. 228. Conf. dicta nostra hujus Sect. §. IX. pag. 148. in Notâ.

(10) *Bibliothecâ Criticâ* Vol. II. Parte 8vâ, pag. 111. et 114.

(11) Conf. MEINERSIUM d. Tom. I. pag. 211. ubi de Clearcho agit, pag. 223. ubi de Dicaearcho, dissentiente licet Scriptore *Bibl. Crit.* d. l. pag. 111. et 113.

(12) D. l. Vol. II. Parte 8vâ, pag. 111.

(13) " *Zeugen von diesem Gewichte können nicht gleich verworfen, oder ihr Fleiss und ,, Aufrichtigkeit in Zweifel gezogen werden, wenn man sie auch eines oder einiger ,, kleinen Fehler wider die Zeitrechnung, oder, in andern Fällen und Schriften, ,, einer zu weit getriebenen Partheylichkeit, für oder wider gewisse Personen, zeihen und überführen könnte. Geschichtschreiber, die nie gefählt hätten, und die ,, niemals wider jemanden gereizt, oder für jemanden, oft ohne es selbst zu wissen und zu glauben, eingenommen worden, sind noch nicht gebohren worden, ,, und werden vielleicht auch nicht gebohren werden.*" D. l. pag. 192.

Non agimus hic de judicio, quod de doctrinâ Viri alicujus atque ingenio odium aut gratia expromsit, nec de re aliquâ levi aut tantum ridiculâ, quae mores ac famam hominis non gravet, sed de ejusmodi vitiis atque opprobriis, quorum si quis adfinis sit, turpissimus et flagitiosissimus habeatur: Tales autem sunt accusationes et reprehensiones, quas in Socratem Aristoxenus propagavit. Illae igitur si merae sint (uti sunt) calumniae, fides testis propterea (nostrâ quidem sententiâ) apud Viros bonos et aequos non tantum suspecta esse debet, sed et in similibus caussis nulla. SECTIO II §. 25.

At vero, quamvis de Aristoxeno censeat (14) Meinersius, " illum inter „ Peripateticos post Theophrastum, aut etiam simul cum illo, principatum „ obtinuisse; tum quoque primum ipsi locum deberi inter Scriptores de „ Pythagoreorum Scholâ; inter caeteros saltem nullum esse, qui omnes „ *magni Historici* dotes, studium, sagacitatem, *fidem*, animum supersti- „ tione liberum, quarumcunque denique fabularum contemtum, majorem „ in modum propria habuerit quam Aristoxenus, cuive simul pauciora quam „ illi objici possint imbecillae mentis vitia aut errores;" — quamvis, inquam, sic de Aristoxeno judicet ille, tamen nemo non videt, quam aliena sit a nostro proposito, atque adeo ab ipsâ operâ nostrâ, de fide Aristoxeni in rebus Pythagoreorum longa disputatio. Itaque, quae Aristoxeno inter Scriptores de Pythagorâ ejusque Scholâ conceditur a Meinersio praerogativa tabula, eam ipsi lubentes relinquimus: Sed quae idem Vir doctus et ingeniosus, isto loco, de caussâ scripsit Socraticâ, illa ad accuratius examen sunt revocanda. Ergo id mox instituemus, reliqua interim de Aristoxeno persecuturi.

§. XXVI. *Exempla maledicentiae* ARISTOXÉNEAE *in medium proferuntur.*

§. 26. *Exempla maledicentiae Aristoxenéae.*

Fuit igitur, ut in viam redeamus, ex unanimi Veterum testimonio, Aristoxenus ingenio et naturâ stomachosus, invidus, iracundus, tristis, expers humanitatis, sic ut risum, ingenii jucundi indicem, lepóris atque urbanitatis comitem, vehementer exosus fuisse (1) feratur. Etenim, quum haec fama

(14) Tomo I. pag. 213. seqq.

(1) Vid. MAHNIUM d. l. pag. 15.

SECTIO II. §. 26.

ab AELIANO (2) tradita, optime conveniat cum τῷ δυσχερέςῳ isto, quod homini erat proprium, nescio, quare illa ad *fabellarum officinam* sit remittenda. Ex istâ quidem *fabellarum officinâ* ridiculi de Democrito Heraclitoque rumores, haud minus quam Διγαμία Socratica, prodiisse videantur; sed quid narrationi de acerbâ Aristoxeni severitate, quam nullis humanitatis condimentis mitigare aut relaxare noverat, insit absurdi aut parum probabilis, equidem nihil reperio.

Aristoxenus de Aristotele praeceptore suo male dixit.

At vero ab omni risu ac joco alienus fuerit Aristoxenus nec ne, parum refert. Id certum est, eum maledicum fuisse, magnorumque Virorum invidum obtrectatorem, quin ne ipsi quidem fonti, unde totus quantus fluxerat, praeceptori suo Aristoteli, illum pepercisse. Ejus rei SUIDAS ex Veteribus, quorum testimonia habuit, auctor est, v. Ἀριςόξενος. — Ἀκουςὴς τοῦ τε πατρὸς καὶ Λάμπρου τοῦ Ἐρυθραίου, εἶτα Ξενοφίλου τοῦ Πυθαγορείου, καὶ τέλος Ἀριςοτέλους, εἰς ὃν ἀποθανόντα ὕβριςε, διότι κατέλιπε τῆς σχολῆς διάδοχον Θεόφραςον, αὐτοῦ δόξαν μεγάλην ἐν τοῖς ἀκροαταῖς τοῦ Ἀριςοτέλους ἔχοντος. Cum Suidâ consentit *Anonymus vitae Aristotelicae Scriptor* Latinus (3), qui vulgatam famam de rixâ Platonem inter atque Aristotelem calumniis Aristoxeni tribuit atque Aristoclis. Quae tamen istius Anonymi sententia ita accipienda est, ut Aristocles fidem tantum Aristoxeni secutus sit, licet eum ex conjecturâ magis quam ex ipsis dictis sit interpretatus. Verba ARISTOCLIS in quantivis pretii Fragmento e Libro Septimo *de Philosophiâ* apud EUSEBIUM (4) haec sunt: Τίς δ' ἂν πεισθείη τοῖς ὑπ' Ἀριςοξένου τοῦ Μουσικοῦ λεγομένοις ἐν τῷ Βίῳ τοῦ Πλάτωνος; ἐν γὰρ τῇ πλάνῃ καὶ τῇ ἀποδημίᾳ φησὶν ἐπανίςασθαι καὶ ἀντοικοδομεῖν αὐτῷ τινας Περίπατον ξένους ὄντας· οἴονται

(2) *Var. Hist.* Lib. VIII. Cap. 13.

(3) Apud BAYLE in *Diction.* v. *Aristote* Notâ E. in f. Veterum, quos Suidas in manibus habuit, fidem secutus est non tantum JAC. PERIZONIUS ad AEliani d. l. sed Vir quoque laudatissimus, CORAY, *Discours préliminaire aux Caractères de Théophraste* pag. 4. „ *Si ce dernier*, (Eudème de Rhodes, dit-il) *fut trop modeste pour appeller du ju-* „ *gement de son Maître, il n'en fut pas de même d'Aristoxène, qui, comme Dis-* „ *ciple d'Aristote, avoit aussi des prétentions à cette honorable succession. Sourd* „ *à la voix de la reconnoissance, et n'écoutant que le ressentiment d'un amour-* „ *propre offensé, il déchira, si l'on en croit Suidas, la mémoire d'Aristote après* „ *sa mort.*"

(4) *Praep. Evang.* Lib. XV. Cap. 2. pag. 791.

σὺν ἔνιοι, ταῦτα περὶ Ἀριστοτέλους λέγειν αὐτὸν, Ἀριστοξένου διὰ παντὸς εὐφημοῦντος Ἀριστοτέλην. Quae verba, si Latine, uti nunc leguntur, vertamus, sic se habent: " Quis „ vero fidem adhibeat illis, quae ab Aristoxeno Musico in *Vitâ Platonis* re„ feruntur? Ait enim, dum hic peregre abesset, per varias regiones vagatus, „ peregrinos nonnullos, (seu qui Cives Attici non essent) contra eum contu„ maces a scholâ defecisse, utque ipsius luminibus officerent, Peripatum „ instituisse. Existimant autem nonnulli, ista de Aristotele esse dicta, quum „ *Aristoxenus passim omnique occasione honorifice de Aristotele loquatur.*". Haec itaque cum sit loci apud Eusebium lectio, tantum abest, ut *maledicentiae* Aristoxenéae adversus Aristotelem in eo praesidium quaerat Doct. Mahne (5), ut contra, postquam Suidae fidem elevasset, ejusque dicta instar oraculi non habenda pronunciasset, haec adjungat: " Obstat ei hoc loco Aristocles, „ cujus hac in re majoris aestimanda est auctoritas, quique *diserte* prodit, „ *Aristoxenum nunquam, nisi perhonorifice, Aristotelis mentionem fecisse.*" — Et recte quidem, si quis ipse sibi istâ interpretatione satisfaciat, putetque tam ineptum fuisse scriptorem aut potius tam infantem Aristoclem, ut hoc modo loqueretur: " Arbitrantur quidam, Aristoxenum, quum rem *indecoram* de *nonnullis* ingratis ac contumacibus Platonis discipulis refert, per „ illos *nonnullos* Aristotelem *intellexisse*, quandoquidem Aristoxenus *semper* „ *honorifice* de Aristotele loquitur." Igitur *εὐφημία* Aristoxeni erga Aristotelem caussa est, cur " fuerint, qui crederent, eum de Aristotele agere, „ quando *contumaces Platonis discipulos*, Athenis hospites, memorat, qui „ Peripatum instituerint ex *invidentiâ contra suum ipsorum praeceptorem.*". Quis, precor, sic ratiocinatur? quis sic mentem suam expromit? Nemo, nisi infans aut stultus. — Fateor, Mahnium (fortassis quod absurdam verborum consequentiam ipse sentiret) — Scriptorem, inquam, *Diatribes Aristoxenéae* alio (6) loco verba Aristoclis sic interpretari: " Haec enim verba (Aristoxeni) „ nonnulli de Aristotele accipiunt, cujus *tamen* nunquam Aristoxenus nisi „ perhonorifice meminit." At vero unde, quaeso, istud *tamen?* — ut vacillanti et non cohaerenti sententiae fulcrum subderetur, scilicet! non quia sic ferunt Graeca: Addendum etenim fuisset *καίπερ* vel *εἰ καὶ*, aut simile quid,

SECTIO II. §. 26. ARISTOCLIS *Fragmentum apud* EUSEBIUM.

(5) D. l. pag. 14. Ante Mahnium eodem Aristoclis loco in eandem sententiam usi sunt tum alii, tum MEINERSIUS Tomo I. pag. 222.

(6) Cap. III. §. 25. pag. 91.

Sectio II. §. 26.

καίπερ Ἀριστοξένου διὰ παντὸς εὐφημοῦντες Ἀριστοτέλην. Tunc sibi saltem contrarius non fuisset Aristocles, licet caeteris adversus, qui inter Veteres de rebus Aristotelis Commentarios reliquerant: Nunc vero et sibi adversatur et aliis item. — Sed, contortam hanc et manifesto ipsi Scriptoris menti oppositam interpretationem mittentes, dicemus, quod res est: Corruptus est Aristoclis locus et levi operâ, quamquam haud levi emendatione, corrigendus: Scripsit ille, meo quidem arbitrio: *Οἴονται οὖν ἔνιοι, ταῦτα περὶ Ἀριστοτέλους λέγειν αὐτὸν, Ἀριστοξένου διὰ παντὸς* ΔΥΣΦΗΜΟΥ͂ΝΤΟΣ *αὐτὸν* (7). *Existimant nonnulli, his dictis suis Aristotelem ab Aristoxeno significatum, quandoquidem Aristoxenus semper parum decore de Aristotele loquitur* seu *in Aristotelem est maledicus.* Sic Aristocli conveniet secum; sic illi conveniet cum veteribus rerum Aristotelicarum Scriptoribus, quos Suidas secutus est; atque ita quidem conveniet, ut simul hic caussam reddiderit maledicentiae, qua praeceptoris sui memoriam Aristoxenus appetiit, iras nimirum atque invideantiam, propterea quod Aristoteles Theophrastum sibi praetulisset in Lycéo successorem: Tum etiam sic Aristocles talia tradiderit, quae congrua sunt malevolo isti ingenio, quod erga alios pariter, erga Socratem praecipue, prodidit *ἄμουσος* ille Musices magister. — Hoc videamus.

Fragmentum istud corrigitur.

Aristoxenus invidus et maledicus in Socratem et Socraticos.

Et primum quidem jam supra (8) memoravimus scriptam ab Aristoxeno *Vitam Platonis*, turpemque in eâ commissum errorem, quo Platoni tribuit, quae Socratis in tribus praeliis, praesertim in pugnâ ad Delium, facinora fuerunt, quoniam scilicet in levi istâ et velut cursim adfectatâ scribendi ratione, quae Polyhistoribus Peripateticis nimis propria fuit, Platonis libros adhibens, illa, quae ibi Laches atque Alcibiades ex suâ locuti personâ finguntur, accepit, tanquam si ipse de se Plato scripsisset (9). Sed errores ejusmodi, si ex ingenii vitio non oriuntur, humaniter sunt condonandi. Gra-

(7) *Δυσφημεῖν* eâ fere potestate, quamquam paulo leniori, hic ab Aristocle positum videtur, qua usitatius Graecis est *βλασφημεῖν*, *βλάσφημον* vel *δύσφημον εἰπεῖν*, uti in *Epist.* Socr. Ep. 22. pag. 48. *οὐδὲν τι οἶμαι διαφέρειν, ἢ βλασφημεῖν τινα, ἢ μὴ ἄξια δοκεῖν συγγράφειν τῆς ἀρετῆς περὶ ὅτου συγγράφει τίς κ. τ. λ.*

(8) Hujus Sectionis §. XIII. pag. 176.

(9) Vid. Periz. ad Aeliani *Var. Hist.* Lib. VII. Cap. 14. *Diatrib. Aristox.* Cap. III. §. 24. pag. 89. et in *Addendis* pag. 214.

Gravior est reprehensio, si, quae temere aut perperam traduntur, praejudicatam opinionem, invidentiam, livorem, malevolum denique animum, impurum habeant fontem, unde promanent. Atque ea Aristoxeni in Platonem fuit culpa, cui non facile ignoscimus. Observatum quippe a nobis (10) est, Aristotelicis plerisque in more positum fuisse, ut Socrati, Socraticisque, quantum possent, detraherent, atque adeo vitam, mores, dicta, ac facta eorum illiberaliter carperent, Socraticae vero scholae capita, ipsum Socratem ac Platonem, proscinderent etiam et turpiter calumniarentur. Igitur conscriptae ab Aristoxeno *Vitae Socratis* ac *Platonis* verius βλασφημίαι in illos quam ἐγκώμια aut simplices etiam factorum ac sententiarum narrationes fuisse videantur. Quod, precor, ne quis temere dictum calumnietur, aut aegre ferat, si ejusmodi scripta Aristoxenéa a nobis censeantur in numero impurorum istorum fontium, qui Historiam Philosophicam infecerint, in quos scilicet invidi atque adversarii inter se Philosophi acerbitatis suae virus evomuerunt. Et vero, quum exemplis (11) supra allatis id jam propemodum demonstratum sit, nunc evidenter constabit ex illis, quae de Socrate ac Platone ab Aristoxeno scripta reperiuntur. Ac, quod ad Platonem quidem attinet, inter pauca, quae Aristoxeni supersunt, Fragmenta aut rerum testimonia, tria sunt, in quibus Platonis fama foede arroditur aut sugillatur. Primum testimonium est apud DIOGENEM LAËRTIUM (12), ubi Aristoxenus dicitur adfirmasse, " universos fere Platonis *de Republicâ* Libros ex Pro-„ tagorae *Antilogicis* esse desumtos." Sic enim Graeca interpretamur, ἣν Πολιτείαν Ἀριςόξενός φησι πᾶσαν σχεδὸν ἐν τοῖς Πρωταγόρου γεγράφθαι Ἀντιλογικοῖς. Nimis gravis et invidiosa, opinor, Aristoxenéa accusatio Mahnio videbatur: quocirca attenuare eam cupiens, Aristoxenum perhibuisse (13) ait, " *Platoni* „ *in Libris* de Republicâ *conscribendis* MULTUM PROFUISSE *Protagorae* „ *Libros* de Contradictionibus." Quae an vera sit interpretatio, vehementer dubito. In Platonem magis etiam injuria sunt, quae alibi DIOGENES scribit (14) ab Aristoxeno in *Monumentis Historicis* tradita: " Platoni animum „ fuisse, quaecunque colligere potuisset, Democriti scripta comburere; sed

SECTIO II. §. [illegible]

ARISTOXENI *de Platone dicta.*

(10) Hac Sectione §. III. pag. 111. seqq.
(11) Vid. hujus Sectionis §. VI. pag. 128.
(12) Lib. III. Segm. 37.
(13) *Diatrib. Aristox.* pag. 90.
(14) Lib. IX. Segm. 40.

SECTIO II. §. 26 ,, Amyclam Cliniamque Pythagoreos illum ab isto incepto prohibuisse, nihil ,, profuturo, cum Democritéi Libri (15) jam in plurium essent manibus."

(15) Integrum DIOGENIS LAËRTII locum hic apponere non gravabor, quia corruptus est, neque adhuc, ut existimo, a quoquam persanatus. Verba Diogenis haec sunt: *Ἀριςόξενος δ᾽ ἐν τοῖς ἱςορικοῖς ὑπομνήμασι φησὶ, Πλάτωνα θελῆσαι συμφλέξαι τὰ Δημοκρίτου συγγράμματα, ὁπόσα ἠδυνήθη συναγαγεῖν· Ἀμύκλαν δὲ καὶ Κλεινίαν τοὺς Πυθαγορικοὺς κωλῦσαι αὐτὸν, ὡς οὐδὲν ὄφελος· παρὰ πολλοῖς γὰρ εἶναι τὰ βιβλία ἤδη. καὶ δῆλον δέ. πάντων γὰρ σχεδὸν τῶν ἀρχαίων μεμνημένος ὁ Πλάτων οὐδαμοῦ Δημοκρίτου διαμνημονεύει, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἔνθα ἀντειπεῖν τι αὐτῷ δέοι. δῆλον εἰδὼς ὡς πρὸς τὸν ἄριςον οὕτω τῶν φιλοσόφων ἔσοιτο, ὅν γε καὶ Τίμων κ. τ. λ.* — Locum mendosum vere pronuncians, ISAACUS CASAUBONUS existimat, post *ἔσοιτο* addendum fortasse *ὁ ἀγών*. " Cum probe sibi conscius esset Plato, sibi sic cum praestantissimo Philosophorum fore ,, certamen." Sed et priora vitio non carent, quod bene perspexit IGNATIUS ROSSIUS *Commentat. Laërtian.* pag. 199. Ille igitur ista *δῆλον εἰδὼς κ. τ. λ.* usque ad *ἔσοιτο* collocat post illa, *τὰ βίβλια ἤδη· καὶ* — hoc ordine: *Καὶ δῆλον δ᾽ ὡς πρὸς τὸν ἄριςον οὕτω τῶν φιλοσόφων ἔσοιτο· πάντων γὰρ* etc. " Istâ ratione, inquit, omnia sibi mirum in modum ,, consentient; eritque plana ac dilucida sententia." Ego vero tam violento remedio non utor, simpliciter legens hoc modo. *Ἀριςόξενος δ᾽ ἐν τοῖς ἱςορικοῖς ὑπομνήμασι φησὶ, Πλάτωνα θελῆσαι συμφλέξαι τὰ Δημοκρίτου συγγράμματα, ὁπόσα ἠδυνήθη συναγαγεῖν· Ἀμύκλαν δὲ καὶ Κλεινίαν τοὺς Πυθαγορικοὺς κωλῦσαι αὐτὸν, ὡς οὐδὲν ὄφελος· παρὰ πολλοῖς γὰρ εἶναι τὰ βιβλία ἤδη· Καὶ δηλονότι πάντων γε σχεδὸν τῶν ἀρχαίων μεμνημένος ὁ Πλάτων οὐδαμοῦ Δημοκρίτου διαμνημονεύει, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἔνθα ἀντεῖπειν τι αὐτῷ δέοι· δῆλον εἰδὼς* (vel *εἰδόθ᾽*) *ὡς πρὸς τὸν ἄριςον οὕτω τῶν φιλοσόφων* ἘΡΊΣΟΙ (vel *ἐρίσοιτο·*) Quorum haec sententia esse videtur. " *Narrat* ARISTOXENUS *in* Historicis Commentariis, *Platonem Democriti scripta, quotquot colligere potuisset, comburere voluisse; sed Amyclam et Cliniam Pythagoricos cum impedivisse, utpote qui operae pretium non esset facturus; in multorum enim jam manibus illos Libros versari. Et vero* (*δηλονότι*), *cum omnium fere Veterum mentionem faciat Plato, nusquam prorsus Democriti meminit; sed sic opus etiam non erat, ut ipsi contradiceret, qui nosset, sic se manifeste cum Philosophorum optimo in certamen esse congressurum.* Levissima est emendatio, pro *δῆλον δὲ* --- *γὰρ* scribentis *δηλονότι* --- *γε*: Tum *εἰδὼς* absolute positum a stilo Laërtiano idiotico minime est alienum; sed et corrigi potest *εἰδότα.* Denique pro *ἔσοιτο* corrigimus *ἐρίσοιτο* vel (formâ activâ) *ἐρίσοι*. Eodem usu ipse PLATO dixit in *Protagorâ* Tomo I. Opp. *ἀλλήλοις περὶ λόγων ἐρίζειν μὲν, ἀμφισβητεῖν δὲ μή.* Quem locum H. STEPHANUS in *Thes. L. Gr.* v. *ἐρίζειν* commode observat a Cicerone Latine versum fuisse: *Inter vos de rebus hujusmodi controversemini, non concertetis.* Plus scilicet est *ἐρίζειν* vel *ἐρίζεσθαι*, quam *ἀμφισβητεῖν*, in quo posteriori verbo mollior vis est significandi, qua notat *quaerere, disceptare;* in priore autem notio est *contentionis durioris* et *magis inimicae*, nempe *contendendi, certandi, pugnandi*, quare AMMONIUS *de Diff. Verb.* pag. 64. *ἐρίζειν*, inquit, *τὸ μετὰ μάχης φιλονεικεῖν.* — Tum quoque *ἐρίζειν* de iis potissimum dicitur, qui *cum potiori, fortiori, validiori contendunt*, unde proverbium apud SUIDAM aliosque *Paroe-*

Mihi quidem; quod supra dixi (16), Platonis in istâ caussâ patrocinium suscipere nec vacat, nec libet, etiamsi accusationis testes fide digniores desiderem, quam sunt Peripatetici, *Vitarum* Scriptores, quorum in Platonem, Platonicos, atque universam scholam Socraticam odium tam manifestum est, ut idoneam habere non possint in judicio auctoritatem. Scilicet eandem a Satyro, qui vestigiis Aristoxeni pro more institit, scriptam Platoni dicam vidimus (17): Nam nulla fere sunt in Historiâ Philosophicâ Platoni objecta opprobria, quin aliquem Peripateticorum habeant auctorem, quemadmodum priori loco addit Diogenes (18), Dicaearchum Peripateticum universam Platonis dictionem scribendique rationem ut adfectatam nimis ineptamque reprehendisse. — Neque Platonis tantum fuit aut stilus aut Philosophicae eruditionis copia et in laudandis Veteribus, a quibus profecerat, ingenua fides, — non Plato denique ut Philosophus et Scriptor fuit, quem atro dente momorderint cum Aristoxeno Peripatetici, sed idem Plato, ut vir unus ex multis, ab illorum grege maledictis laceratus est. Uno Aristoxeni exemplo defungamur. Cum Plato eâ quoque parte dissimilis fuerit praeceptoris sui Socratis, ut ad Tyrannum proficisci non recusaverit, duplex ejus ad Dionysium Siculum iter multorum censuram et jocos, ne Diogenis quidem Cynici, effugit: Sed, qui inter *viles virorum principum parasitos* eum numeraverit, Tarentinus noster fuit, ipse tamen hanc merito vicem a LUCIANO (19) ferens, ut hic illum in eundem censum referat, et Nelei, viri opulenti, ac disciplinae Aristotelicae studiosissimi, Aristoxenum *parasitum* fuisse adfirmet. — Verum quid de hujus Musici acerbitate in Platonem multa? — De illius in ipsum Philosophiae parentem calumniis atque odio, quod praecipuum nostrae disputationis argumentum est, potius dicamus, simulque demonstremus, quemadmodum in calumniando

miographos, ποταμὸς θαλάττῃ ἐρίζεις, — ἐπὶ τῶν διατεινομένων, inquit Suidas, πρὸς κρείττονας. — Ἀμφισβητεῖν contra de *aemulatione* ac *certamine magis aequo* proprium est, ut in altero loco apud SUIDAM vv. σωφροσύνῃ et τὰ γὰρ· — τὰ γὰρ ἐς σωφροσύνην αὐτὸς δικαιότατα κἂν τῷ Βελλεροφόντῃ ἀμφισβητήσειε. — Putat igitur Laërtius, " Democriti mentionem a Platone „ nusquam factam, quod sciret eum pro praestantissimo omnium Philosophorum haberi, „ nolletque adeo cum illo velut in arenam descendere, aut acriter cum illo contendere, „ cujus maxima fama per Graeciam celebrabatur."

(16) Sect. II. §. 17. pag. 196.

(17) Ibid. pag. 195.

(18) Lib. III. Segm. 38.

(19) *De Parasito*, Tom. II. Opp. pag. 862. Conf. Diatr. *de Aristoxeno* pag. 209.

Sectio II. §. 26. Platone Aristoxeni exemplum secuti sunt nonnulli e Doctorum Christianorum veterum numero, sic in caussâ Socratis id maxime evenisse, ut quaecunque indecora, turpia, ac foeda de illo a pluribus Ecclesiae (qui dicuntur) Patribus ad posteros sint prodita, unum Aristoxenum habeant auctorem.

§. XXVII. *De calumniis* Aristoxeni *in Socratem.*

§. 27. *De calumniis* Aristoxeni *in Socratem.*

Calumnias Aristoxeni in Socratem quum dicimus, non eos intelligimus rumores, qui, etiamsi maledicentiae magis quam benevolentiae ac gratiae quâdam velut aurâ afflati videantur, famam tamen viri boni non onerant, nec quicquam de existimatione sive animi sive ingenii detrahunt. Ejusmodi rumores de Socrate non solus sparsit Aristoxenus, sed ipse Lycéi princeps Aristoteles, post Aristotelem propagarunt alii e Lycéo profecti, Peripatetici seu veteres seu recentiores. Huc pertinet narratio illa, quam Aristoteles Libro *de Arte Poëticâ*, vel, (ut alii volunt) *de Poëtis* tertio, teste Diogene Laërtio (1), tradidit, Magum scilicet quemdam, Athenas e Syriâ advenam, tum aliis in rebus judicium Socrati adversum atque indecorum tulisse, tum etiam violentum ipsi praedixisse vitae finem, quem Magum equidem arbitror non alium fuisse quam Zopyrum istum, qui, ut Ciceronis (2) verbis utamur, *multa in conventu vitia collegit in Socratem, vitia quae caeteri in Socrate non agnoscerent*, cum *Physiognomon ille* (3), *qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere, stupidum esse Socratem dixit et bardum, quod jugula concava non haberet, obstructas eas partes et obturatas esse* perhibens, addensque etiam *mulierosum*. Quin de eodem Zopyro, seu Mago, locutum Aristoxenum censeo, quando, referente Aristocle apud Eusebium (4), scripsit, " In-

Aristotelis de Socrate narratio.

(1) Lib. II. Segm. 45.

(2) *Tusc. Quaest.* Lib. IV. Cap. 37.

(3) Cicero *de Fato* Cap. 5. — Ad utrumque Tullii locum conferendus est Vir egregius, Io. Davisius, qui ad priorem jam in istam nobis praeivit sententiam, ut Magus ille, de quo ex Aristotele retulit Diogenes Laërtius, non alius fuerit nisi Zopyrus, a Cicerone ex veteri aliquo memoratus scriptore Graeco, quem itidem secutus est Peripateticus recentior, Alexander Aphrodisiensis. Ejus ab Eusebio *Praepar. Euang.* Lib. VI. Cap. 9. descripta verba adnotare, post Ursinum, non neglexit Davisius ad Cic. *de Fato* d. l.

(4) *Praep. Euang.* Lib. XI. Cap. 3. pag. 511. " Φησὶ δ' Ἀριστόξενος ὁ Μουσικὸς, Ἰνδῶν εἶναι τὸν

„ dorum quoque eam esse sententiam, ut prius universi naturam, dein nostram, cognoscere oporteat; quapropter et, quum ex isto hominum genere „ aliquis forte Athenis in Socratem incidisset, is ab illo quaesiverit, *quo pacto* „ *suum sapientiae studium institueret;* respondente vero Socrate, *se in ra-* „ *tionibus vitae humanae inquirendis maxime occupari*, idem cachinnum „ tollens illudensque dixerit, *neminem res humanas perspectas habere posse,* „ *cui res divinae incognitae essent.*" Unus idemque mihi congressus et cum Indo, et cum Mago, et cum Zopyro esse videtur: Notum enim est vel ex solo HERODOTO (5), Zopyri nomen Persicum esse, ex sermone Persico ad formam Graecam inflexum; tum Persarum sapientes, illosve qui rerum divinarum ac naturalium scientiam apud Persas profitebantur (6), *Magos* esse dictos; tum denique hanc Magorum appellationem latius extendi solitam ad Syros, Arabas, (7) aliosque, qui in ultimo Oriente Brachmanum de Deo et rerum naturâ Philosophiam excolebant vel sectabantur. Idem igitur quum mihi fuisse videatur Zopyrus Physiognomon et Magus, ex Syria, Persiâ vel ab Indo Athenas advena, non magis Aristoxeni fidem in istâ de Socrate et Indo, quam Aristotelis auctoritatem in simili narratione de Mago e Syriâ Athenas advenâ suspectam habeo vel redarguo: Sed alia sunt documenta, ex quibus Tarentini Musici malevolentiam in parentem Philosophiae jure ac merito colligere videmur, quin tam evidenter demonstrare posse, ut de re

SECTIO II. §. 27.

ARISTOXENI narratio ejusdem argumenti.

Loca Veterum, in quibus ARISTOXENUS *de Socrate testis appellatur.*

λόγον τοῦτον· 'Αθήνησι γὰρ ἐντυχεῖν Σωκράτει τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων ἕνα τινὰ, κἄπειτα αὐτοῦ πυνθάνεσθαι, τί ποιῶν φιλοσοφοίη· τοῦ δ᾽εἰπόντος, ὅτι ζητῶν περὶ τοῦ ἀνθρωπίνου βίου, καταγελάσαι τὸν 'Ινδὸν, λέγοντα μὴ δύνασθαί τινα τὰ ἀνθρώπινα κατιδεῖν, ἀγνοοῦντά γε τὰ θεῖα."

(5) Lib. III. Cap. 153. seqq.

(6) Rem notissimam PORPHYRIUS aliique testes tradiderunt, in medium producti ab HYDIO, HUETIO, HADR. RELANDO, caeterisque Recentioribus, ab iis item, qui ad *Euang.* MATTHAEI Cap. II. Comm. 2. Commentarios scripserunt. Plura nobis cognita essent, si superfuisset THEODORI MOPSUESTENI Libellus, tribus partibus constans, et Mastubio cuidam ex Armeniâ reduci inscriptus, περὶ τῆς ἐν Περσίδι Μαγικῆς, καὶ τίς ἡ τῆς εὐσεβείας διαφορά, quem Libellum legerat PHOTIUS, breviter illum recensens Cod. LXXXI. pag. 115. ed. Graecae Hoesch. Ceterum de hoc Mago, seu Zopyrus fuerit, seu alius, verior fuisse videtur HESYCHII interpretatio, quando Μάγον dicit τὸν ἀπατεῶνα, φαρμακευτὴν, quam altera, quum addit, τὸν θεοσεβῆ, καὶ θεολόγον, καὶ ἱερέα οἱ Πέρσαι οὕτως λέγουσι, etiamsi et APULEJUS scribat: *Persarum linguâ Magus est, qui nostrâ sacerdos.* Vid. MENAG. ad DIOG. LAËRT. Prooem. pag. 3.

(7) Vid. Ill. H. GROTIUM in *Comm.* ad d. Matthaei I.

SECTIO II. §. 27. certissimâ nemo in posterum dubitaverit. Age, igitur; et illa testimonia uno tenore, secundum aetatem testium, alio non servato ordine, referamus.

PLUTARCHUS.

Num. I. PLUTARCHUS *de Herodoti malignitate*, Tomo I. Opp. pag. 856. C.

Οἱ δὲ πλαγίως οἷον ἐξ ἀφανοῦς βέλεσι χρώμενοι ταῖς διαβολαῖς, εἶτα περιϊόντες ὀπίσω καὶ ἀναδυόμενοι, τῷ φάσκειν ἀπιςεῖν ἃ πάνυ πιςεύεσθαι θέλουσιν ἀρνούμενοι κακοήθειαν, ἀνελευθερίαν τῇ κακοηθείᾳ προσοφλισκάνουσιν· Ἐγγὺς δὲ τούτων εἰσὶν οἱ τοῖς ψόγοις ἐπαίνους τινὰς παρατιθέντες, ὡς ἐπὶ Σωκράτους Ἀριςόξενος, ἀπαίδευτον καὶ ἀμαθῆ καὶ ἀκόλαςον εἰπὼν, ἐπήνεγκεν, ἈΔΙΚΊΑ ΔΕ ὈΥ῀ ΠΡΟΣΗ῀Ν.

" *Sunt et qui, dum calumniantur, obliquis velut telis ex occulto usi, mox emisso ictu per ambages retrocedunt seseque abscondunt; dicentesque fidem nequaquam se habere iis, quae tamen credi ipsi summopere cupiant, dum malitiam a sese amoliuntur, malitiae addunt illiberalitatem, nec tantum malignos se produnt atque improbos sed et ignavos. Neque procul ab hoc hominum genere absunt ii, qui vituperationibus suis qualescunque immiscent laudes, qualem se erga Socratem demonstravit Aristoxenus, qui, quum eum dicit indoctum fuisse, nullâ disciplinâ excultum, intemperantem et non castigatis moribus, mox tamen superaddit:* ABERAT AUTEM INJUSTITIA, (vel HAC SUÂ INTEMPERANTIÂ NEMINI INFEREBAT INJURIAM.)".

DIOGENES LAËRTIUS.

Num. II. DIOGENES-LAËRTIUS in *Vitâ Socratis* seu Lib. II. Segm. 19.

Ἀκούσας δὲ [Σωκράτης] Ἀναξαγόρου, κατά τινας, ἀλλὰ καὶ Δάμωνος, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν Διαδοχαῖς, μετὰ τὴν ἐκείνου καταδίκην διήκουσεν Ἀρχελάου τοῦ Φυσικοῦ· οὗ καὶ παιδικὰ γενέσθαι φησὶν Ἀριςόξενος. Δοῦρις δὲ καὶ δουλεῦσαι αὐτὸν καὶ ἐργάσασθαι λίθους.

" *Cum igitur Anaxagorae, secundum quosdam, auditor fuisset (Socrates) quin et Damonis, uti Alexander ait in Commentario* de Successionibus, *post illius condemnationem Archelaum, rerum naturalium*

scientiâ insignem, discipulus sectatus est, a quo et turpi amore amatum eum fuisse, auctor est Aristoxenus: Duris etiam scripsit servitutem illum serviisse et sculpendis lapidibus victum quaesivisse." SECTIO II. §. 27.

Num. III. DIOGENES LAËRTIUS ibidem seu Lib. II. Segm. 20.

Καὶ γὰρ πρῶτος (ὥς φησὶ καὶ Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱςορίᾳ) μετὰ τοῦ μαθητοῦ Αἰσχίνου ῥητορεύειν ἐδίδαξε· λέγει δὲ τοῦτο καὶ Ἰδομενεὺς ἐν τοῖς περὶ τῶν Σωκρατικῶν. καὶ πρῶτος περὶ βίου διελέχθη, καὶ πρῶτος φιλοσόφων καταδικασθεὶς ἐτελεύτα. Φησὶ δ' αὐτὸν Ἀριςόξενος ὁ Σπινθάρου καὶ χρηματίσασθαι· τιθέντα (1) γ' οὖν τὸ βαλλόμενον κέρμα ἀθροίζειν, εἶτ' ἀναλώσαντα, πάλιν τιθέναι.

"*Nam et primus (uti ait Favorinus in* omnigenâ Historiâ) *cum discipulo suo Aeschine artem oratoriam docuit. Refert id etiam Idomeneus in Commentariis* de Socraticis: *Et primus de vitâ humanâ disseruit; primusque Philosophorum, sententiâ judicis damnatus, vitam deposuit. Dicit vero Aristoxenus Spinthari filius eum et rem fecisse; posito enim marsupio, injectos nummulos collegisse; mox, his consumtis, iterum marsupium posuisse.*"

(1) De hoc loco, qui vix sanus videatur, sententiam dixit MAHNIUS *Diatr. Aristox.* pag. 73, a quo (uti ex nostrâ interpretatione patet,) vix dissentio, nisi quod caussam nullam videam, cur hanc Socratis mendicitatem, quam Aristoxeno auctori debemus, ad solam illius statuariae artis professionem restringamus. Vertit quippe Mahnius, *pecunias illum ex artis professione ad necessarium victum congregasse solitum: Positâ enim arculâ collegisse pecuniam, quae daretur; consumtâ autem eâ rursus posuisse.* Ego ex praecedentibus interpretari dicta de Socrate *Philosopho* et *viro* malim, quam de Socrate *Statuario* et *adolescente;* cujus quidem posterioris interpretationis nulla ibi ansa est. De Socrate pariter *Philosopho*, non de *puero*, fabula est, quam, Aristoxeno fortassis etiam auctore, narrat SENECA *de Benef.* Lib. VIII. Cap. 24. *Socrates, amicis audientibus, Emissem, inquit, pallium, si nummos haberem. Neminem poposcit, omnes admonuit: a quo acciperet ambitus fuit.* Fabulam merito appellat MEINERSIUS *Geschichte der Wissenschafften in Griechenland und Rom*, Tom. II. pag. 359. Qui autem *mendicandi* significationem in isto Laërtii loco nobiscum et cum Mahnio admittit, is forte non alienus fuerit a suspicione ob similitudinem literarum excidisse vocem βαλάντιον vel βαλλάντιον, --- τιθέντα γ' οὖν βαλάντιον τὸ βαλλόμενον κέρμα ἀθροίζειν. --- Confer. H. STEPH. *Thes. L. Gr.* Tomo. I. col. 714.

SECTIO II. §. 22. CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Num. IV. CYRILLUS ALEXANDRINUS *contra Julianum*, Lib. VI. pag. 185. B. C. Edit. Spanh. (2).

Οἴεται μὲν γὰρ (ὁ Ἰουλιανὸς) ἀμείνους γενέσθαι τῶν παρ' ἡμῖν, οὓς τεθαύμακε· σφάλλεται δὲ τἀληθοῦς καὶ διημάρτηκε τοῦ σκοποῦ. Φέρε γὰρ ἴδωμεν καὶ πρόγε τῶν ἄλλων ὁποῖος ἦν ὁ διαβόητος παρ' αὐτοῖς Σωκράτης· τεθαύμασται μὲν οὖν ἐπὶ σοφίᾳ κοσμικῇ, καὶ τῶν ἄγαν ἐλλογιμωτάτων γενέσθαι φασὶν αὐτόν· τάγε μὴν εἰς ἤθη καὶ τρόπους οὐδὲν γεγονότα κρείττονα καταθεῖτο τις ἂν τῶν τὴν ἀγελαίαν καὶ ἀγυρτικὴν τετριφότων ζωήν. Καὶ ἀπιςήσειε μὲν ἴσως ἅπας τις οὖν τοῖς περὶ τούτου λόγοις· οὐ μὴν ἔτι καὶ τοῖς Πορφυρίου γράμμασιν ἀντερεῖ, ὃς τὸν ἑκάςου τῶν ἀρχαιοτέρων ἀπεσημήνατο βίον. σκοπὸς γὰρ οὗτος γέγονεν αὐτῷ, καὶ πολλῆς ἠξίωσε τὸ χρῆμα σπουδῆς· ἔφη τοίνυν ὡδὶ περὶ αὐτοῦ. " Λέγει δὲ ὁ Ἀριςόξενος ἀφηγούμενος τὸν βίον τοῦ Σωκράτους, ἀκηκοέναι " Σπινθάρου (sic leg.) *τὰ περὶ αὐτοῦ, ὃς ἦν εἷς τῶν τούτῳ ἐντυχόντων· τοῦτον λέγειν, " ὅτι οὐ πολλοῖς αὐτός γε πιθανωτέροις ἐντετυχηκὼς εἴη, τοιαύτην εἶναι τήντε φωνὴν " καὶ τὸ ςόμα καὶ τὸ ἐπιφαινόμενον ἦθος, καὶ πρὸς πᾶσι δὲ τοῖς εἰρημένοις τὴν τοῦ εἴδους " ἰδιότητα. γίνεσθαι δέ που τοῦτο, ὅτε μὴ ὀργίζοιτο, ὅτε δὲ φλεχθείη ὑπὸ τοῦ πάθους τούτου, δεινὴν εἶναι τὴν ἀσχημοσύνην· οὐδενὸς γὰρ οὔτε ὀνόματος ἀποσχέσθαι, " οὔτε πράγματος." Εἶτα τί τὸ αἴσχιον ὀργῆς; ἢ πῶς οὐ χείριςον ἀῤῥώςημα νοῦ θυμὸς ἀκρατὴς, καὶ ἀτίθασσον κίνημα, καὶ πικρία δεινή; κ. τ. λ.*

" *Existimat vero (Julianus) praestantiores esse nostris hominibus illos, quos miratur: Sed a vero aberrat, et a scopo suo hallucinatur. Age enim, videamus primum, omnesque ante alios, qualis fuerit iste tantis apud eos celebratus rumoribus Socrates. Admirantur enim eum propter illam sapientiam, quae ex opinione est hominum, feruntque eum ex numero fuisse virorum supra caeteros excellentissimorum. At vero, quod ad mores attinet ac vitae consuetudinem, reperies in illo hominem, nullá re praestabiliorem iis, qui gregariam ac circumforaneam de trivio et in sordibus agunt vitam. Deneget autem forte quisquam fidem hujusmodi de illo sermonibus. Sed enim* PORPHYRII *scriptis non obloquetur, qui* Vitas *descripsit singulorum de Veteribus. Hoc enim ipsi scribendi fuit argumentum; multumque studii in isto opere posuit. Jam vero de Socrate loquitur hunc in modum.*

ARI-

(2) Conf. locum THEODORETI, quem mox sub N°. IX. collocabimus.

" Aristoxenus, *qui* Vitam Socratis *descripsit, sese ea, quae de ipso* Sectio II. §. 27.
,, *refert, a Spintharo accepisse ait, uno eorum, qui cum illo sunt*
,, *versati. Hunc testari,* " " *se non multis usum esse, qui majori vi*
,, ,, *persuadendi valerent; talem ipsi fuisse vocem, et os, et externum*
,, ,, *habitum, vitaeque consuetudinem, et in omnibus quae diceret*
,, ,, *opportunitatem modi ac quandam velut convenientiam: Id au-*
,, ,, *tem locum habuisse, cum nullá animi ferretur excandescentiá:*
,, ,, *Cum vero excandesceret et in iram praeceps rueret, vehementem*
,, ,, *tum in ipso fuisse omnis decori neglectum; nullo enim opprobrio*
,, ,, *nec dictis nec factis abstinuisse.*" " --- *At vero quid irá est tur-*
pius? aut quis neget, pessimam hanc esse animi infirmitatem, si quis affectús sui non sit compos, et efferis motibus atque vehementi indulgeat acerbitati?".

Num. V. Cyrillus Alexandrinus *contra Julianum* Lib. VI. pag. 186. C. seqq. (3).

Ἆρ' οὖν ἠῤῥώστησε μὲν ὁ Σωκράτης τὸ δριμὺ πρὸς ὀργὰς, ἡμοιρηκότα δὲ τῶν ἑτέρων εὑρήσομεν, αἳ ταῖς ἐσχάταις αὐτὸν ἐνήσει (4) διαβολαῖς; οὐμενοῦν· γέγονε γὰρ οὕτω γυναικομανὴς, καὶ ταῖς εἰς τοῦτο ῥοπαῖς ὁλοψύχως συνηρπασμένος, ὡς οὐδὲν ἡγεῖσθαι τὸ ἄμεινον αὐτοῦ· γέγραφε γὰρ ὧδὶ πάλιν περὶ αὐτοῦ Πορφύριος. " Ἐν δὲ τοῖς περὶ τὸν βίον
,, τὰ μὲν ἄλλα εὔκολον, καὶ μικρᾶς δεόμενον παρασκευῆς εἰς τὰ καθ' ἡμέραν γεγενῆσθαι·
,, πρὸς δὲ τὴν τῶν ἀφροδισίων χρῆσιν σφοδρότερον μὲν εἶναι· 'ΑΔΙΚΙ'ΑΝ ΔΕ' ΜΗ'
,, ΠΡΟΣΕΙ͂ΝΑΙ· ἢ γὰρ ταῖς γαμεταῖς, ἢ ταῖς κοιναῖς χρῆσθαι μόναις. δύο δὲ σχεῖν
,, γυναῖκας ἅμα, Ξανθίππην μὲν πολῖτιν, καὶ κοινοτέραν πως, Μυρτὼ δὲ 'Αριστείδου
,, θυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου· καὶ τὴν μὲν Ξανθίππην περιπλακεῖσαν λαβεῖν, ἐξ ἧς
,, ἑαυτῷ Λαμπροκλῆς ἐγένετο· τὴν δὲ Μυρτὼ γάμῳ, ἐξ ἧς Σωφρονίσκος καὶ Μενέξενος."
Εἶτα τί πρὸς τοῦτο φαίη ἂν ὁ τὸν Σωκράτην τεθαυμακώς; καίτοι μὲν γὰρ αὐτοί φασιν, σφοδρότερος ἦν περὶ τὰ ἀφροδίσια, καταφωρᾶται δὲ δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων, ὡς εἴη τις ἄγαν λάγνος τε καὶ ἀκρατὴς, καὶ κόρον εἰδὼς οὐδένα τὸν ἐπί γε ταῖς οὕτω βδελυρωτάταις ἡδοναῖς· ὅς γε δυοῖν αὐτῷ γαμεταῖν, οὐδὲ ἐν κόσμῳ τάχα που συνηρμοσμέναιν,

(3) Confer iterum locum Theodoreti mox sub No. IX.

(4) Locum, qui mihi omnino vitiosus videtur, aliis, mecum sentientibus, corrigendum relinquo.

Sectio II. §. 27.

συνεπλέκετο, καὶ ἄλλαις αἰσχροῖς δηλονότι καὶ μισθαρνοῦσι γυναίοις, καὶ τὴν τοῦ σώματος ὥραν ὤνιον προθεῖσι τοῖς ἐρασταῖς. Καίτοι *πῶς οὐκ ἀλλότρια ταυτὶ πολιτείας τῆς ἐμφιλοσόφου καὶ πρακτικῆς ἀρετῆς; κ. τ. λ.* (5).

" *Num ergo Socrates morbo iracundiae vehementer laboravit, sed immunem eum reperiemus aliorum vitiorum, quae illum extremis criminationibus reddiderint obnoxium? Nequaquam! Tam enim fuit mulierosus, et propensione in istud dedecus tam omni animo abreptus, ut nihil esset, quod ipsi non postponeret. Namque hoc iterum modo de eo scripsit* Porphyrius: " *in aliis quidem, quae ad vitam agendam ,, pertineant, facilem fuisse et minimo apparatu opus habuisse ad victum quotidianum; sed in usu rei Venereae immoderatissimum fuisse, ita tamen* UT NEMINI INJURIAM INFERRET; *nam vel suis Uxoribus, vel mulieribus, quae corpus vulgarent, solis fuisse usum: Duas autem simul eum habuisse Uxores, Xanthippen quidem, civem Atticam et quodammodo de vulgô feminam, Myrtô vero, neptem Aristidis, Lysimachi filii, ex illius filiâ: Et Xanthippen quidem clanculum cum eo conjunctam, ex quâ ipsi natus est Lamprocles; Myrtô autem legitimis nuptiis, ex qua nati Sophroniscus et Menexenus."* —

(5) Huc quoque referendus est ejusdem Cyrilli locus Lib. VII. pag. 226. B. *Ὁ Σωφρονίσκου Σωκράτης, ὁ φιλοσοφίᾳ σύντροφος, καί τοι καὶ ὀλιγοκτήμων ὑπάρχων, καὶ χειρουργικὴν ἐπιστήμην ἐπιτηδεύσας ἐν ἀρχαῖς, καὶ ὀλιγοσιτεῖν εἰωθὼς, καὶ ὡς ἐξ ἀνάγκης τάχα που καὶ ταῖς εἰς λῆξιν ἐνδείαις πεπιεσμένος, χαμαί τε ἐρχόμενος κατὰ τὸν Ὁμήρου μῦθον, συνεφύρετο γυναιξὶ, Μυρτοῖ τε φημὶ καὶ Ξανθίππῃ· συνεπλέκετο δὲ καὶ ταῖς ἑταιριζομέναις, καὶ ἀκάθεκτος ἦν εἰς ὀρέξεις αἰσχρὰς καὶ μυσαρωτάτας. Φέρε δὴ καὶ ἡμεῖς ἐπὶ Σωκράτους λέγωμεν· ὦ μέγεθος ἀρετῆς, ὦ σοφίας πλοῦτος· οὐ περιγέγονεν ἡδονῆς.* In quo loco quid sit *χαμαί τε ἐρχόμενος*, equidem requiro. Certe, nisi *humi incessisset* Socrates, risum spectatoribus praebuisset, uti ille in *Nubibus* Aristophaneis personatus Agyrta. Humi *cubuisse*, non *humi incessisse*, Socratem significare Cyrillus voluit; idque etiam indicat, nisi fallor, *ὁ τοῦ Ὁμήρου μῦθος*, qui non alius mihi esse videtur quam locus Il. Π. v. 235. ubi de Sacerdotibus Iovis Dodonaei est:

— *ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ*
Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι.

Igitur *χαμαί τε ἐρχόμενος* mutandum arbitror in *χαμαί τε εὐναζόμενος* aut similem aliquam locutionem.

Ad haec quid dicat, quaeso, qui Socratem mirari soleat? Ut ipsi enim aiunt, *immodicus erat in re Venereâ, ipsisque factis deprehenditur salaci libidine ac pruritu impotens sui homo fuisse, qui nullam in spurcissimis voluptatibus nosset satietatem; qui duabus simul uxoribus, neque iis rite et ordine conjunctis, uteretur; aliis praeterea turpibus mulierculis, quae mercede se substernerent, corporisque formam venalem prostituentibus scortis. Quomodo autem haec non aliena dicantur a normâ vivendi, qualem sapientiae praescribit studium, et a virtute, quae actionibus spectatur? etc.*" SECTIO II. §. 27.

Num. VI. CYRILLUS ALEXANDRINUS *contra Julianum*, Lib. VI. pag. 207. E. seqq. (6).

"Ἴδοι δ' ἄν τις καὶ ἐν τοῖς Ἑλλήνων ἀγῶσι τοὺς ὅτι μάλιϛα τῶν ἄλλων εὐπρεπεϛέρους χειρώνακτας μὲν γεγονότας ἐν ἀρχαῖς, δημώδη δὲ βαναυσικὴν ἐπιτηδεύσαντας τέχνην, καὶ ἐκ πατρῴας τοῦτο λαχόντας διαδοχῆς, οὐκ ἀθαυμάϛους δὲ γεγονότας ἐπὶ σοφίᾳ τῇ παρ' αὐτοῖς. Καὶ παρίημι μὲν πολλούς· ἐπ' αὐτὸν δὲ εἶμι τὸν Σωφρονίσκου Σωκράτην, ὃς μητρὸς μὲν ἐξέφυ μαίας τὸ ἐπιτήδευμα, λιθουργοῦ δὲ πατρὸς, καὶ μὴν καὶ εἰς ἄκρον φασὶν ἐλάσαι τῆς τέχνης αὐτὸν, καὶ οὐδὲν ὄνειδος ἡγεῖσθαι τὸ χρῆμα. γράφει δὲ οὕτω περὶ αὐτοῦ Πορφύριος, ἐν τῷ τρίτῳ Φιλοσόφων Ἱϛορίας. "Τούτων δὲ οὕτω σαφηνισθέν-
„ των, λέγωμεν περὶ Σωκράτους, τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοις μνήμης κατηξιωμένα ἐπ' ὀλίγον
„ φιλοκρινοῦντες, καταλιπόντες δὲ ἀνεξέταϛον τὸ εἴ τε αὐτὸς εἴργαϛο σὺν τῷ πατρὶ τὴν
„ λιθοτομικὴν, εἴτε αὐτὸς ὁ πατὴρ αὐτοῦ μόνος. οὐδὲν γὰρ αὐτῷ τοῦτο πρὸς σοφίαν,
„ πρὸς ὀλίγον γε χρόνον ἐργασθέν· εἰ δὲ δὴ ἑρμογλύφος ἦν καὶ μᾶλλον . . . . . . (7)
„ καθάρσιος γὰρ ἡ τέχνη, καὶ οὐ πρὸς ὀνείδους." Καὶ μεθ' ἕτερα· "Δημιουργὸν γὰρ
„ γενέσθαι τὸν Σωκράτην, πατρῴᾳ τέχνῃ χρώμενον τῇ λατυπικῇ." Καὶ Τίμαιος ἐν τῇ ἐννάτῃ λιθουργεῖν φησὶ μεμαθηκέναι Σωκράτην. εἰ δὲ ὁ μὲν διὰ δυσμένειαν (8) ἀξιόπιϛος, Τίμαιος δὲ διὰ ἡλικίαν· νεώτερος γὰρ ὁ Ἀριϛόξενος· Μενεδήμῳ τῷ Πυῤῥαίῳ χρηϛέον, Πλάτωνος μὲν γεγονότι μαθητῇ, πρεσβυτέρῳ δὲ γεγονότι Ἀριϛοξένου, λέγοντι ἐν

(6) Confer locum THEODORETI mox sub No. VII.

(7) Haec ita descripsi, ut sunt in Editione Spanhemianâ, quae tamen nec hiulca esse nec manca, patet ex THEODORETO, ubi idem nobis Fragmentum servatum est, ex quo vox tantum καθάρσιος mihi omnino in καθάριος mutanda videtur.

(8) De hac lectione paulo post agemus.

SECTIO II. §. 27.

τῷ Φιλοκράτους, ὅτι οὐκ ἐπαύετο Σωκράτης οὔτε ὑπὲρ τοῦ πατρὸς ὡς λιθουργοῦ λαλῶν, οὔτε ὑπὲρ τῆς μητρὸς ὡς μαίας. κ. τ. λ.

" *Videre etiam licet in Graecorum certaminibus eos, qui aliis maxime praecellunt, opifices principio fuisse, artem aliquam plebejam ac sellulariam exercentes, quam paternâ successione sint adepti, neque tamen minus admiratione dignos fuisse ob illam, quae apud eos colitur, sapientiam: Et, plures quidem alios praetermittens, ad ipsum venio Sophronisci filium Socratem, qui matrem habuit vitae instituto obstetricem, patrem vero statuarium; ipsum autem ferunt ad summam artis statuariae peritiam pervenisse, neque id sibi dedecori esse putasse: Et vero sic de illo scribit* PORPHYRIUS tertio Historiae Philosophicae Libro. " *His ita expositis, dicamus de Socrate, quae apud alios me-,, moriâ digna sunt visa, breviter perstringentes, atque in medio re-,, linquentes quaestionem, an et ipse artem sculpendi cum patre exer-,, cuerit, anne vero solus hoc fecerit ejus parens. Nihil enim hoc fa-,, cit ad sapientiam, si et per breve aliquod tempus in isto opificio ,, fuerit versatus. Immo magis etiam, si Hermarum sculptor fuerit. Ars ,, etenim haec velut expiatoria (casta) est; et nihil in eâ est indecorum." Et post alia:* " *Opificem quippe fuisse Socratem, et paternâ arte cae-,, dendorum lapidum usum." Et* TIMAEUS Libro nono *Socratem ait didicisse artem lapidariam. Quod si ille* [Porphyrius an potius Aristoxenus?] *ob inimicum animum fide minus dignus sit, Timaeus autem ob aetatem quâ vixit, (nam junior erat Aristoxeno)* MENEDEMUM PYRRHAEUM *testem adhibeamus, qui Platonis fuit discipulus et Aristoxenum aetate praecessit. Dicit ille in* Libro de Philocrate, *Socratem nunquam desiisse de patre statuario verba facere, nec de matre, tanquam quae artem obstetriciam fuerit professa."*

THEODORETUS CYRENSIS.

Num. VII. THEODORETUS, *Cyrensis Episcopus, in Curatione Graecarum adfectionum*, seu *ad Graecos infideles*, Serm. I. pag. 8. ed. Sylb. (9).

Ἔπειτα δὲ καὶ ἑτέρωθεν ἐξελέγχεσθε οὐκ ὀρθῶς προτιθέντες τῆς ἀληθείας τὴν εὐτέλειαν. τὸν

(9) Prior pars hujus loci conferenda est cum CYRILLO, illisque, quae modo sub No. VI. col-

γάρ τοι Σωφρονίσκου Σωκράτην ὁμολογεῖτε δήπου καὶ ὑμεῖς τῶν Ἑλληνικῶν Φιλοσόφων SECTIO II. §. 27.
ἄριστον γεγενῆσθαι. ἀλλ' οὗτος ἐκ λιθοξόου μὲν ἔφυ πατρὸς, ἐπιπλεῖστον δὲ τὴν πατρῷ-
αν μετεληλύθει τέχνην· καὶ τοῦτο πολλοὶ μὲν εἰρήκασι καὶ ἄλλοι, καὶ ὁ Πορφύριος δὲ
ἐν τῷ τρίτῳ τῆς Φιλοσόφου τοῦτο Ἱστορίας ξυνέγραψεν· ἔφη δὲ οὕτως· " Λέγωμεν περὶ
,, τοῦ Σωκράτους, τὰ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις μνήμης κατηξιωμένα· τὰ μὲν, πρὸς ἔπαινον
,, αὐτοῦ καὶ ψόγον, πολλαχῶς ὑπὸ τῶν λογίων ἀνδρῶν μεμυθευμένα ἐπ' ὀλίγον φιλο-
,, κρινοῦντες, καταλιπόντες δὲ ἀνεξέταστον τὸ, εἴτε αὐτὸς εἰργάσατο σὺν τῷ πατρὶ τὴν
,, λιθοκοπτικὴν τέχνην, εἴτε ὁ πατὴρ αὐτοῦ μόνος. οὐδὲν γὰρ ἐνέκοπτεν αὐτῷ τοῦτο
,, πρὸς σοφίαν [τὸ] πρὸς ὀλίγον χρόνον ἐργάσασθαι. εἰ δὲ δὴ ἑρμογλύφος ἦν, καὶ
,, μᾶλλον, καθάριος γὰρ ἡ τέχνη, καὶ οὐ πρὸς ὀνείδους." Καὶ τὰ ἑξῆς δὲ τῆς αὐτῆς
ἔχεται διανοίας· εἰσάγει γάρ τινας λέγοντας, λιθουργικῇ τέχνῃ τὸν Σωκράτη χρησάμε-
νον. ἀλλ' ἴσως τὴν μὲν πρώτην ἡλικίαν λιθουργῶν διετέλεσεν. ὕστερον δὲ, λόγων ποιητικῶν
καὶ ῥητορικῶν ἐρασθεὶς, παιδείας μετέλαχεν· ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο ἔστιν εἰπεῖν· πᾶν γὰρ
τοὐναντίον φησὶν ὁ Πορφύριος· λέγει δὲ οὕτως· " Εἶναι δὲ αὐτὸν πρὸς οὐδὲν μὲν ἀφυᾶ,
,, ἀπαίδευτον δὲ περὶ πάντα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν· σχεδὸν δὲ οὐδὲ γράμματα πάνυ τι
,, ἐπίστασθαι, ἀλλ' εἶναι γελοῖον, ὁπότε τι δέοι ἢ γράψαι ἢ ἀναγνῶναι, βατταρίζοντα
,, ὥσπερ τὰ παιδία." Καὶ ὁ Πλάτων δὲ αὐτὸν ἐν Ἀπολογίᾳ τοιάδε τέθεικε λέγοντα.
" Οὐ μήν τοι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, [νὴ Δία, ὦ θεοὶ] κεκαλλιεπημένους γε λόγους, ὥσπερ
,, οἱ τούτων, ῥήμασίν τε καὶ ὀνόμασιν, οὐδὲ κεκοσμημένους, ἀλλ' ἀκούσεσθε εἰκῇ λε-
,, γόμενα τοῖς ἐπιτυχοῦσι ὀνόμασι·" καὶ μετ' ὀλίγα δὲ ταῦτα πάλιν προστέθεικεν.
" Καὶ δὴ καὶ ὑμῶν τοῦτο νῦν δέομαι δίκαιον, ὥς γέ μοι δοκῶ, τὸν σκοπὸν τῆς λέξεως
,, ἐᾶν· ἴσως μὲν γὰρ χείρων, ἴσως δὲ βελτίων ἂν εἴη· αὐτὸ δὲ τοῦτο σκοπεῖν, τούτῳ
,, δὲ τὸν νοῦν προσέχειν, εἰ δίκαια λέγω." Ἀλλ' ὅμως καὶ ἀμαθῆ γε γλῶτταν καὶ
ἀπαίδευτον ἐσχηκώς κ. τ. λ.

locavimus, verbis: Ex quâ collatione, ut pluribus aliis exemplis, patebit, quantâ cum libertate aut (ut verius dicamus) quantâ cum licentiâ Patres isti Ecclesiastici (et universe omnes Veteres) versati sint in describendis testimoniis, quae ex priorum scriptis adferebant in medium, alia mutantes, alia mutilantes, decurtantes, aut in breviorem quasi gyrum contrahentes, sic ut, quae vera fuerint antiqui Scriptoris in ejusmodi Fragmento verba, admodum difficile dictu sit. Ita, hoc quidem loco, Cyrillus, bonâ an malâ fide, omisit notanda valde Porphyrii verba, quae Theodoretus conservavit: τὰ μὲν, πρὸς ἔπαινον αὐτοῦ καὶ ψόγον, πολλαχῶς ὑπὸ τῶν λογίων ἀνδρῶν ΜΕΜΥΘΕΥΜΕ'ΝΑ. Alteram partem frustra apud Cyrillum quis quaerat, illam, scilicet, Operis Porphyriani partem, ubi Socrates ne literas quidem scivisse atque in dicendo infans fuisse refertur. Haec fortassis Cyrillo εἰς ψόγον μεμυθευμένα videbantur, quae tamen nobis apponere non erubuit Theodoretus.

SECTIO II. §. 27. " *Deinde et ab alterâ parte manifestum est, reprehensione vos dignos esse, qui veritati praeferendum existimetis compositae orationis ornatum; Socratem siquidem, Sophronisci filium, ipsi affirmatis multo optimum Graecorum Philosophorum fuisse: Et ille tamen, fabro marmorario patre genitus, artem paternam plurimum sane temporis exercuit: Atque hoc tum multi dixerunt alii, tum* PORPHYRIUS *scripsit in* tertio Historiae Philosophicae Libro: *Haec autem ait:* " *Dicamus ,, de Socrate, quae et aliis Scriptoribus memoratu digna visa sunt; ,, illa quidem, quae sive in laudem sive in vituperationem multifariam ,, a viris doctrinâ insignibus, commentitiarum fabellarum instar, tra- ,, dita sunt, breviter judicio nostro perstringentes, et in medio relin- ,, quentes quaestionem, an ipse Socrates cum patre artem caedendo- ,, rum lapidum exercuerit, anne vero pater ejus solus: Neque enim, ,, si per breve temporis spatium opus fecisset, hoc ipsi impedimento ,, fuisset, quo minus ad cognitionem evaderet. Quod si et statuarum ,, sculptor fuit, multo magis id dicendum. Castum enim hoc est ar- ,, tificium nihilque in se habet probri." Tum porro ea, quae* (apud Porphyrium) *sequuntur, eandem sententiam habent: Adducit enim quosdam qui dicant,* " *Socratem marmorariae arti operam dedisse:". Et vero primam fortassis aetatem huic operi faciundo impenderit: Deinceps autem, sermonum Poëticorum atque Oratoriorum amore captus, eruditionem consecutus sit: Sed ne hoc quidem dicere nobis licet: Plane enim contrarium adfirmat* PORPHYRIUS, *cujus haec sunt verba: ,, Illum quidem ad nihil prorsus ineptum fuisse, sed omnium ,, tamen, ut paucis dicamus, rudem; quin neque literas propemodum ,, scivisse, sed risum debuisse, quoties aliquid ipsi aut scribendum es- ,, set aut legendum, balbutientem ut faciunt infantes." Et* PLATO *quoque haec illum dicentem facit in* Apologiâ. " *Iovem testor, o! ,, Athenienses, vos hodie quidem nullos audituros esse sermones, qui ,, ornati sint, ut sermones adversariorum meorum, verbis ac senten- ,, tiis, compti et arte expoliti; sed audietis a me orationem iis com- ,, positam verbis, quae dicenti sese fortuito offerent." Et, paucis interjectis, haec insuper addit.* " *Atque hoc nunc quidem (uti mihi vi- ,, detur) jure quodam meo a vobis peto, ut rationem meam dicendi ,, negligatis: Forte enim ineptior, forte aptior accidet: Sed hoc tan-*

„ tum respiciatis, ad hoc unice attendatis animum; si justa sint ac „ vera, quae dico." Et tamen, quamvis lingua ipsi esset parum exercitata et indocta etc."

Num. VIII. Theodoretus, *Cyrensis Episcopus*, in *Curatione Graecarum adfectionum*, seu *ad Graecos infideles*, Serm. IV. init. pag. 56.

Δημόκριτον τὸν Δαμασίππου τὸν Ἀβδηρίτην φασὶ, παραπλησίαν εἶναι τῇ φύσει λέγειν τὴν ἀρίστην διδασκαλίαν· μεταμορφοῦν γὰρ δεῖ καὶ μεταῤῥυθμίζειν πρὸς τὸ βέλτιον τὴν ψυχὴν, καὶ τοὺς παλαιοὺς ἀνανεοῦσθαι χαρακτῆρας, οὓς ἐξ ἀρχῆς ἡ φύσις ἔθηκε. Καὶ ἔγωγε μάλα τόνδε τὸν λόγον εὖ ἔχειν ὑπείληφα. καὶ γὰρ τὸν Σωκράτην τὸν Σωφρονίσκου φησὶν ὁ Πορφύριος εἰς ἀκολασίαν, ἡνίκα νέος ἦν, ἀποκλίναντα, σπουδῇ καὶ διδαχῇ τούτους μὲν ἀφανίσαι τοὺς τύπους, τοὺς δὲ τῆς φιλοσοφίας ἐκμάξασθαι.

" *Democritus, Damasippi filius, dixisse fertur, praestantissimam institutionem idem fere valere, quod naturam. Animam enim ab illâ in aliam velut mutari formam, in alium intendi modum, veteresque impressas renovari notas, quas ab initio natura indiderat. Equidem existimo, recte sese habere hoc dictum: Nam et Socratem, Sophronisci filium,* Porphyrius *ait,* " *in intemperantiam, quum juvenis „ esset, pronum fuisse; sed studio atque doctrinâ haec delevisse signa, „ eorumque vice Philosophiae in animo effinxisse formas.*" ".

Num. IX. Theodoretus, *Cyrensis Episcopus*, in *Curatione Graecarum adfectionum* seu *ad Graecos infideles*, Serm. XII. pag. 174. (10).

Καὶ ὁ Πορφύριος δὲ, τὴν Φιλόσοφον Ἱστορίαν ξυγγράψας, πρῶτον μὲν αὐτὸν ἀκρόχολον καὶ

(10) Monuimus supra, Theodoretum hic eundem Porphyrii exscripsisse locum, quem et Cyrillus Alexandrinus habet *contra Julianum* Lib. VI. pag. 185. item pag. 186. quod utrumque Cyrilli Fragmentum collocavimus supra sub No. IV. et V. Ex collatione autem utriusque nova prodibunt documenta tum negligentiae horum Patrum, tum varietatis in

Sectio II. §. [illegible]

εὐεργητικὸν εἴρηκε γεγενῆσθαι, Ἀριστοξένῳ μάρτυρι κεχρημένος, τὸν Σωκράτους βίον ξυγγεγραφότι· ἔφη γὰρ μηδενὶ ἑτέρῳ ἐντετυχηκέναι πιθανωτέρῳ ἐκείνου· τοιαύτην εἶναι τήν τε φωνὴν καὶ τὸ σόμα, καὶ τὸ ἐπιφαινόμενον ἦθος· καὶ πρὸς ἅπασι δὲ τοῖς εἰρημένοις τὴν τοῦ εἴδους ἰδιότητα. γίγνεσθαι δὲ τοῦτο, ὅτε μὴ ὀργίζοιτο· ὅτε δὲ ληφθείη ὑπὸ τοῦ πάθους τούτου, δεινὴν εἶναι τὴν ἀσχημοσύνην· οὐδενὸς γὰρ οὔτε ὀνόματος ἀπέχεσθαι, οὔτε πράγματος· καὶ ἄλλα δὲ τοιαῦτα διεξελθὼν, ἐδήλωσεν αὐτὸν καὶ ταῖς ἡδυπαθείαις δεδουλωμένον· λέγει δὲ οὕτως. " Πρὸς δὲ τὴν τῶν ἀφροδισίων χρῆσιν, σφοδρότερον „ μὲν εἶναι, ἈΔΙΚΙ'ΑΝ ΔΕ' ΜΗ' ΠΡΟΣΕΙ͂ΝΑΙ· ἢ γὰρ ταῖς γαμεταῖς, ἢ ταῖς κοιναῖς „ χρῆσθαι μόναις· δύο δὲ ἔχειν γυναῖκας ἅμα· Ξανθίππην μὲν πολίτην, καὶ κοινοτέραν „ πως· Μυρτὼ δὲ Ἀριστείδου θυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου· καὶ τὴν μὲν Ξανθίππην προσ„ πλακεῖσαν λαβεῖν, ἐξ ἧς ὁ Λαμπροκλῆς ἐγένετο· τὴν δὲ Μυρτὼ γαμηθεῖσαν, ἐξ ἧς „ Σωφρονίσκος καὶ Μενέξενος· αὗται δὲ, συμπίπτουσαι μάχην πρὸς ἀλλήλας, ἐπειδὰν „ παύσαιντο, ἐπὶ τὸν Σωκράτην ὥρμουν, διὰ τὸ μηδέποτε αὐτὰς μαχομένας διακωλύειν, „ γελᾶν δὲ, καὶ ἀλλήλαις καὶ αὐτῷ μαχομένας ὁρῶντα. Εἶναι δὲ φησὶν αὐτὸν ἐν ταῖς „ ὁμιλίαις αἰνῶς τε φιλαπεχθήμονα καὶ λοίδορον καὶ ὑβριστικόν." Καὶ ταῦτα δὲ περὶ τοῦ βίου Σωκράτους ὁ Πορφύριος ἔφη. " Ἐλέγετο δὲ περὶ αὐτοῦ, ὡς ἄρα παῖς ὢν οὐκ „ εὖ βιώσειεν, οὐδὲ εὐτάκτως· πρῶτον μὲν γὰρ φασὶν αὐτὸν τῷ πατρὶ διατελέσαι „ ἀπειθοῦντα, καὶ, ὁπότε κελεύσοι αὐτὸν λαβόντα τὰ ὄργανα τὰ περὶ τὴν τέχνην, „ ἀπαντᾶν ὁπουδήποτε, ὀλιγωρήσαντα τοῦ προστάγματος, περιτρέχειν αὐτὸν ὁπουδή„ ποτε δόξειεν· ἤδη δὲ περὶ τὰ ἑπτακαίδεκα ἔτη προσελθεῖν αὐτῷ Ἀρχέλαον τὸν „ Ἀναξαγόρου μαθητὴν, φάσκοντα ἐραστὴν εἶναι· τὸν δὲ Σωκράτην οὐκ ἀπώσασθαι τὴν „ ἔντευξίν τε καὶ ὁμιλίαν τὴν πρὸς τὸν Ἀρχέλαον, ἀλλὰ γενέσθαι παρ' αὐτῷ ἔτη συχνά· „ καὶ οὕτως ὑπὸ τοῦ Ἀρχελάου προτραπῆναι τὰ φιλόσοφα." Εἶτα μετ' ὀλίγα. " Ἦν δὲ καὶ τῶν ἐπιτιμωμένων καὶ τάδε Σωκράτει, ὅτι εἰς τοὺς ὄχλους εἰσωθεῖτο, καὶ τὰς

lectionibus, quae Codicibus seu Porphyrii antiquis (quos adhibuerint), seu ipsorum, a Librariis descriptorum, debeatur. Negligentia quidem Theodoreti videtur, quando ait, (uti saltem verba ejus hodie leguntur), ipsum Aristoxenum, non Spintharum, Aristoxeni patrem, cum Socrate versatum. Fuerit tamen forsan, qui suspicetur, propter similitudinem literarum in sequenti voce πιθανωτέρῳ, excidisse Spinthari nomen, ἐντετυχηκέναι Σπίνθαρον πιθανωτέρῳ ἐκείνου. Mox, ubi Theodoretus habet, ὅτε δὲ ληφθείη ὑπὸ τοῦ πάθους τούτου, apud Cyrillum est φλεχθείη, quae, nisi germana sit lectio, elegantior saltem est. In altero Fragmento Porphyriano apud Cyrillum est, δύο δὲ σχεῖν γυναῖκας ἅμα, Ξανθίππην μὲν πολῖτιν, apud Theodoretum δύο δὲ ἔχειν γυναῖκας ἅμα, Ξανθίππην μὲν πολίτην· — item, τὴν μὲν Ξανθίππην περιπλακεῖσαν λαβεῖν apud priorem, τὴν μὲν Ξανθίππην προσπλακεῖσαν λαβεῖν apud alterum, in quibus quidem varietatibus λαβεῖν saltem vitiosum esse existimamus.

„ τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο πρὸς τὰς τραπέζας, καὶ πρὸς τοῖς Ἑρμαῖς." Ταῦτα περὶ Σωκράτους ὁ Πορφύριος ἔφη, καὶ ἄλλα ἅττα ἃ ἑκὼν εἶναι παρέλιπον· ἐξ ὧν καταμανθάνειν ἔξεστιν, ὡς λόγοις ἐπῄνουν ἐκεῖνοι τὴν ἀρετὴν, ἠσπάζοντο δὲ τὴν ἡδονὴν, καὶ τοῖς πάθεσι δουλεύειν ἠνείχοντο. Εἰ γὰρ, δὴ κατὰ τὸν Πορφύριον, καὶ περὶ τὰ ἀφροδίσια ἐρμητικῶς εἶχε, καὶ δύο γυναιξὶ, κατὰ ταὐτὸν, ὁμιλῶν οὐκ ἐλάμβανε κόρον, ἀλλὰ καὶ ταῖς κοιναῖς ἀναίδην ἐχρῆτο, καὶ τῶν ἐν ταῖς παλαίστραις γυμνουμένων νέων, κατὰ τὸν Πλάτωνα, τὴν θέαν ἠσπάζετο, καὶ δυσόργητος ἦν, καὶ μόγις ἅττοντα κατέχειν ἠδύνατο τὸν θυμὸν, καὶ λοίδορον εἶχε τὴν γλῶτταν καὶ ἀχαλίνωτον, ποῖον ἄρα εἶδος φιλοσοφίας μετῄει; κ. τ. λ.

" *Et* Porphyrius *quidem, qui* Historiam *conscripsit* Philosophicam, *primo " fuisse illum (Socratem) dixit in iracundiâ vehementem et ad „ excandescentiam pronum,* Aristoxeno *teste usus*, *qui* Vitam Socratis *literis consignavit. Ait enim* [Aristoxenus, seu potius aiebat „ Aristoxeni pater (11) Spintharus] *in nullum unquam se hominem incidisse, qui persuadendi arte magis valeret quam Socrates; talem „ quippe ipsi fuisse vocem, tale os, talem denique habitum externum „ ac consuetudinem; tum porro ad omnia dicta congruam quandam „ formae proprietatem; id autem locum tantum habuisse, quando in „ iram praeceps non ferebatur: Sin isto animi affectu abriperetur, „ vehementem tunc fuisse illius impotentiam animi, quippe qui nulli „ nec opprobrio parceret, nec facto." Et, alia ejusmodi narratione suâ persecutus* [*Porphyrius an Aristoxenus?*] *demonstrat*, *ipsum voluptatibus quoque deditum fuisse. Haec nimirum scribit: " In usu rei „ Venereae eum intemperantiorem fuisse, ita tamen* UT NE ADESSET „ CUIQUAM FACTA INJURIA; *eum enim vel uxoribus vel prostibulis „ solis usum; duas autem eum simul habuisse uxores, Xanthippen „ quidem civem Atticam sed vilioris aliquantum conditionis, Myrtô „ vero Aristidis Lysimachi ex filiâ neptem; et Xanthippen quidem „ amore implicitam sibi sumsisse, ex qua ipsi natus Lamprocles, „ Myrtô vero justis nuptiis junctam, ex quâ Sophroniscus et Menexenus. Hae autem, cum inter se consertis manibus rixarentur,*

(11) Locum vix sanum videri, supra notavimus, nisi ipsius Theodoreti culpa sit, qui, quod de Spintharo dixerat Porphyrius, acceperit de Aristoxeno, Spinthari filio.

SECTIO II. §. 27.

,, *mox, desito jurgio, in ipsum ruere solebant Socratem, quod illas ,, a rixâ nunquam prohiberet, sed rideret tantum, quum eas tum ,, inter se pugnantes tum ipsum aggressas videret. Ait quoque, illum ,, in quotidianâ consuetudine odio et inimicitiis valde indulsisse, con- ,, tumeliosumque fuisse et insolentem.*" *Atque haec insuper de* Vitâ Socratis PORPHYRIUS *scripsit.* "*Relatum et de eo est, illum in ado- ,, lescentiâ minus recte vitam instituisse, nec castigatis moribus fuisse: ,, Ac primo quidem ferunt, cum patri minus morigerum perpetuo fuis- ,, se; et, si quando hic ipsum juberet artis suae instrumenta in ma- ,, nus sumere, dicto nunquam obtemperasse, neglectoque parentis ,, mandato, huc atque illuc, quocunque libuisset, vagatum discur- ,, risse: Quum autem ad septimum decimumque pervenisset aetatis ,, annum, accessisse ad eum Archelaum, Anaxagorae discipulum, ,, prae se ferentem, se ipsius amore captum; Socratem vero familia- ,, ritatem intimamque cum Archelao consuetudinem non aversatum, ,, sed complures cum illo annos vixisse: Atque sic ab Archelao Phi- ,, losophiae studium in eo excitatum.*" *Mox, post interjecta non- nulla.* "*Inter ea, quae Socrati vitio fuerunt data, et hoc est, quod ,, in turbam populi perrumpere* solere*t, quotidieque ad mensas et in ,, vicis urbanis ad Hermarum statuas versaretur.*" *Haec itaque de Socrate Porphyrius retulit, et alia complura quae lubens praetermisi, ex quibus vero discere licet,* illos [Veterum sapientes, videlicet!] *sermonibus quidem virtutem laudasse, sed voluptati fuisse obsecutos, et affectibus servire non recusasse. Etenim, si, secundum Porphyrium, in rem Veneream summo opere pronus erat* [*Socrates*,] *et, cum duabus uxoribus eodem tempore conjunctus, ne sic quidem satiabatur consuetudine Venereâ, sed et meretricibus, nullo adhibito pudore, utebatur, tum et, teste* PLATONE, *nudatorum in palaestris juvenum adspectu capiebatur; si et erat in iram atque excandescentiam pronus; et incensum animi fervorem vix continere poterat; si denique lingua ipsi erat contumeliosae dicacitatis et effrénae, quodnam ille demum Philosophiae genus excoluit? quam formam secutus est?*"

N°. X. SYNESIUS, *Cyrenes Episcopus*, in *Encomio Calvitii*, pag. 81. (ed. Petav.)

SYNESIUS.

"Ἀλλ' ὥσπερ οὐκ ἐπαινεῖται δι' Ἀχιλλέα περὶ ψυχὴν ὁ θυμὸς, οὕτως περὶ σῶμα κόμη τῶν θαυμαστῶν· καί τοι συγχωρῶ Θέτιδος ὄντα, κράτιστα φῦναι πρὸς ἅπασαν ἀρετὴν, καὶ γνώμην ἀποφαίνομαι περὶ Ἀχιλλέως, εἰ περιεγένετο, φαλάκρας τε ἂν αὐτὸν καὶ φιλοσοφίας οὐκ ἀμοιρῆσαι, καὶ νέος ὢν ἀμωσγέπως ἰατρικῆς τε καὶ μουσικῆς ἥπτετο, καὶ πρὸς ἃς εἶχε τρίχας οὕτω δυσχερῶς εἶχεν, ὡς ἱεροῖς ὁσιωθείσας ἠρίοις ἀπάρξασθαι· ἐπεί τοι καὶ Σωκράτην αὐτὰ ταῦτά φησιν Ἀριστόξενος, ὡς φύσει γεγόνοι τραχὺς εἰς ὀργὴν, καὶ ὁπότε κρατηθείη τῷ πάθει, διὰ πάσης ἀσχημοσύνης ἐβάδιζεν· οὐ μὴν οὐδὲ Σωκράτης πω τότε φαλακρὸς ἦν, πέντε καὶ εἴκοσιν ἔτη γεγονὼς, ὁπηνίκα Παρμενίδης καὶ Ζήνων ἧκον Ἀθήναζε, ὡς Πλάτων φησὶ, τὰ Παναθήναια θεασόμενοι· ἀλλ' εἴτις ὕστερον ὡς περὶ χαλεποῦ τοῦ Σωκράτους, ἢ ὡς περὶ κομήτου διελέγετο, πολὺν ἂν οἶμαι τὸν λέγοντα παρὰ τοῖς εἰδόσιν ὀφλῆσαι κατάγελων· ὡς οὗτός ἐστιν ὁ τῶν πώποτε πεφιλοσοφηκότων φαλακρότατός τε ὁμοῦ καὶ πρᾳότατος. κ. τ. λ.

" *At vero, sicuti propter Achillem non laudatur irae impotens animus; sic neque propter corpus laudatur coma virorum, quos admiramur: Eundem tamen, utpote qui Thetide esset prognatus, concedo egregiâ ad omnem virtutem animi indole fuisse; atque de Achille hanc foveo sententiam, si diu superstes fuisset, fieri non potuisse, ut calvitii ac philosophiae expers mansisset, quandoquidem in ipsâ jam adolescentiâ artem aliquatenus attigerat Medicam ac Musicam, tum et quos habebat capillos tanto tractabat fastidio, ut illos inferiis ad busta consecratos detonderet. Quippe et de Socrate pariter refert* ARISTOXENUS, " *eum naturâ ad iracundiam animique vehementiam proclivem fuisse, „ et, si quando ab isto affectu vinceretur, nihil non indecore egisse „ prae impotentiâ*:" *At vero neque eo jam tempore calvus erat Socrates, quinque et viginti annos natus, quum Athenas (uti refert Plato) Parmenides et Zeno ad spectanda Panathenaea venissent. Sed, si quis postea de Socrate tanquam homine aspero et moroso, vel ut de viro comam alente, fuisset locutus, multo, ut opinor, risu exceptus fuisset ab iis, qui eum novissent: Adeo enim ille omnium, qui Philosophiam coluerunt, capite simul calvissimus fuit et ingenio mitissimus*".

Sectio II. §. 27.

N°. XI. Suidas v. Σωκράτης.

Suidas. Ἀριϛόξενος δὲ Ἀρχελάου πρῶτον αὐτὸν διακοῦσαι λέγει· γεγονέναι δ' αὐτοῦ καὶ παιδικά· σφοδρότατόν τε περὶ τὰ ἀφροδίσια, ἈΛΛ' ἈΔΙΚΗ'ΜΑΤΟΣ ΧΩΡΙΣ', ὡς Πορφύριος ἐν τῇ Φιλοσόφῳ Ἱϛορίᾳ φησίν.

" Aristoxenus *vero*, *ut* Porphyrius *ait in* Historiâ Philosophicâ, *eum primum Archelai auditorem fuisse refert, quin et turpi ab illo amore dilectum, vehementissimum autem ad rem Veneream fuisse, sed* sine injuriâ."

En igitur Tibi, quicunque aequi amans verique studiosus es arbiter, quotquot mihi ex universâ Antiquitate innotuerunt (12) loca, in quibus de Socratis ingenio, indole, ac moribus testis adducitur Aristoxenus, ea praesertim quae ex Aristoxeno Porphyrius, ex Porphyrio retulerunt aut expresserunt Patrum Ecclesiasticorum par, Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus Cyrensis: Quorum quidem locorum describendorum, atque in gratiam nonnullorum e Lectoribus meis Latine vertendorum, taedio ac fastidio si me propemodum enectum, lassatum saltem ac nauseantem adfirmem, nulla certe in dictis meis erit exaggeratio. Quid enim si veritatem sedulo quaerenti undique appareant *fraudesque dolique*, appareant autem structi, aucti, propagati ab illis, qui seu studium sapientiae ac cognitionis, seu eximium animi ardorem in docendo, tuendo, asserendo veri Dei cultu prae se ferunt, quique, dum id agere videntur, --- dum speciosâ

Fraudes dolique testium contra Socratem.

(12) Duo priora Cyrilli ac tria, quae descripsimus, Theodoreti loca jam indicavit Lucas Holstenius *de Vitâ et Scriptis Porphyrii* Cap. VIII. (*Bibl. Graecae Fabr.* Vol. IV. pag. 253.) unde eadem Cyrilli et duo posteriora loca Theodoreti habet etiam *Diatribe Aristoxenéa* pag. 73. seqq. omissis nonnullis intermediis Cyrilli verbis, quae et Holstenio omittere fuerat visum. Omisit idem Holstenius, neque adeo habet Mahnius, tertium Cyrilli locum, quem sub No. VI. collocavimus; quam ob caussam omiserint, nescio: Sed dicit ibi de Aristoxeno Cyrillus, εἰ δὲ ὁ μὲν διὰ δυσμένειαν ἀξιόπιϛος, quae certe tum Aristoxeni, tum etiam Porphyrii, Aristoxeno teste usi, fidem haud parum elevant atque infirmant, neque adeo ad rem faciebant illius, qui seu Aristoxenum seu Porphyrium laudare aut culpâ purgare instituisset. — Plutarchi, Diogenis Laërtii, Synesii; Suidae loca diligentiam Mahnii non effugerunt.

fronte admirationem vulgi captant publicamque fidem, malignitati interim frena laxant, et ejurato pudore calumniantur? --- Id autem fecerunt Philosophi Gentiles, Aristoxenus et Porphyrius; id fecerunt Theologi Christiani, Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus: Quod ne temere dixisse videamur, agedum denuo, et singula ordine demonstremus: " 1°. Aristoxenum „ Tarentinum fontem fuisse unicum, unde manarunt omnes, qui de turpi „ Socratis vitâ, malignâque ac perversâ indole, feruntur rumores; ex Aristoxeno quippe sua hausisse cunctos Scriptores, quorum Fragmenta vel „ superstites etiam Libri famam Viri sapientissimi onerant vel laedunt: Ex „ Aristoxeno praesertim sua duxisse Porphyrium; atque adeo, cum non „ alium nisi Porphyrium habuerint auctorem Patres Ecclesiae, ipso juniores, illa opprobria per istos Patres ex Porphyrio, per Porphyrium ex „ Aristoxenéo fonte fuisse derivata: 2°. Aristoxeni malam fidem hoc in argumento agnitam fuisse et manifestam: Neque 3°. meliorem Porphyrii „ fuisse fidem, testis parum idonei ac maligni: 4°. Ipsos denique Patres „ Christianos, qui post Iulianum vixerunt Imperatorem, dum calumniantem „ Porphyrium bonâ ipsi fide sequi voluerunt videri, in idem tamen manifestae calumniae crimen incidisse, et deliberato velut consilio errasse; quâ „ in malignitate, moderatior caeteroquin Theologus, Theodoretus Cyrensis „ plus tamen quam asper animo Cyrillus Alexandrinus versatus esse videatur."

SECTIO II. §. 27.

§. XXVIII. Aristoxenus *Tarentinus auctor omnium calumniarum, quae de Socrate ad posteros, referente praesertim* Porphyrio, *sunt propagatae.*

§. 28.

Aristoxenus Tarentinus calumniarum in Socratem auctor. *Summa accusationum et opprobriorum.*

Crimina vel probra Socrati objecta haec fuerunt: " 1°. Ex patre marmorario natales, et factitatum a puero opificium statuarii: 2°. Adolescentia parum morigera, contumax, intemperans: 3°. Turpis Archelai „ amor: 4°. Indoles iracunda atque animi impotentia: 5°. *Mulierositas* (sic „ enim Cicero (1) φιλογυνείαν interpretandam censet,) et effrena in Venerem libido: 6°. Pecuniae corradendae mos: 7°. Frequens in turbâ popülari conversatio, et abjectum vitae genus ad Hermarum statuas: 8°. O-

(1) *Tusc. Quaest.* Lib. IV. Cap. 11.

Sectio II. §. 28.

„ omnium disciplinarum ignorantia et indocti oris balbuties." Atqui vero nullum est horum vitiorum et dedecorum, cujus in Socratem primus auctor a Veteribus non feratur Aristoxenus: Nam 1°. natales ex patre marmorario et factitatum a puero opificium statuarii non tantum ex Duri Peripatetico tradidit Diogenes Laërtius (2), sed et ex Porphyrio, Aristoxenum secuto, Cyrillus (3) ac Theodoretus (4). Hic autem, Aristoxeno itidem et Porphyrio (4*) auctoribus, adjungit 2°. contumaciam erga parentem immodestamque adolescentiam: Παιδικὰ item Ἀρχελάου 3°. fuisse, non alio nisi Aristoxeno nominatim ad testimonium vocato, referunt Diogenes Laërtius (5), Theodoretus (6), Suidas (7) Quod ad 4um crimen, insanam iracundiam, et facile excandescentis animi cum omni dedecore impotentiam, —— Cujus pariter criminis Tarentinum Polyhistora auctorem appellant Cyrillus (8), Theodoretus (9), Synesius (10). Quintam accusationem eamque gravissimam conficiunt mulierositas libidinisque Venereae insatiabilis cupido. Haec autem Socratis γυναικομανία a Cyrillo (11) repetita ex Porphyrio reperitur, ita tamen ut, eundem Porphyrii locum plenius describens, Theodoretus (12) ipsa haec addat verba: Ἀριστοξένῳ μάρτυρι κεχρημένος, τὸν Σωκράτους βίον ξυγγεγραφότι. Tum et Plutarchus (13) ac Suidas (14) Theodoreti dicta de Aristoxeni testimonio egregie confirmant, ne obliti quidem celebratae at parum fidae excusationis, ἀδικίᾳ δὲ οὐ προσῆν. Sed soli ex his Theodoreto (15) debetur, ut ne ignoremus, Aristoxenum quoque auctorem fuisse lepidae et concinnae admodum fabulae, Polyhistorum Peripateticorum multiplici doctrinâ certe dignissimae, rixantium ac depugnantium inter se bigarum Socraticarum, Xanthippes et Myrtonis, stulte ridentis Philosophi, et furiarum in miseri tandem caput saevientium; quam fabulam ut ne unicus post Aristoxenum ac Porphyrium ad posteros propagasse dicatur Cyri Episcopus, Hieronymi Stridonensis (quam legendis Hermippo, Satyro, Aristoxeno sibi paraverat) vetuit eruditio (16). Nec tantum γυναικομανὴς fuit Socrates, sed et (quae sexta est criminatio) ex Philosopho mendicus, peram

(2) Supra sub No. II. — (3) Vid. No. VI. — (4) Sub No. VII. — (4*) Vid. sub No. IX. — (5) Vid. sub No. II. — (6) Vid. sub No. IX. — (7) Sub No. XI. — (8) Sub No. IV. — (9) Sub No. IX. — (10) Sub No. X. — (11) Sub No. V. — (12) Vid. No. IX. — (13) Sub No. I. — (14) Sub No. XI. — (15) Sub No. IX.

(16) Vide hujus Dissertationis nostrae Sect. I. §. 1. pag. 11. collatâ Sect. II. §. 13. pag. 174.

corradendae stipis caussâ ponere solitus: Atque hoc quoque, secúndum Diogenem Laërtium (17), prodidit Aristoxenus. Mendicum autem non dedecebat medios inter homines plebejos praecipitem ruere, vitam in turbâ agere, in vicis plateisque et ad Hermarum (18) versari statuas. Id igitur, quod septimo loco collocavimus,) fecit hominum sordidissimus atque abjectissimus Socrates: Sin dubitemus, an vera referantur, illius quoque famae ex Aristoxeno apud Theodoretum (19) auctor est Porphyrius. Denique, octavo loco, quidquid retulerint in contrarium Xenophon, AEschines, Plato, Theophrastus, Demetrius Phaléreus; — quidquid sibi persuaserint Cicero, Seneca, aut quicunque ex universâ Antiquitate, (praeter Peripateticos nostros) de Philosophiâ scripserunt; — *indoctus* fuit et *illiteratus* Socrates: Nam, ut Plutarchus (20) ait, *ἀπαίδευτον καὶ ἀμαθῆ* illum vixisse, veracissimus auctor fuit Aristoxenus: Neque *indoctus* tantum erat Socrates, et *omnium rerum rudis*, sed ne ipsa quidem, quae pueris nota esse solent, linguae noverat elementa; et ridiculus erat, si quid vel scribere vellet vel legere, balbutiens et ad singulas voces in pronunciando, infantis instar, haerens. Sin fidem rursus quis adhibere nolit rei, quae ab omni similitudine veri prorsus aliena esse videatur, cedat, oportet, auctoritati Aristoxenéae, a Porphyrio apud Theodoretum (21) prolatae: Nam, ut initio dicebamus, ipsisque rerum testimoniis jam demonstravimus, non alius fons est, nisi *Vita Socratis*, a

Sectio II. §. 28.

(17) Vid. supra Num. II.

(18) De Hermarum statuis, quae, Athenis praesertim, tum et in reliquâ Graeciâ, poni solebant in viis publicis, maxime in biviis et triviis, nuper docte egit et copiose, quem ego, amicum et gratissimum sodalem, potius quam discipulum curaeque meae alumnum, ad elegantiores hasce literas totum informasse ac velut effinxisse, in magnâ felicitatis parte habeo, juvenis virili eruditione insignis, Ianus-Otto Sluiter, *Lectionum Andocidéarum*, Cap. II. pag. 37—41.

(19) Vid. Num. IX.

(20) Vid. Num. I.

(21) Vide locum sub No. VII. in quo fuit cum legerem, *πρὸς οὐδὲν μὲν εὐφυᾶ*, — pro eo quod nunc legitur *ἀφυᾶ*, quandoquidem vix intelligerem, quomodo is, qui ad nullam disciplínam naturâ ineptus foret, sic *ἀπαίδευτος περὶ πάντα* mansisset, ut ne literas quidem nosset, ac risum praeberet, quoties quid scribere vellet aut legere, infantis instar balbutiens &c. Εὐφυὴς enim proprie dicitur, qui ad disciplinam aptus est, ut de Diagora Melio apud Suidam v. *Διάγορας*. *Ὃν εὐφυᾶ θεασάμενος, Δημόκριτος ὠνήσατο αὐτὸν δοῦλον ὄντα μυρίων δραχμῶν, καὶ μαθητὴν ἐποιήσατο.* — Nunc, in tanto accusatorum delirio, *ἐπέχω.*

Sectio II. §. 28.

Tarentino Philosopho et Polyhistore conscripta, unde opprobria cuncta et singula, quae de homine sapientissimo narrari solent, ab Hieronymo Rhodio, Satyro, Porphyrio, caeteris petita sint, perque eos ad nonnullos e Patribus Ecclesiae seramque adeo defluxerint posteritatem.

Defensio Aristoxenéa ad examen revocatur.

Quid vero ad haec illi, qui Aristoxeni qualecunque patrocinium susceperunt? Et *Diatribes* quidem *de Aristoxeno* Scriptor (22) ita disputat, " ut „ intelligatur, Socratem, dum vivebat, ab aliis esse laudatum, alios contra „ eum vituperasse: *Inter quos*, inquit, *medium quasi locum tenuit* Ari„ stoxenus, qui, in *describendâ* ipsius *vitâ*, tam *virtutum* ejus quam *vi*„ *tiorum* mentionem fecerit." --- Ista certe in *Diatribâ de Aristoxeno* scripta miror, postquam decem jam antea annos elegans *Bibliothecae Criticae* Auctor (23) vere judicaverat, " Aristoxenum a crimine maledicentiae „ quidem in Aristotelem satis liberari, non item in Socratem et alios." Quidquid sit diversae adeo sententiae, *medium* is mihi *locum tenere* videtur, qui et laudat et vituperat, --- qui in Vitâ cujusquam describendâ virtutes debito praeconio ornat, vitia sine cupiditate aut iracundiâ demonstrat: Nec quisquam, aequi bonique studiosus, adsensum neget iis, quae supra (24) me jam scribere memini, nimirum, " quando nihil reperitur a Scriptore „ aliquo memoriae proditum, quod in laudem aut commendationem accipi „ queat, tum certe testimonium testis, nihil nisi parum decora testifican„ tis, merito suspectum haberi." Et Aristoxenus quidem Socratem dixisse reperitur moribus vitaeque instituto ab ipsâ jam pueritiâ sordidum, patri minus morigerum, contumacem, omnium rerum rudem, legendi scribendique nescium, iracundum, contumeliosum, mulierosum, libidinosum, ad Venerem effrenum, spurcum, catamitum, mendicum, versantem ad Hermas et in mediâ plebe nebulonem, ridiculum praeterea et (ut omnia haec vitia uno verbo efferamus) civitatis Atticae propudium. Ista autem Aristoxenus retulit non alios secutus testesque laudans Scriptores, sed ex suâ ipsius personâ, qui haec scilicet accepisset ab eo, qui cum Socrate multum fuerat versatus! Sed an *laudes* quoque Socratis, quas *ab alterâ parte* Aristoxenus retulerit, alicubi seu apud Plutarchum, Diogenem Laërtium, Athenaeum, AElia-

(22) Cap. III. §. 18. pag. 71.
(23) Vol. II. Parte 8vâ pag. 112.
(24) Hujus Sectionis §. III. pag. 114.

SECTIO II. §. 28.

AElianum, aliumve e Gentilibus Scriptorem, seu apud Christianum Patrem aliquem inveniuntur? An virtutes Socratis celebrasse a quoquam hominum perhibetur? --- A nemine mortalium! --- Et is, qui tot et tanta de uno Viro congerat opprobria et dedecora, quemque nusquam pateat vel verbum ad ejusdem Viri praedicationem literis consignasse, is *mediam viam tenuisse* dicatur! Sine invidiâ aut odio scripsisse is putetur, qui cuncta cumulaverit vitia, boni autem retulerit nihil! --- Atqui dictis adjungit MAHNIUS, " Aristoxenum, in describendâ *Socratis Vitâ*, tam *virtutum* ejus quam *vi*-„ *tiorum* mentionem fecisse." Locum, ubi fecisse reperiatur, desidero: Testem requiro: Nullus est! -- Et vero sine auctoritate, sine testimonio, opinione tantum aliquâ et adfirmatione res conficitur: Haec enim *Diatribes Aristoxenéae* sunt verba. " Quod si vero quis miretur, cur talia de Socra-„ te Aristoxeni exstent dicta, qualia *potius*, — [immo non *potius* sed *omnino* „ quidem et *pudore nullo*] — contra ipsum, quam pro ipso, valeant; hic „ sciat, posteriores Scriptores, quibus nos has reliquias debemus, res sibi „ inauditas, et a vulgari traditione recedentes, literis mandasse, vulgares „ omnibusque cognitas fere silentio praeteriisse: Platonis praeterea et Xe-„ nophontis consilium fuisse, Socratis ingenii doctrinaeque praestantiam „ scriptis consignare, atque idcirco tum demum vitam ipsius privatam me-„ morasse, quum ea valeret sive ad ejus constantiam justitiaeque amorem, „ sive ad alias virtutes declarandas." Quid ista de Platone et Xenophonte ad caussam nostram faciant, vix satis perspicio: Xenophontem autem, quem unum de Socrate et Philosophiâ Socraticâ simpliciter ac vere scripsisse existimo, vitam Socratis privatam, mores domesticos, dicta ac facta cum uxore, cum filio, cum familiaribus, cum aliis item hominibus, sic descripsisse novimus, ut haud sciam, an nullus tam decoro, tam placido, tam amabili vultu atque habitu descriptus fuerit, quam a Xenophonte suo descriptus est Socrates. At vero non hujus vitam tantum privatam moresque domesticos, indolem pueri et viri, foedissimis coloribus depinxit Aristoxenus, sed et ingenium doctrinamque illi omnem negavit, sic ut, si natare sciverit Socrates, literas tamen, eo teste, ignoraverit (25): Qui autem factum est, quo

(25) Ἀπαίδευτον δὲ περὶ πάντα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν· σχεδὸν δὲ οὐδὲ γράμματα πάνυ τι ἐπίστασθαι κ. τ. λ. quae ex Aristoxeno Porphyrius, ex Porphyrio habuit Theodoretus. Aristoxeno enim,

SECTIO II. §. 28.

demum accidit (mirabili sanequam!) casu, ut dum singula, ad laudem Philosophi nostri pertinentia, e Xenophonte, Platone, AEschine Socratico, Demetrio Phalereo, ex aliis denique passim apud Veteres repetantur, omnia contra, quae ignominiae sint ac dedecori, unius Aristoxeni testimonio confirmentur, ejusque adeo testis, qui ne vel semel quidem rem etiam levissimam in laudem Socratis perhibuisse reperiatur? Tantum igitur abest, ut in laudando vituperandoque Socrate *medium locum tenuisse* Aristoxenus Antiquis ac Recentioribus visus sit, ut illum Viro inter Graecos sapientissimo invide ac malevole detraxisse multi fateantur, quos inter MEINERSIUS etiam esse videtur, iis tamen excusationibus usus, quas ne ipsas quidem silentio praeterire in hac disputatione nostrâ licet.

Excusatio MEINERSII *pro Aristoxeno perpenditur.*

Fidem Aristoxeni, in narrandis Scholae Pythagoréae sententiis et fatis, ab omni suspicione liberare conatus, Vir laudatissimus concedit, "*haud* „*facile* (26) adeo fore crimen diluere, quod Aristoxeno objicitur, acerbis„simae in Socratem injuriae, qua ipsum vitiorum odiosissimorum accusaverit, „qualia ne ipse quidem Aristophanes, aut ne ipsi quidem Anytus ac Melitus „ei impingere sint ausi. Et vero" (Meinersii verba Latine sequimur) — "et „vero dicat aliquis, illi Viro, qui Graecorum optimum ac sapientissimum, „invitis omnibus gravissimorum Discipulorum, ab ipso institutorum, testi„moniis, tam falso judicio opprimere, tam atroci ac temerariâ calumniâ one„rare sustinuerit, — illi igitur Viro necesse esse ut defuerit aequabilis illa mo„deratio animusque a praejudicatis opinionibus liber, sine quibus nec veritatis „amica indagatio, nec fida rerum gestarum narratio consistere queat." Ergo

qui Socratem ἀπαίδευτον dixerit, auctore usum esse Porphyrium, ex PLUTARCHI verbis (sub No. I.) manifesto patet.

(26) *Geschichte der Wissenschaften in Griechenland und Rom* Tom. I. pag. 216. "*Ein „viel grösserer, und nicht so leicht zu beantwortender Vorwurf wider die Unpar„theylichkeit des Aristoxenus liegt in der Heftigkeit, womit er den Socrates an„griff, und ihn der gehässigsten Laster beschuldigte, welche ihm vorzuwerfen selbst „Aristophanes und seine Ankläger sich gescheut hatten. Einem Manne, kan man „sagen, der den besten und weisesten der Griechen wider alle Zeugnisse seiner „verehrungswürdigsten Schüler so falsch beurtheilen, und so ungestüm und grundlos „verläumden konnte, muste nothwendig die ruhige Gleichgültigkeit und Unbefan„genheit des Geistes fehlen, mit welcher ein jeder Wahrheitsuchender Forscher „untersuchen, und jeder zuverlässige Geschichtschreiber erzählen sollte* &c." —

procul abest Meinersius, ut vel calumnias Aristoxenéas in Socratem neget, vel iis ab alterâ parte opponat ea, quae Tarentinum Vitae Scriptorem de virtutibus Socratis retulisse significat Mahnius. Culpam fatetur, crimen admittit, sed, nisi diluere, tamen attenuare et diminuere tentat. "Haud magis, inquit, defensionem Aristoxeni hac quidem parte in me suscipio quam durum illius de Socrate judicium probo. At vero, quantum doleo inter Graecos vel unum repertum esse Virum, tum magnum quidem Virum, qualis fuit Aristoxenus, qui mollem cineribus Socratis quietem non sit apprecatus, ejusque memoriam non tam acriter defenderit, ac si ipsam Virtutem Veritatemque vindicasset, tamen tam firma mihi sedet ab alterâ parte sententia, non tantam Aristoxeni esse culpam quanta esse videatur; eam autem culpae partem, qua liberari non possit, ne minimam quoque demere particulam ejus fidei, quam in rebus Pythagoreorum mereatur. Equidem nullus nego, unumquemque eorum, qui Socratis memoriam studiose colunt, facile eo suspicionis abripi posse, ut deliberatae malitiae ac damnandae pertinaciae tribuat, Aristoxenum incertis saepiusque confutatis rumoribus fidem potius adhibuisse, quam gravissimo Xenophontis Platonisque testimonio: Sed cui innumerabilia hoc loco non succurrunt exempla, haud raro ob caussas levissimas, ob futilem aliquam in judicando contrarietatem, ob diversam rerum alteri carissimarum aestimationem, ob dissensum a sententiâ, de qua dissensus non tolerandus videretur, -- ob has igitur caussas maximos saepe Viros adeo fuisse exacerbatos, ut sese invicem inimicitiis atque odiis proscinderent, deque meritis alterius alter secundum pravam judicaret normam, diversam plane ab eâ, quae ipsorum dirigeret de aliis hominibus judicia?" --- Verissima est haec postrema Meinersii de parum aequabili hominum judicio sententia; et jam ante bis mille circiter annos scripsit CICERO (27): "*Plura multo homines judicant odio aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, quam aut praescripto aut veritate.*" Sed, ut haec de pravitate judicii Aristoxenéi valeat excusatio, eâdem vixisse aetate et Socratem et Aristoxenum necesse foret: Si Gorgias, si Protagoras sic de Socrate ad posteros retulisset, cupiditati et iracundiae fuisset locus: Sed quid Tarentino Polyhistori cum Socrate, cujus frigidi vix amplius exstabant cineres, quum ille, Platone ipsiusque successore Speu-

(27) *De Orat.* Lib. II. Cap. 42.

SECTIO II. §. 28. sippo jam mortuis, ad Aristotelem in Lycéum ventitaret? Unde ergo tantae irae, tanta judicii pravitas, aut (quod verius est) tam atrox in Philosophiae parentem odium, tam saeva illius calumniandi libido, qui, jam ante plures Olympiadas veneno exstinctus, neque Aristoxeno, neque hujus etiam praeceptori Aristoteli, vel minimam dederat offensionem? Nam quid istud est, quod suspicatur Meinersius (28), "Socrati iratum Aristoxenum, quod ille „ nimis arctos Philosophiae posuisset terminos, traductoque ad mores omni „ sapientiae studio, quaecunque ad delectationem voluptatemque animi per„ tinerent, limitibus a sese definitis exclusisset." Quam imbecilla, quam longe quaesita haec fuisset acerbitatis caussa, ipse pulchre perspexit Vir ingeniosus, quando illam in medium tantum attulisse videtur, ne nihil plane diceret, qui paulo ante (29) scripserat, "nos hodie ne divinando quidem „ caussas expiscari posse, quae tanto opere Aristoxenum in Socratem inflam„ marint." Et vero quam levis est illa caussa, quam Meinersius ibidem conjectando adfert, de Brachmane seu Mago ab Indis Athenas advena, qui Socratem (30), ut perperam ac praepostere philosophantem, irriserit? Sed, utut Aristoxenus hoc Zopyri aut cujuscunque demum retulerit de disciplinâ Socraticâ judicium, an haec, quaeso, disserendi ratio minus probabilis (si ita cum Indo Tarentinus sentiret) — an haec opinionum diversitas eo valuisset, ut Socratem non tantum tanquam indoctum ineptumque blateronem, sed et tanquam catamitum hominumque impurissimum, foedissimo opprobrio, apud seros etiam nepotes conspurcaret?

Ultimum denique pro Musico Philosopho adhibitum a Meinersio argumentum his fere verbis profertur (31): "Aristoxenum, quamvis istiusmodi ha„ beret inimicitiarum caussas, eo tamen turpitudinis se non demisisse, ut

(28) D. l. pag. 220.

(29) D. l. pag. 219.

(30) Eâdem pag. 219. De ipsâ re supra diximus hujus Sectionis §. XXVII. pag. 244.

(31) D. l. pag. 220. ubi inter alia: — "*Diesem Zeugnisse zu folge, wurde er mit einem „ gewissen Spintharus, einem ehemaligen Zuhörer des Sokrates bekannt, der aus „ einem jezt nicht mehr zu erklärenden Hasse gegen den Sokrates, einigen richti„ gen Beobachtungen uber seinen Lehrer, entehrende Unwahrheiten untermischte. „ Aus der Erzählungen dieses Mannes schöpfte Aristoxenus alles das nachtheilige, „ was er nachher selbst vom Sokrates wieder sagte, und ihm trauete er mehr, als „ dem Plato und Xenophon* etc. —"

„ fabulis, calumniandi caussâ confictis, indulgeret, neque ut, vilium vul- Sectio II. §. 28.
„ gariumque hominum instar, rumores vulgi obscuros, tenebricosos, ac
„ clanculum sparsos cupide amplecteretur, quorum ipse novisset falsitatem,
„ ut suas iis calumnias superstrueret; --- id quidem demonstrat relatio apud
„ Cyrillum, quam felix famae Aristoxenéae casus nobis servavit. Secun-
„ dum hoc quippe testimonium, Aristoxenus *consuetudinem contraxerat cum*
„ *Spintharo quodam*, qui, Socratis antea auditor, odio, cujus caussam ho-
„ die ignoramus, in Socratem commotus, rectis ac veris nonnullis de ma-
„ gistro suo opinionibus indecoras ac contumeliosas miscuerat fabulas. Hu-
„ jus Viri narrationes fontem constituerunt, unde Aristoxenus cuncta hau-
„ sit, in contumeliam atque infamiam Socratis relata, quae ipse deinceps
„ literis consignavit, illi scilicet plus fidei habens quam Platoni ac Xeno-
„ phonti, non adeo quidem quod Spintharus testis fuerat oculatus atque
„ auditor Philosophi Atheniensis, sed quia ejus indicia magis congruerent
„ cum judicio, quod ipse ante de Socrate jam fecerat. Haec quidem ratio
„ (sic qualemcunque pro Aristoxeno defensionem claudit Meinersius) ipsum
„ non prorsus ab omni culpa liberat, excusat tamen; atque, his cognitis,
„ nemo quidem facile dubitabit amplius, quin famae Socraticae obtrectator
„ Vir tamen magnus fuerit, egregius item ac verax Historiae Pythagoricae
„ Scriptor." — Haec Meinersius, qui, Spintharum istum et alibi (32) *disci-plinae Socraticae desertorem* vocans, tum quidem non recordabatur, eum alio nomine Mnaseam dictum, et Aristoxeni fuisse patrem. Quod autem de vi atque efficaciâ excusationis suae sperabat Vir doctissimus, ea certe spes, quantum ad me, exitu caret. Quid enim? qui unius testis, ejusque suspecti et maligni, (si quidem disciplinae Socraticae fuerit desertor,) dicta contumeliosa et turpia praefert unanimi testimonio aliorum, testium etiam oculatorum et fide dignorum; --- qui sic temere maligno testi credit de Viro sapientiae veraeque virtutis laude claro; — qui illi uni testi potius credit quam reliquis omnibus, quia suspectum istud testimonium cum suâ magis convenit opinione praejudicatâ, obtrectatione, et malevolentiâ; — ille igitur inter vulgares abjectosque homines non sit censendus? Ille Vir caeteroquin magnus habeatur, omni laude ac fide dignissimus? — Absit omen! Viri magni est, virtutem etiam in hoste laudare, et obtrectationem, quae ex invi-

(32) *Geschichte der Wissenschaften* Tomo II. pag. 359. in Nota.

Sectio II. §. 28.

diâ oritur, ut vilium animarum labem, refugere ac quam longissimè a sese removere. Ne si pater quidem fuerit (ut Spintharus Aristoxêno fuisse dicitur) cujus ex malevolentiâ ortum judicium repugnet concordi caeterorum suffragio, ea penes me valeat excusatio, cui amicus Socrates, amicus Plato, sed semper magis amica veritas esse debere videatur. — Mitto reliqua; neque, an Mnaseas ille seu Spintharus inter discipulos Socratis fuerit, quaero, neque an a Socrate defecerit, neque an et alias mendax fuisse et fraudi adfinis reperiatur. Spinthari certe seu Mnaseae nulla, quod recorder, inter discipulos Socratis apud Xenophontem aut Platonem exstat memoria: Discipulum autem vel auditorem Socratis eum fuisse, haud magis conficiam ex Porphyrii verbis apud Cyrillum (33), quam ex verbis Plutarchi (34) colligam, eundem Spintharum disciplinâ usum Epaminondae, Thebanorum ducis. Ait Porphyrius apud Cyrillum: *Λέγει δὲ ὁ Ἀριςόξενος, ἀφηγούμενος τὸν βίον τοῦ Σωκράτους, ἀκηκοέναι Σπινθάρου τὰ περὶ αὐτοῦ, ὃς ἦν εἷς τῶν τούτῳ ἐντυχόντων· τοῦτον λέγειν κ. τ. λ.* Similique fere modo Theodoretus, eundem Porphyrii locum ob oculos habens, sed pro more veterum Polyhistorum, etiam Ecclesiasticorum, eum curâ parum fideli describens, et Aristoxeno tribuens, quod is de patre ejus Spintharo dixerat: *Ἔφη γὰρ Ἀριςόξενος) μηδενὶ ἑτέρῳ ἐντετυχηκέναι πιθανωτέρῳ ἐκείνου (Σωκράτους.)* Plutarchus autem ejusdem Spinthari dictum de Epaminonda refert, *μηδενί που τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων ἐντετυχηκέναι, μήτε πλείονα γινώσκοντι, μήτε ἐλάττονα φθεγγομένῳ.* Neque tamen Epaminondae Thebani *auditor* fuit pater Aristoxeni. Ergo nec inter discipulos Socratis referendus mihi videtur propter unum verbum *ἐντετυχηκέναι* vel *ἐντυχεῖν*, quod *in aliquem incidere*, *fortuito cum aliquo identidem versari* (35) notat, non autem *frequentare domum alicujus*, *discendi caussâ*, seu *adsiduo cum aliquo esse*, *illius audiendi gratiâ*. Hoc Xenophonti praesertim est *συνεῖναι τῷ Σωκράτει*. A Socrate porro defecisse Spintharum, quo teste aut argumento referat Meinersius, equidem nescio, nisi hoc uno forsitan, quod existimaverit fieri non posse, ut magistro tam inimicus sit discipulus, tot de eo narret opprobria, quot de Socrate pater Aristoxeni, nisi prorsus ab eo desciverit, et reverentia, quam praeceptori de-

Spintharus Aristoxeni pater.

(33) Lib. VI. pag. 185. Vid. supra No. IV.

(34) *De Genio Socr.* Tom. II. Opp. pag. 592. F.

(35) Uti Galli dicerent, *qu'il n'avoit jamais rencontré personne*; Belgae nostri, *dat hij nooit iemand ontmoet had.*

bebat, in contemtum vel etiam in odium sit conversa. Denique quis qualisve hic fuerit Spintharus, non disputabimus, neque fidem illius ad trutinae examen revocabimus, quamquam et Spinthari (36) nomen memoratur inter eos, qui ingenii sui foetus alieno nomini subjecerint, quippe qui a nonnullis diceretur, suppositâ Sophocli fabulâ Parthenopaeo, Heraclidem Ponticum lepide an turpiter lusisse: Sed et Spintharus, Heraclidi aetate aequalis, Aristotele pluribus annis junior fuit, multoque magis Socrate; alius itaque videtur a Mnasea seu Spintharo isto Tarentino, Musices cultore, cui vitam debuit Aristoxenus: Quare, relicto eo, disputationem nostram de hoc ipsius filio porro persequamur et absolvamus. Sectio II. §. 28.

§. XXIX. *Malevolentia et obtrectatio* Aristoxeni *erga Socratem judiciis Veterum ac Recentiorum confirmatur.* §. 29. *Malevolentia* Aristoxeni *erga Socratem judiciis confirmata*

Constat igitur rebus ipsis et factis, Aristoxenum haud minus malevolo, quam Hieronymum Rhodium et Satyrum, in Socratem animo fuisse, quin et, ut Athenaei verbo utamur, ἐνδόσιμον ipsis aliisque omnibus, quorum cognita est in Socratem malignitas, dedisse, ut ipsum calumniis premerent, et fabulam de *geminâ ipsius Uxore* spargerent, ornarent, confirmarent: Sed quae caussa illi fuerit harum inimicitiarum istiusve odii ac malitiae latet, praeter unam hanc, quae nobis maxime probabilis videtur, alienus nimirum a Philosophis Socraticis animus, invidia erga Platonem ac Platonicos, qui se totos a Socrate fluxisse non diffitebantur, quin etiam gloriari solebant: Quod si haec ratio non satisfaciat, subsistamus in alterâ illâ, quam supra (1) verbis Adrasti apud Proclum retulimus, " eum semper id unice quaesi-,, visse, ut novi aliquid inauditique diceret vel dicere saltem videretur:" ὅπως ἂν δόξῃ τι καινὸν λέγειν πεφροντικώς· id autem quaesivisse Musis invitis: οὐ πάνυ τὸ εἶδος ἀνὴρ ἐκεῖνος μουσικός· Neque falsum hoc fuisse Adrasti judicium, patet ex operâ, quam Aristoxeno impendit Sopater Sophista, ut, teste Photio (2), ex Libro ejus decimo sexto τῶν συμμίκτων ὑπομνημάτων varias colligeret *Adrasti de Aristoxeno testimonium.*

(36) Apud Diog. Laërt. Lib. V. Segm. 92. Conf. Meinersium Tom. I. pag. 297.

(1) Hujus Sectionis §. XXV. pag. 232. et 233.

(2) *Bibliothecae* pag. 176. ed. Hoesch.

SECTIO II. §. 29.

narrationes, quae *vulgatae opinioni contrariae minusque probabiles essent.* Idcirco et laudatus ille, statuâ fanoque ab ipsis ornatus Atheniensibus, quos sera ducebat poenitentia, scriptis et monumentis Xenophontis Platonisque, principum Virorum, celebratus Socrates, *καινῷ τινι καὶ παραδόξῳ λόγῳ* ab Aristoxeno, ut ingenio suo indulgeret, ad sordidissimos, turpissimos, omnium rerum imperitissimos homines erat detrudendus; ac communis posterorum fama, audito non prius commento, erat perturbanda: Quod tamen vituperandi vel potius calumniandi studium, ut novi quid protulisse videretur, tantum abest, ut PLUTARCHUS excusandum judicaverit, ut Aristoxenum contra severissime propterea reprehenderit: Namque idem ille, quem MEINERSIUS (3) putat, " multis fidem adhibuisse, quam haud merebantur; „ multa pro veris accepisse, quae fuerant rejicienda;" — idem tamen ille Plutarchus in re Socraticâ multo fuit oculatior quam caeteri. Solus ille Panaetium Rhodium, qui Digamiam Socraticam negabat, et laudavit et secutus est: Solus ille de *Vitae Socraticae* Scriptore vere judicavit (4), eum supparem esse " iis qui, dum calumniantur, obliquis velut telis ex occulto usi, „ mox emisso ictu per ambages retrocedunt seseque occultant, quique, „ malitiae sic adjungentes illiberalitatem, non tantum malignos sese pro„ dunt atque improbos, sed et ignavos; haud procul scilicet ab isto homi„ num genere abesse eos, qui vituperationibus suis qualescunque immiscent „ laudes; talem autem sese in *Vitâ Socratis* praestitisse Aristoxenum, qui, „ quum eum diceret et *indoctum* et *literarum rudem* et *intemperantem* ac „ *libidinosum*, his opprobriis tenuem admodum addiderit laudem, *ita ta„ men eum mulierosum fuisse, ut injuriam maritis non faceret.*" (Sic enim celebrata ista seu potius invidiosa Aristoxeni verba: Ἀδικία δὲ οὐ προσῆν, interpretanda censemus.) Quem Plutarchi locum dum Viri Docti non ignorarunt, miror veram ejus sententiam ita illis perspectam non fuisse, ut aliquid valuerit ad regundum eorum de Aristoxeno judicium. Qui enim plane et aperte scribit " Aristoxenum qualemcunque laudem (si ea laus est aliquem „ non fuisse adulterum) — tenuissimam igitur istam laudem turpissimis probris

PLUTARCHI *judicium de* Vitâ *Socratis Aristoxeneâ.*

(3) d. Tomo I. pag. 210. *" Plutarch, der vielen trauete, die es nicht verdienten, und „ vieles annahm, was er hätte verwerfen sollen. —"*

(4) Vide supra Num. I.

„ probriis adjecisse', ut ea sic facilius fidem invenirent, atque laudantis „ specie emissa clanculum tela certius ferirent, intimisque visceribus haere- „ rent," — is certe non esset opinatus, quod opinabatur *Aristoxenéae Diatribes* Auctor " inter laudantes vituperantesque medium quasi locum „ Aristoxenum tenuisse." Quin, quod plus est etiam, ipse CYRILLUS ALEXANDRINUS, hujus Aristoxeni ut et Porphyrii testimoniis contra Socratem usus, non dissimulavit tamen, tam inimico erga Socratem animo illum fuisse, ut fides propterea ei deroganda videretur : Εἰ *δὲ ὁ μὲν διὰ δυσμένειαν ἀξιόπιστος, si hic quidem* (inquit) *propter animum Socrati inimicum pro teste fide digno queat haberi.* SECTIO II. §. 29. CYRILLI ALEXANDRINI *de* ARISTOXENO *testimonium.*

Haec si ipsius CYRILLI ALEXANDRINI de Aristoxeno fuit opinio, quum illo tamen teste uteretur, quid de Recentioribus dicere opus est? Nam, quod fieri necesse erat, factum est, ut ne ipsa quidem et antiquitati et eruditioni habita plerumque reverentia accusationem malevolentiae ab illo removerit penes omnes eos, quorum oculos praestringere non poterant Philosophici nominis splendor ac multiplicis doctrinae fama. " Uno verbo, (*in Vita* „ *Socratis* (5) inquit CARPENTARIUS) nemo unquam fuit, qui maledicen- „ tiam ac calumnias magis contemneret quam Socrates; quae sola conside- „ ratio satis monstrat, an iracundiae adeo obnoxius fuerit, ut inimici ejus „ nobis persuadere conati sunt, et nominatim quidem ARISTOXENUS, qui, „ ipsius fere aetate, *Vitam* ejus conscripsit, et a quo PORPHYRIUS cuncta „ repetiit, ab ipso contra Socratem literis consignata." Et alio iterum loco (6): " Idcirco Socratem, quantum velint, appellent *scurram Atticum*, ut eum „ appellavit ZENO EPICURÉUS; dicant, eum *intemperantem* fuisse ac *mo-* „ *ribus dissolutum*, ut ARISTOXENUS; hoc satis nobis erit adjecisse, Ari- CARPENTARII *judicium.*

(5) CHARPENTIER *Vie de Socrate*, pag. 56. " *En un mot, jamais Homme ne fit moins* „ *de cas de médisances que Socrate; et cela montre assez, s'il étoit sujet à la co* „ *lère, comme l'ont voulu dire* ses Ennemis, *et nommément* ARISTOXÈNE, *qui écrivit* „ *sa vie presque de son tems même, et duquel* PORPHYRE *avoit copié tout ce qu'il* „ *disoit contre Socrate* &c. —"

(6) Ibid. pag. 92. " *Après cela qu'on le nomme, si l'on veut,* le Bouffon d'Athènes, „ *comme Zénon l'Epicuréen l'avoit nommé ; qu'on le traite encore de* dissolu *et* „ *d'impertinent, comme* ARISTOXÈNE : *Il suffit, qu'on ajoute, qu'Aristoxène même* „ *fut contraint d'ajouter à la fin des injures, qu'il déchargeoit contre lui, qu'*après „ tout Socrate ne faisoit tort à personne &c. —"

Sectio II. §. 29. et Tillemontii. ,, stoxenum vi veritatis adactum fuisse, ut opprobriorum, quae in eum congerebat, cumulo hoc tandem adjiceret, tamen *a Socrate injuriam nemini fuisse illatam:*" Tillemontius (7), de Porphyrio ejusque *Historiâ Philosophicâ* agens, " tertius Liber, inquit, complectebatur *Vitam Socratis*, quem multis illic premebat maledictis et injuriis: Harum quidem injuriarum caussa esse fertur, quod Porphyrius hujusmodi *Vitas* composuerit ex locis Scriptorum veterum, inter alios ex scriptis *Aristoxeni*, *qui Socrati valde adversus fuit.*" Sed, utut verus hic fuerit fons omnium dedecorum, quae post Aristoxenum Porphyrius in Socratem evomuit, ipsius tamen Porphyrii fides et fama propterea non sunt in vado; quo de argumento tempus est ut jamjam agamus, quum satis probatum esse a nobis confidimus, quod supra dicebamus, " Aristoxeni malam fidem in rebus Socraticis tradendis agnitam fuisse et manifestam."

§. XXX. *De fide* Porphyrii *in enarrandâ* Vita Socratis, *ac de ejus auctoritate apud nonnullos Patres Ecclesiae Christianae.*

§. 30. *De fide* Porphyrii *in caussâ Socraticâ.* Proximum est, ut paucis ostendamus, "haud meliorem, quam Aristoxeni, fidem fuisse Porphyrii, in caussâ Socraticâ, testis parum idonei ac maligni:" Quod ut vel uno demonstremus argumento, satis forsitan fuerit observasse, non optimâ fide illum agere, qui ejus testis testimonio utatur, quem levem et suspectum ipse alio tempore pronunciaverit: Id autem fecit Porphyrius. Qui enim (uti ex Fragmentis apud Cyrillum et Theodoretum constat) Aristoxenum unicum fere auctorem in describendâ *Vitâ Socraticâ*, seu potius in calumniando Socrate, secutus est, idem ille alibi (1) ipsum numerat inter Philosophos, qui, aemulationis et invidiae caussâ, Historiam disciplinae Philosophicae corruperint ac deformaverint: Πρὸς δὲ τούτοις (inquit) τὸν Πλάτωνα καὶ Ἀριστοτέλη, Σπεύσιππόν τε καὶ Ἀριστόξενον καὶ Ξενοκράτην, ὥς φασιν οἱ Πυθαγόρειοι, *Porphyrii de ipso Aristoxeno judicium.* τὰ μὲν κάρπιμα σφετερίσασθαι διὰ βραχείας ἐπισκευῆς, τὰ δὲ ἐπιπόλαια καὶ ἐλαφρὰ, καὶ ὅσα πρὸς διασκευὴν καὶ χλευασμὸν τοῦ διδασκαλείου ὑπὸ τῶν βασκάνως ὕστερον συκοφαντούντων προβάλλεται, συναγαγεῖν καὶ ὡς ἴδια τῆς αἱρέσεως καταχωρίσαι· ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἀπέβη ὕστερον. -- Idcirco,

(7) *Hist. des Empereurs* Tom. IV. pag. 30.
(1) *De Vitâ Pythag.* §. 43. pag. 49. ed. Kust.

quoties de Philosophiâ Pythagoréâ agitur, non Plato tantum Platonisque successores, Xenocrates et Speusippus, si Porphyrio credamus, in eam disciplinam injusti fuerunt, et utilia ac frugifera, tanquam sibi propria, inde sublegentes, quae levia contra et ridicula sibi viderentur, a gravioribus et melioribus sejunxerunt, ut illa tanquam totidem dedecora ac probra Scholae Pythagoréae objicerent; sed, praeter Academiam, insignis hujus culpae adfines quoque fuerunt tum Aristoteles, tum ejus discipulus et in hoc genere imitator, ARISTOXENUS. Atque haec, ex opinione Pythagoreorum, tradit Porphyrius! Quid igitur? Quando de Pythagorâ ac sententiis Scholae Italicae quaeritur, tunc Aristoxenus cum reliquis *haud optimâ fide* illa collegerit, quae, per invidiam a calumniatoribus inventa atque vulgata, ad irrisionem istius Sectae facere viderentur; neque adeo ullam in rebus Pythagoricis habere possit auctoritatem: At vero, quum de Socrate rebusque Socraticis agitur, idem tunc Tarentinus unicus auctor sit, quem judice Porphyrio sequamur? judice, inquam, illo Porphyrio, qui optime noverat, plura a prioribus, ab iis etiam qui famam scriptis sibi paraverant, non in laudem tantum sed et in vituperationem ac reprehensionem Socratis *conficta fuise et fabulis deformata.* *Λέγωμεν*, inquit (2), *περὶ τοῦ Σωκράτους, τὰ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις μνήμης κατηξιωμένα· τὰ μὲν, πρὸς ἔπαινον αὐτοῦ καὶ* ΨΟ'ΓΟΝ *πολλαχῶς ὑπὸ τῶν λογίων ἀνδρῶν* ΜΕΜΥΘΕΥΜΕ'ΝΑ *ἐπ' ὀλίγον φιλοκρινοῦντες.* --- Ergo, cum Porphyrius sciret plura *εἰς ψόγον τοῦ Σωκράτους ὑπὸ τῶν λογίων ἀνδρῶν μεμυθευμένα*, ejus *φιλοκρινοῦντος* vel *εἰλικρινοῦντος* (3) judicium huc rediit, ut, neglectis Xenophonte, Platone, AEschine, Theophrasto, Demetrio Phaléreo, Phania, caeteris, qui in laudem Socratis scripserint, unum Aristoxenum sibi ducem legeret, qui nihil nisi in dedecus illius et contemtum ad posteros prodidisse reperiatur; nescivit vero Porphyrius, quod non noverat tantum judex aequissimus Plutarchus, sed ipse multos post annos non ignorabat Cyrillus Alexandrinus, *δυσμένειαν* (4) aliquam in

SECTIO II. §. 30.

Porphyrius fabulas de Socrate sciens retulit;

idoneos vero auctores neglexit.

(2) Apud THEODORETUM supra sub No. VII.

(3) Forte enim sic, quod suspicamur, apud Theodoretum legendum est.

(4) Locum CYRILLI supra sub No. VI. retulimus, diximusque de ejus lectione nonnulla esse animadvertenda. Recitato igitur *Historiae Philosophicae Porphyrianae* loco de arte statuariâ, quam Socrates in juventute exercuerit, additur: Καὶ *Τίμαιος ἐν τῇ ἐνάτῃ λιθουργεῖν φησὶ μεμαθηκέναι Σωκράτην· εἰ δὲ ὁ μὲν διὰ δυσμένειαν ἀξιόπιστος, Τιμαῖος δὲ διὰ ἡλικίαν· νεώτερος γὰρ ὁ Ἀριστόξενος· Μενεδήμῳ τῷ Πυῤῥαίῳ χρηστέον, Πλάτωνος μὲν γεγονότι μαθητῇ, πρεσ-*

Sect. II. §. … *Neque Aristoxeni malevolentiam in Socratem ignoravit.*

omnibus iis apparere, quae Aristoxenus de Socrate narravit, et eam quidem *δυσμένειαν*, qua ex obliquo et velut clanculum ex insidiis tela in Virum optimum emitteret, ut tenui sub laude atroces calumniae posteris perfide commendarentur? Unius nimirum Aristoxeni tantum apud Porphyrium valuit auctoritas, ut, quamvis ille inaudita prius et ab omni similitudine veri abhorrentia de Socrate literis consignasset, neutiquam tamen ea *εἰς ψόγον μεμυθευμένα* (qualia in Socratem conficta agnoscebat) sed indubitate vera ac certa ipsi viderentur; reliquorum autem Scriptorum narrationes, qui laudes prorsus contrarias de Socratis ingenio, doctrinâ, moribus, retulerant, contemta jacerent, ac silentio praeterirentur? Unius, inquam, Viri prae caeteris omnibus tantum valuit apud Porphyrium testimonium scilicet, cujus tamen Viri, in caussâ Pythagoricâ, *βασκανίαν* memoret, accusante Scholâ Italicâ, ac *συκοφαντίαν*! Sic

— omnia Naturae contraria legibus ibunt!

Ergo ipsi Lucae Holstenio, (5) si vitae redditus nobiscum posset ire

βυτέρῳ δὲ γεγονότι Ἀριστοξένου, λέγοντι κ. τ. λ. Quam parum sententia cohaereat, manifestum est; neque vitiosum esse locum dubitandum videtur. Quamvis Timaei cognita sit, et severe a Polybio reprehensa, maledicentia, mentio δυσμενείας tamen non nisi ad Aristoxenum referri potest, cum sequatur Τιμαῖος δὲ διὰ ἡλικίαν. Et reverâ Historicus iste Siculus, qui sub Ptolemaeo vixit Philadelpho, aetate etiam magis procul a Socrate abfuit, quam Aristoxenus, Aristotelis auditor; adeoque licet deinceps Menedemi auctoritas laudetur, utpote qui Tarentinum Musicum aetate praecesserit, ratio τῆς ἡλικίας, in aestimandâ narrationis fide, ad hunc pertinere nequit. Legere equidem malim, postulante sententiâ, εἰ δὲ ὁ μὲν διὰ δυσμένειαν οὐκ ἀξιόπιστος, Τιμαῖος δὲ διὰ ἡλικίαν, νεώτερος καὶ τοῦ Ἀριστοξένου, Μενεδήμῳ τῷ Πυῤῥαίῳ χρηστέον, κ. τ. λ. — Atque in hanc sententiam verba vertimus. Certum saltem est, juniorem aetatem testis, qui diu post Socratem vixerit, non magis contra Aristoxenum valere quàm contra Timaeum. — Sed a Codd. Mstis auxilium exspectandum est.

(5) Vir laudatissimus in luculento *de Vitâ et Scriptis Porphyrii* Commentario, de quo me supra Sect. I. §. 2. pag. 14. dicere memini, id pro more agit, ut eum non tantum tanquam *Virum eruditum multarumque literarum hominem* extollat, sed et ut eum *Virum bonum* praedicet, omnemque ab eo labem abstergat. Facile id patimur, dummodo tale seu praeconium seu excusatio aliis ne noceat immerentibus. In illâ autem praejudicatae opinionis culpâ versari videtur Holstenius, quando ait (Cap. VIII. sub finem:) " Porphyrius enim, cum eorum *Vitas* scriberet, a quorum temporibus longiori inter-

in consilium, libens dijudicandum relinquerem, an ista merito Porphyrii bona fides dicatur. — [illegible] *Sectio II. §. 30.*

Neque plura hic addere necesse videtur, ut praejudicatam contra Socratem opinionem Porphyrii demonstremus, quamquam non desunt, quae de maligno illius animo, uti supra de Satyro, de Hieronymo Rhodio, de Aristoxeno fecimus, a nobis dici possint, eaque quidem, quae ejus ingenium, indolem, aut sapientiae ac literarum studium spectantia ejusmodi sint, ut auctoritatem ipsius haud parum elevare videantur. — Non ego hominem accuso tanquam sacrorum Christianorum hostem infensissimum; non tanquam fastidiosae et adulteratae Philosophiae magistrum; non tanquam nugatoriae disciplinae et obscurae saepius eruditionis studiosum; non tanquam illum qui, recentiorum Peripateticorum instar, literas cum Philosophiâ ita conjunxerit, ut alterae alteram magis corrupisse quam adjuvisse vel ornasse appareant: Nec denique hoc loco dicam de celebri istâ an famosâ Eclecticorum Scholâ, in cujus origine, conditione, et scriptis, non labentis quidem veteris doctrinae ac pereuntis verae eruditionis caussam quaeri debere, sed haud dubia tamen earum indicia infelicisque saeculi notam facile reperiri existimo. Etenim haec minime ad argumentum disputationis nostrae facere censeo, nisi quatenus ex isto fonte repetenda videatur Porphyrii in Socratem maledicentia. Ac primum quidem, quamquam ego de singulis criminibus, quae Viri doctrinâ illustres, CUDWORTHIUS, MOSHEMIUS, BRUCKERUS, alii, recentiori Scholae Alexandrinae, *Platonicorum* nomen falso sibi tribuenti, objecerunt, disputare nolo, atque in judicio IOANNIS-MATTHIAE SCHROECKHII (6) lu- *De Sectâ Alexandrinâ Eclecticâ, atque ingenio* PORPHYRII.

„ vallo erat remotus, et de quibus propriâ fide nihil poterat adfirmare, *Historiam* suam „ ex aliorum Auctorum locis, centonis instar, concinnavit, qui, ut tempore fuerant „ propinquiores, ita *fidem majorem* merebantur. Qua quidem in re *diligentiam* ejus „ miror et laudo, qui ne illa quidem *dissimulare* voluit, quae sequiora de clarissimis „ hominibus, sive verâ fide, sive *invidiâ quorumdam atque obtrectandi studio*, pro- „ dita fuerant." — Sed *diligentiae* fuisset, et ejus maxime diligentiae, quae *admirationem* et *laudem* mereretur, non *dissimulare* etiam, si quid *fide minus verâ* dictum reperiretur, ac sedulo inquirere, num *invidia* aliqua subesset atque *obtrectandi studium*. An istam vero sedulae ac diligentis exquisitionis sincerique judicii laudem, in *Vitâ Socratis*, secundum Aristoxeni calumniâs, describendâ, promeritus sit Porphyrius, ex disputatione nostrâ, nisi prorsus fallimur, satis perspicue constabit.

(6) *Christliche Kirchengeschichte*, Vol. III. pag. 297. seqq.

SECTIO II. §. 30. bens acquiesco, sic tamen statuo necesse esse, ut unusquisque, qui in legendis Porphyrio, Jamblicho, Eunapio, Proclo, non plane sit hospes, adsensum praebeat BRUCKERO, quando ait (7), " Eclecticos, seu Alexandrinos ,, Philosophos, homines fuisse *vaferrimos*, qui, ad incrustandum novum ,, Philosophiae suae satis miserae genus, Veterum, inprimis Pythagorae, vi- ,, tam, fata, et Philosophiam ita depinxerunt, ut ingenii sui somnia a ma- ,, gnis istis Viris profecta viderentur, quae tamen, accuratiori examine ex- ,, cussa, non *suspecta* tantum videntur, sed et *falsa*." Atque eam *vafritiem* Porphyrio, ante omnes alios, propriam fuisse putamus: Namque Libros illos, quos *Historiam Philosophiae* inscripsit, non alio animo neque aliâ voluntate scripsisse videtur, nisi ut alias Veterum sectas tantum deprimeret, tantumque reliquorum Philosophorum famam laceraret ac conscinderet, quantum unum Pythagoram unamque Scholam Italicam extolleret, ac velut coelo demissam celebraret: Quippe id ad *vafritiem* istam, de qua modo Bruckeri verba describebamus, maxime referendum arbitramur, quod Ammonii Saccae successores *Platonicos* se recentiores dicerent, qui a veteri tamen Academiâ essent alienissimi, quique unum Pythagoram, ut divinae sapientiae auctorem, colentes, Platonem Platonisque praeceptorem Socratem calumniis premerent et lividâ obtrectatione persequerentur. Etenim Philosophorum fata atque effata non ultra Platonem a Porphyrio enarrata fuerunt, qui primo *Historiae Philosophicae* Libro Pythagoram suum laudavit; altero forsitan (nam ultra conjecturam, deficientibus testimoniis atque indiciis, progredi non licet) Thaletis ac Sectae Ionicae res et sententias exposuit; tertio certissime Socratem, quarto Platonem pro scribendi argumento habuit; ita autem habuit, ut in *Vitâ* quidem *Pythagorae* cuncta ad laudem atque admirationem illius, etiam ultra illud quod probabile est, augerentur et exaggerarentur; in *Vitis* autem reliquorum Philosophorum, quaecunque indecora illis essent eosque in contemtum adducerent, cumulate proferrentur. Id saltem, quum nulla supersint ex Libro secundo, perpauca ex Libro quarto Fragmenta, colligere licet ex iis, quae ex *Vitâ Socratis* apud Cyrillum Alexandrinum et Theodoretum petita reperiuntur, omnia ejusmodi ut verissime itidem BRUCKERUS (8) dixisse videatur, " *Iniquam ejus in Socratem*

PORPHYRII *propositum in* VITÂ SOCRATIS.

(7) *Hist. Crit. Phil.* Diss. Praelim. §. 6. pag. 16.
(8) *Hist. Philos.* Tomo I. pag. 523.

,, *mentem* inde satis demonstrari posse: Aliam enim (Bruckeri sunt verba) Socrates instituebat Philosophiam, quam quae placebat Porphyrio, homini ,, fanatico." Diversa quidem sententia fuit LUCAE HOLSTENIO; verum defensioni, ab illo pro Porphyrio conscriptae, ut respondeamus eo minus necesse est, quod illud ante nos invictis argumentis egit Bruckerus (9), nosque ipsi simili (in caussâ Aristoxeneâ) patrocinio observationes nostras jam reposuimus. " Sed ut demus, (inquit Bruckerus) nihil hic peccasse Porphyrium ,, *malâ fide*, cujus tamen vel ex unâ *Pythagorae Historiâ* convinci potest, utque concedamus non fecisse male, quod et sequiores narrationes ,, attulerit, debebat tamen earum falsitatem ostendere, verosque nobis Historiae fontes eruere; quod cum pro eruditione Criticâ, qua pollebat, posset, idque non fecerit, recte conquerimur, cum SOCRATE Historico, *invidiâ* eum, *more Sectae suae*, Socratem pressisse, ne gloriae Pythagorae ,, obstaret ejus Historia." Tum porro, si ne illa quidem Porphyrius dissimulare voluit, quae sequiora de clarissimis hominibus prodita fuerant, quidni et ea retulit, quae tot ac tanta opprobria nisi refellerent ac delerent, rependerent tamen, vitia laudibus compensando? Quod si quis, ut de Aristoxeno scriptum est, Porphyrium quoque censeat in hac *Socratis Vitâ* " medium ,, quasi locum tenuisse, qui tam *virtutum* ejus quam *vitiorum* mentionem ,, fecerit," quaero iterum, an *laudes*, quas Porphyrius de Socrate retulerit, alicubi apud Cyrillum Alexandrinum, Theodoretum, --- apud Synesium, Suidam, aliumve Scriptorem, Gentilium vel Christianorum partes secutum, reperiantur? an sapientiam, doctrinam, pietatem Socratis celebrasse Porphyrius a quoquam hominum perhibeatur? Quod si ne unus quidem locus ex *Vitâ Socratis* Porphyrianâ in medium adferri possit, qui in commendationem illius accipi queat, tum tertiâ vice meam illam regulam adhibeo, " testimonium testis, nihil nisi parum decora testificantis, merito suspectum ,, haberi." Neque adeo cum JACOBO MORELLO (10) prorsus sentio, quando vota faciens, " ut quam fortunam Libanii monumenta, a se edita, sortita sunt, ut videlicet ad nos pervenirent, alia plura Veterum de Socrate ,, scripta itidem consecuta fuissent," --- quando, inquam, Vir meritissimus SECTIO II. §. 30.

(9) d. l. Tomo II. pag. 259.

(10) Ad LIBANII Declamationem *pro Socrate in vinculis*, editam Venetiis anno 1785, pag. 190.

SECTIO II. §. 30.

haec vota faciens, Aristoxenum ac Porphyrium eodem loco et ordine censet ac Critonem, Demetrium Phalereum, Panaetium, Plutarchum. Ardentius etiam (ut *Vitae* Scriptorem decebat, scilicet!) LUCAS HOLSTENIUS, dubitans, " an tam *praeclarum Opus* [*Historia Philosophorum* Porphyriana] in „ rebus humanis esse desierit, quod Ioannes Tzetzes ante quadringentos an„ nos adhuc legit, utinam vero (11) integrum (ait) alicunde proferatur! cum „ ex *primo* hoc Libro [*Vitâ Pythagorae*,] licet mutilo, satis appareat, „ quam jacturam res literaria ejus scripti interitu fecerit, quod Cyrillus „ summo studio confectum fuisse adfirmat: Idque eo magis, quod plurimo„ rum insignium Auctorum testimonia *de Socratis et Platonis Vitâ*, ac „ philosophandi ratione, unâ perierunt." Equidem, si ad nos servata esset integra illa PORPHYRII *Historia Philosophica*, vel sola etiam *Vita Socratis*, ex Aristoxeno maximam partem congesta, ipse impense gauderem, haud minus quam BRUCKERUS, qui (12), " inter deperditos Porphyrii Libros, in„ quit, maxime jacturam *Historiae* ejus *Philosophorum* deploramus, cujus „ partem fecisse *Vitam Pythagorae* non inepte conjecère Viri doctissimi." Nimirum existimabat Bruckerus, quam et nostram sententiam supra (13) prodidimus, " qualescunque ex veterum Scriptorum naufragio tabulas laete ac„ cipiendas, studiose expoliendas, sollicite servandas, eorum etiam Scripto„ rum, quorum auctoritas nobis parum fida esse videatur." Quocirca,

Judicium de Historiâ Philosophicâ *Porphyrianâ.*

cum ejusmodi nostrum de Porphyrio sit judicium, jucunde et libenter *Pythagorae Vitam*, a Tyrio isto Polyhistore ac Philosopho conscriptam, legimus, etiamsi omnino cum Bruckero nobis persuasum sit, *malam ejus fidem vel ex unâ Pythagorae Historiâ demonstrari posse.* — Porphyrio in laudis loco reponit Holstenius, " quod *Historiam* suam ex aliorum Auctorum lo„ cis, centonis instar, concinnaverit." Sed, si vere olim dixit LUCILIUS:

Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime,

cento iste *Historiae Philosophicae* (si quidem Historia omnino cento esse debeat, non tela uno eodemque filo, artifice manu, contexta) — cento igitur iste

(11) *De Vitâ et Scriptis Porphyrii*, Cap. VIII. pag. 256.
(12) d. l. Tomo II. pag. 258.
(13) Sect. II. §. 12. pag. 163.

iste aliquo saltem cum judicio et delectu debebat esse consutus et consarcinatus: At vero si quis scire velit, an *sarcinator summus* fuerit Porphyrius, an cento *Vitae Pythagoricae* optime sit ab illo consutus, legat is quae, nostrâ hac aetate, haud minus erudite quam vere de utroque et Porphyrii et Jamblichi Libello disputavit (14) MEINERSIUS. " In *Vitâ Pythagorae* (inquit) Porphyrius prodit non tantum tanquam fanaticus aliquis et credulitate levissimus homo, qui aliis eam fidem haberet, ut de Pythagorâ eadem ac plura etiam vera crederet, quam quae ipse de Plotino narraverat; sed et tanquam Scriptor putidus et negligens, qui ne hoc quidem sibi imperaret laboris, ut ab aliis relata ordinaret, apte conjungeret, inter se congrua redderet, ac deinceps, proprio sibi modo suisque verbis, exponeret. Ex totâ istâ, qualem nunc habemus, laciniâ nihil admodum ejus est, nisi prima paragraphus sequentisque semis. — Caeterum totus iste Libellus imperfectus nihil aliud est nisi cento aliquis aut series raro cohaerens, frequenter etiam intempestive interrupta, locorum, quos ex variis Auctoribus simpliciter descripsit." — SECTIO II. §. 30.

Sed in viam redeundum nobis est, quibus quum de Porphyrio universe agere minime sit animus, satis est, opinionem nostram prodidisse, qua cum Bruckero arbitramur, Socratem ab illo calumniis fuisse pressum, ut Pythagorae gloria, tanquam unici inter Philosophos Numinis, tanto latius quaquaversum eniteret: Namque haec sola fere ratio est, quam conjectando adsequi possumus, cur tanto odio Viri optimi memoriam prosecutus sit, cujus virtutem ipsi Athenienses, sero quidem, brevi tamen post fata intervallo, agnoverunt: Sed altera forsitan caussa, ut tam iris in Christianos acerbissimis quam infensissimae contra Socratem simultati indulgeret Vir eruditus aeque et infelix, --- altera, inquam, illa caussa fuit indoles tristis ac morosa, τὸ δυσάρεστον istud, quod ei cum Aristoxeno commune fuisse apparet, ita ut sibi ipse tantum displicens, quantum alios odisset, violentas sibi manus inferre cogitaverit, Plotini demum consiliis a tam infausto proposito retractus: Quocirca et mihi videtur atrâ bile percitus, nec quidquam in mundo magni faciens nisi asperam suam et intractabilem philosophandi aut nugandi disciplinam, illam bilem in Socratem, haud minus quam in rem PORPHYRII *indoles morosa ac livida.*

(14) *Geschichte der Wissenschaften*, Tomo I. pag. 265.

SECTIO II. §. 30.

Socratis Historici judicium de odio Porphyrii in Philosophum.

Christianorum divinam, evomere voluisse. Neque adeo erat, quod Historici Ecclesiastici, Philosopho nostro cognominis, aequitatem desideraret aut judicium de Porphyrio reprehenderet HOLSTENIUS (15). Quin elegans adeo et nativo quodam splendore tam nitidus est SOCRATIS ille in *Historiâ Ecclesiasticâ* locus, ut integrum hîc apposuisse minime taedio nobis sit futurum. Scilicet, quum adulatoriam Libanii de Juliano Orationem haud sine lepore perstringeret, ea praesertim Sophistae verba notat, quibus *Tyrium senem* (sic Juliano suo itemque Libanio Porphyrius, qui quondam Malchus fuerat, vocabatur) quibus, inquam, Porphyrium Libanius aiebat, " palmam ,, Imperatori, ut patrem filio, devictis debellatisque scribendo Christianis, ,, libenter concessurum:" ἵλεως δὲ οὗτος ὁ Τύριος εἴη, καὶ δέχοιτο εὐμενῶς τὸ ῥηθὲν, ὡς ἂν υἱῷ ἡττώμενος. Ab his autem initiis orsus Socrates Christianus porro demonstrat, quid censendum sit de istâ in Libros Christianorum sacros victrice et Juliani et Tyrii senis pugnâ, " qui tam perverso uterque essent ingenio, ,, tam asperâ et male fidâ in socios pariter et in adversarios indole, ut hic ,, quidem veteris Philosophiae principem, ille vero omnes ante se Impera- ,, tores, ipsumque Marcum Antoninum Philosophum, opprobriis et calumniis ,, appetiissent." Πᾶς γὰρ ὁ μαχόμενός τινι, νῦν μὲν παρατρέπων, νῦν μὲν ἐπικρύπτων τὴν ἀλήθειαν, καταψεύδεται τοῦ πρὸς ὃν ἡ μάχη συνίσαται· καὶ ὁ ἀπεχθῶς ἔχων πρός τινα πάντα ὡς πολέμιος οὐ μόνον πράττειν ἀλλὰ καὶ λέγειν ἐσπούδακε· καὶ τὰ αὐτῷ προσόντα φαῦλα, τῷ πρὸς ὃν ἡ ἔχθρα, περιτρέπειν φιλεῖ. Ὅτι μὲν οὖν καὶ Ἰουλιανὸς, καὶ Πορφύριος, ὃν Τύριον καλεῖ γέροντα, ἄμφω φιλοσκῶπται ἦσαν, ὑπὸ τῶν οἰκείων λόγων ἐλέγχονται. Πορφύριος μὲν γὰρ τοῦ κορυφαιοτάτου τῶν φιλοσόφων Σωκράτους τὸν βίον διέσυρεν ἐν τῇ γεγραμμένῃ αὐτῷ Φιλοσόφῳ Ἱστορίᾳ· καὶ τοιαῦτα περὶ αὐτοῦ γράψας κατέλειπεν, οἷα ἂν μήτε Μέλιτος, μήτε Ἄνυτος, οἱ γραψάμενοι Σωκράτην, εἰπεῖν ἐπεχείρησαν· Σωκράτους φημὶ, τοῦ παρ' Ἕλλησι θαυμαζομένου ἐπὶ τῇ σωφροσύνῃ, καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς· ὃν Πλάτων ὁ θαυμαστὸς παρ' αὐτοῖς φιλόσοφος, καὶ Ξενοφῶν, καὶ ὁ ἄλλος τῶν φιλοσόφων θίασος, οὐ μόνον ὡς θεοφιλῆ τιμῶσιν, ἀλλὰ δὴ καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον φρονεῖν νενομίκασιν· Ἰουλιανὸς δὲ, τὸν πατέρα ζηλῶν, τὸ ἴδιον πάθος εἰς τοὺς Καίσαρας ἤλεγξε, πάντας μωμησάμενος τοὺς πρὸ αὐτοῦ βασιλεῖς, καὶ οὐδὲ τοῦ φιλοσόφου Μάρκου φεισάμενος. Καὶ ὅτι μὲν φιλοσκῶπται ἄμφω, ἐξ ἑαυτῶν τὸν ἔλεγχον ἔχουσι· Καὶ οὐ δεῖ μοι πολλῶν ἢ δεινῶν λόγων, ἀλλὰ ἀπόχρη ταῦτα εἰς παράστασιν τοῦ ἤθους αὐτῶν. Ἐγὼ μὲν οὖν ταῦτα ἐκ τῶν ἑκατέρων λόγων

(15) *De Vitâ et Scriptis Porphyrii* Cap. VIII. in f. SOCRATIS locus est in *Hist. Eccles.* Lib. III. Cap. 23. pag. 200. 201. ed. Vales.

περὶ ἤθους αὐτῶν τεκμαιρόμενος ταῦτα γράφω. -- *Quicunque enim* (inquit SOCRATES) *alterum oppugnat, nunc pervertens, nunc celans veritatem, adversarium calumniatur, contra quem pugnam instituit: Quique alterum inimicitiis atque odio prosequitur, id studere solet, ut non tantum factis sed et dictis hostiliter eum adgrediatur; et, quae inimico suo adsunt reprehensione digna, ea ipsi objicere consuevit. Jam vero et Julianum et* PORPHYRIUM, *quem* Tyrium senem *(Libanius) adpellat, irridendi ac probrosorum salium ambos amantes fuisse, hoc vel ex ipsis eorum scriptis manifeste demonstratur. Quippe Porphyrius vitam moresque Socratis, qui Philosophorum fuit princeps, perpetuo ludibrio traduxit in illâ, quam prodidit,* HISTORIÂ PHILOSOPHICÂ; *taliaque de eo literis consignata ad posteros propagavit, qualia neque Melitus, neque Anytus, Socratis accusatores, contra illum dicere sustinuerunt; de Socrate, inquam, quem Graeci, et propter sapientiam, et propter justitiam, et propter alias virtutes admirati sunt; quem Plato, laudatissimus apud illos Philosophus, item Xenophon, universus denique caeterorum Philosophorum chorus, non tantum tanquam Deo amicum colunt, sed et existimant supra humanam sortem sapientiâ praeditum fuisse. Julianus autem, patrem* (Porphyrium) *aemulatus, proprium animi vitium in* Caesares *probavit, cunctorum ante se Imperatorum famam reprehensione suâ arrodens, neque ipsi parcens Marco Antonino Philosopho. Quod igitur uterque fuerint probrosorum salium jocosarumque calumniarum amantes, suo ipsorum arguuntur testimonio; nec necesse est, ut multâ id demonstrem ac vehementi oratione; sed ista sufficiunt, ut ingenium eorum demonstrem: Quapropter, ista ex utriusque scriptis de ipsorum indole velut argumento colligens, hoc judicium conscribo.* SECTIO II. §. 10.

Haec igitur vere et eâ, qua decebat, eleganti ἐνεργείᾳ, a Socrate Historico conscripta sunt, quae, illum saepissime describere solitus, octo vel novem post saecula, repetiit NICEPHORUS Callisti Filius XANTHOPULUS (16), cujus tamen ut recentioris, et ut nihil ex suâ ipsius penu depromentis, tanta non est auctoritas, ut ipsis eam verbis hic perscribere opus sit. Praestabit nostrae disputationi de Porphyrii in Socratem Philosophum testimonio finem hoc *Recentiorum de Vitâ Socraticâ Porphyrianâ judicium.*

(16) *Hist. Eccl.* Lib. X. Cap. 36. et *Hist. trip.* Lib. VII. Cap. 2. Loca non omisit HOLSTENIUS pag. 254. ed. Fabric.

SECTIO II. §. 30. CARPENTARII, loco imposuisse, sententiam subjungentes, quam de illo Recentiorum etiam dixerunt alii. Et CARPENTARIUS (17) quidem in *Vitâ Socratis* Porphyrium ejus *inimicum* appellat, " talem tamen inimicum, ut ne operae quidem „ pretium sit Virum optimum contra istius hominis calumnias defendere:" TILLEMONTII, Ac TILLEMONTIUS (18), quum *injurium valde in Socratem* fuisse Tyrium istum *Vitae Socraticae* Scriptorem refert, *aliorum* (Holstenii puta) vix probare videtur *excusationem*, " qui aiebant, has injurias illis deberi, ex quo- „ rum centonibus a se descriptis *Vitas Philosophorum* consarcinare sole- „ bat, Aristoxeno inter alios, qui acerbissimas in Socratem exercuerat ini- „ micitias." — Denique, (ut in Viro omnium optimo et aequissimo desinamus,) non alios nisi Aristoxenum Porphyriumque, tacitis nominibus, desi- IO. DAVISII. gnare voluit, eruditione et judicio praeclarus, IO. DAVISIUS, quando, de mulierositate aliisque probris Socraticis (19) agens, " hoc quidem (inquit) „ de Socrate sparserunt *invidi viri veraeque virtutis hostes*, quibus fidem „ temere dederunt nonnulli Patres." — Sed, misso et Aristoxeno et Porphyrio, tempus est, ut ad istos, de quibus Davisius loquitur, CYRILLUM praesertim Alexandrinum et THEODORETUM, quos nominatim adpellat, tandem deveniamus.

§. XXXI. *De fide, quam merentur* CYRILLI ALEXANDRINI *et* THEODORETI CYRENSIS *contra Socratem testimonia et judicium.*

§. 31. *De testimoniis* CYRILLI ALEXANDRINI *et* THEODORETI *contra Socratem.* Superest scilicet, ut de postremâ disputationis nostrae parte videamus, cujus partis argumentum est demonstrare, " ipsos Patres Christianos, dum „ calumniantem Porphyrium bonâ ipsi fide sequi voluerunt videri, in idem „ tamen manifestae calumniae crimen incidisse, et deliberato velut consilio „ errasse, qua in malignitate CYRILLUS ALEXANDRINUS et THEODORETUS „ CYRENSIS praecipue versati videantur." Et nemo quidem, qui in legendis antiquis Scriptoribus Christianis non plane sit hospes, negabit, illos in

(17) *Vie de Socrate* pag. 56.
(18) *Vie des Empereurs* Tom. IV. pag. 30.
(19) Ad CICER. *de Fato* Cap. 5.

SECTIO II. §. 31. *De studio Patrum nonnullorum in calumniandis Graecorum Philosophis.*

eo praesertim velut triumphasse dicendi loco, qui est de *impuritate Philosophorum* ac magistrorum sapientiae apud Graecos, quamquam ejusmodi opprobria multo frequentiora apud Tertullianum ac Tertulliano juniores Patres, maxime apud illos qui aetate Juliani ac postea vixerunt, quam apud eos reperiuntur, quorum scripta saeculo post Christum natum tertio sunt antiquiora. LUDOVICUS CRESOLLIUS (1), dum *Sophorum et Sophistarum libidinem impuram* multis arguit, et inter *flagitiosos praeceptores*, qui juventuti nocuerint, *spurcum* fuisse Socratem adfirmat, non aliis potissimum utitur testimoniis quam Tertulliani, Basilii, Hieronymi, Lactantii, Theodoreti, aliorumque. Neque is ego sum, qui infitias iverim, de Philosophis haud raro dici potuisse, quod de hominibus eruditis universe SENECA (2): *An tu quidquam in istis esse credis boni, quorum professores turpissimos omnium ac flagitiosissimos cernis?* Quin ipsi, quum hanc Diatribes nostrae partem (3) sumus auspicati, Ciceronis usi sumus verbis, rogantis, *quotus quisque Philosophorum inveniretur, qui ita esset moratus, ita animo ac vitâ constitutus, ut ratio postulat?* Et cum eodem tamen Cicerone censemus, fuisse nonnullos, etsi *admodum paucos*, apud quos *sapientiae valuerint monita.* Idcirco, si non Aristippum tantum aliosve voluptariae εὐδαιμονίας patronos, inter hos Aristoxenum, nefariae libidinis defensorem, sed rigidum ipsum severae Porticûs principem demonstravimus (4) *disciplinam suam non legem vitae, sed ostentationem scientiae, putasse*, ab alterâ tamen parte existimamus de Democrito, Socrate, Xenocrate, Polemone, similibusque, nihil temere esse pronunciandum, id autem summo opere cavendum, ne piam credamus ac divinae nostrae Religioni utilem et proficuam operam, veteres Philosophos sic vituperare et contemnere, ut eorum sapientia doctrinaque omnino simulata, falsa, prava, inutilis, quin *spurca* et corruptrix fuisse videatur: Et vero major etiam culpa a nobis habetur, ut probemus (quod LACTANTIUS (5) ait) " ex Philosophis perraro " fuisse, qui aliquid in vitâ fecerit laude dignum," testimoniis uti suspe-

(1) In *Theatro Rhetorum* Lib. V. Cap. 8.
(2) Epist. LXXXVIII. initio.
(3) Vid. supra hujus Sectionis §. I.
(4) Hujus Sectionis §. XIX. pag. 202.
(5) *Div. Inst.* Lib. III. Cap. 15.

SECTIO II. §. 31. *Non omnes tamen Patres eo animo fuerunt.*

ctis, levibus, mendacii adfinibus, vel incertis quoque vulgi rumoribus ac ficti tenace famâ. Haec autem plurium Patrum Ecclesiasticorum sive Graecorum sive Latinorum in oppugnandâ veteri Philosophiâ fuit consuetudo. *Plurium*, inquam; nam procul ab eâ absumus judicii iniquitate, ut antiquos omnes Religionis Christianae vindices ac doctores communi illâ vituperatione reprehendamus: Etenim priorum, qui ante tertium a C. N. saeculum vixerunt, mos magis fuit, qui ante illos fuerat Pauli Apostoli, ut ipsâ hac Gentilium sapientiâ uterentur, quâ praecepta sua et effata rectae rationi convenire ostenderent. Ne de Athenagorâ, Justino Martyre, Theophilo Antiocheno, aliisque dicamus, quis Clementem Alexandrinum et Eusebium ignorat ex armamentario (ut ita dicam) Philosophiae Graecae tela petiisse, quibus arcem fidei suae defenderent et hostium comprimerent ferociam? Atque, ut ad unum Socratem disputationem nostram revocemus, illi, qui inter Patres Christianos, praeter Clementem Alexandrinum et Eusebium, doctrinâ magis valuerunt et accuratâ Antiquitatis scientiâ, in laudando moralis disciplinae apud Graecos auctore ferme omnes consenserunt.

ATHENAGORAS *Socratem laudavit.*

Athenagoras (6), vere adfirmans, *ὅτι ἄνωθεν πως ἔθος --- κατά τινα θεῖον νόμον καὶ λόγον παρηκολουθηκέναι, προσπολεμεῖν τὴν κακίαν τῇ ἀρετῇ*, inter sapientes, quorum excellens virtus ab ipsorum civibus saevâ morte mulctata est, Socratem numerat, --- *καὶ Σωκράτους Ἀθηναῖοι θάνατον κατέγνωσαν· ἀλλ' ἐκεῖνοι* (inquit) *οὐδὲν χείρους εἰς ἀρετῆς λόγον, διὰ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν.*

item ORIGENES.

Quid autem ORIGENES? Quis verius quam ille, Vir sanequam bonus et singularis integritatis, testimonium de Socrate dixit, et magnificentius locutus est, de eo praesertim sermone, quem, cicutam nihil curans nec mortem reformidans, in carcere habuit, sic judicans, " tot et tam egregia praecepta et sententias dicendo persequi ,, vix alium potuisse, constantissimum etiam virum, qui, nulli periculo ,, expositus, serenâ mente dissereret de iis, quae ad animum eumque immor- ,, talem pertinerent (7)." Quid denique laudabilius de disciplinâ Socraticâ

(6) *Leg. pro Christ.* Cap. 27.

(7) Τὸν περὶ τῆς ἀθανασίας διεξοδεῦσαι Σωκράτους λόγον, καὶ τὴν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ εὐτονίαν αὐτοῦ παραστῆσαι, οὐ φροντίσαντος τοῦ κωνείου, ἀλλ' ἀδεῶς καὶ μετὰ πάσης γαλήνης τῆς ἐν τῇ ψυχῇ διεξοδεύσαντες τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα, οἷς μόγις παρακολουθεῖν καὶ οἱ πάνυ καθεστηκότες, καὶ ὑπὸ μηδεμιᾶς ἐνοχλούμενοι περιστάσεως, δύνανται. *Contra Celsum* Lib. III. Cap. 69. pag. 492. ed. Bened.

aut scribi aut cogitari potest, quam quae AUGUSTINUS in egregio *de Civitate Dei* Opere literis (8) consignavit? " Socrates primus (inquit) universam „ Philosophiam ad corrigendos componendosque mores flexisse memora- „ tur. — Constat eum imperitorum stultitiam, scire se aliquid opinantium, „ etiam in ipsis moralibus quaestionibus, quo totum animum intendisse vi- „ debatur, vel confessâ ignorantiâ suâ, vel dissimulatâ scientiâ, lepore mira- „ bili disserendi et acutissimâ urbanitate, agitasse atque versasse: Unde et, „ concitatis inimicitiis, calumniosâ criminatione damnatus, morte mulctatus „ est: Sed eum postea illa ipsa, quae publice damnaverat, Atheniensium ci- „ vitas publice luxit. — Tam praeclarâ igitur vitae mortisque famâ, Socra- „ tes reliquit plurimos suae Philosophiae sectatores."

SECTIO II. §. 31. *et* AUGUSTINUS.

Sed infinitum foret haec rerum argumenta pluribus persequi. Itaque hoc unum adjiciemus, tum demum videri Patres Ecclesiae majori in Philosophiam Veterum exacerbatos odio fuisse, quando Porphyrius et Hierocles, Celsi vestigia prementes, Religionem Christianam oppugnare coeperunt iis armis, quae profanae se sapientiae debere gloriabantur: Namque, uti sub Imperatoribus, Gentium sacra colentibus, Origenes pudenter et modeste caussam divinae Religionis egerat, sic deinceps a Constantino usque Magno liberius et acrius, ne dicam acerbius, eam ipsi tutati sunt: Et maxime quidem post Juliani mortem, qui Porphyrii, Hieroclis, Libanii, aliorumque e Gentilibus philosophantium Rhetorum exempla fuerat secutus, jam lacessiti et jure quodam suo subirati, frena acerbitati laxârunt, istamque in immerentem Socratem, ipsamque adeo Philosophiam, bilem effuderunt, quae in solos Rhetoras, Philosophiâ abusos, fuerat evomenda. Igitur Eusebius, qui ante Julianum vixit imperantem, nullâ irâ percitus, et omni in adversarios vindictâ abstinens, rem Evangelicam pie promovere studuit, candide, et docte: Sed, centum ferme annis elapsis, Patrum nonnulli Christianae Religionis tales se praestiterunt vindices, qui, ut sacra Gentilium oppugnarent et everterent, sapientiae studium, quod apud Graecos fuerat, vituperarent, optimosque etiam e Philosophis exagitarent tanquam *iracundos* (9), *cupidos, libidinosos, arrogantes, protervos, et sub obtentu sapientiae sua vitia celantes, domi fa-*

A Juliani praesertim aetate incepit Patrum Ecclesiae acerbitas in Philosophos Graecos.

(8) Lib. VIII. Cap. 3.

(9) LACTANT. *Div. Inst.* Lib. III. Cap. 15.

SECTIO II. §. 30. *cientes ea, quae in scholis arguissent.* Et vero hinc ratio repetenda videtur, cur Eusebius, quamvis Porphyrium aetate attigerit, Libros ejus legerit et confutaverit, ne vel tantillam quidem de probris Socrati objectis mentionem fecerit; postea autem Hieronymus Stridonensis, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretusque Cyrensis absurdissimas etiam narratiunculas, a Porphyrio celebratas, ut certissimae fidei testimonia retulerint ac propagaverint. Et HIERONYMUS quidem, quamvis Scriptori eruditissimo et laborioso nihil detractum velim, sic tamen existimabat (10), *se nihil praestare debere eorum omnium, quae scripsisset*, idque se jure facere, dummodo talia *in Graecis*, quos legerat, invenirentur. *Eruditionis tuae fuerat* (ad Augustinum scribit, diversa prorsus de ejusmodi licentiâ sentientem) --- *eruditionis tuae fuerat quaerere, utrum ea quae scripsimus, habeantur in Graecis; ut, si illi non dixissent, tunc meam proprie sententiam condemnares.* --- Misso itaque Hieronymo, cum Graecis res nobis esto, cum CYRILLO, inquam, et THEODORETO, qui inter Patres Graecos primas in vituperando et criminando Socrate partes sustinuerunt. A Cyrillo ordiamur, ita tamen ut, quae ipsi cum Theodoreto communia sunt, unâ eademque operâ ad examen revocemus.

HIERONYMI *Stridonensis iniquitas et mala fides.*

CYRILLI ALEXANDRINI *malefida ars in accusando.*

Nihil ad confirmandam accusationem aptius est, quam si illi, qui reo favent ejusque mirantur virtutes, crimina et delicta, quibus oneratur, fateantur ipsi et enarrent. Quae igitur Cyrilli in reprehendendo Socrate ars fuit? Si ipsum audiamus, libido, mulierositas, protervitas Viri testes non habent ejus inimicos et adversarios, sed asseclas, qui caeteroquin ejus dotes et sapientiam admirari solebant. Εἶτα (11) *τί πρὸς τοῦτο φαίη ἂν ὁ τὸν Σωκράτην τεθαυμακώς; καθὰ μὲν γὰρ ΑΥΤΟΙ´ φασιν, σφοδρότερος ἦν περὶ τὰ ἀφροδίσια κ. τ. λ.* Et quinam demum illi *αὐτοὶ τὸν Σωκράτην τεθαυμακότες;* — non alii, nisi unus Porphyrius, Aristoxeno auctore usus. Putaverit ergo Cyrillus, Aristoxenum ac Por-

(10) Vid. Io. DALLAEUM *de Usu Patrum* Lib. I. Cap. 6. ubi Vir egregius ostendit, *Patres saepe, quae ipsi credant, tacere, et quae non credant dicere, seu aliorum, nomine tacito, sententias referre*, itemque *sic contra adversarios disputare, ut nihil non adhibeant, quod ad argumentum suum faciat.*

(11) Vid. supra No. V. paginâ nostrâ 249.

Porphyrium inter eos fuisse, de quibus ait: *τεθαύμασαι μὲν οὖν ἐπὶ σοφίᾳ κοσμικῇ, καὶ τῶν ἄγαν ἐλλογιμωτάτων γενέσθαι φασὶν αὐτόν*? putaverit certe, qui mox scripserit: *καὶ ἀπιστήσειε μὲν ἴσως ἅπας τις οὖν τοῖς περὶ τούτου λόγοις· οὐ μὴν ἔτι καὶ τοῖς Πορφυρίου γράμμασιν ἀντερεῖ, ὃς τὸν ἑκάστου τῶν ἀρχαιοτέρων ἀπεσημήνατο βίον· σκοπὸς γὰρ οὗτος γέγονεν αὐτῷ, καὶ πολλῆς ἠξίωσε τὸ χρῆμα σπουδῆς· ἔφη τοίνυν ὧδὶ περὶ αὐτοῦ.* "*Λέγει δὲ ὁ Ἀριστόξενος κ. τ. λ.*" Siccine vero? — Siccine, inquam, Cyrille, Aristoxenus et Porphyrius tibi cogniti sunt ut tales, qui Socratis *admirati sint virtutem*, cumque inter viros sapientiâ maxime illustres censuerint? Quid igitur alio iterum loco Aristoxeni agnoscis *δυσμένειαν* in Socratem (12), dubitasque, an propter hasce inimicitias ac malevolentiam testis magis locuples quam Timaeus habeatur, *εἰ δὲ ὁ μὲν διὰ δυσμένειαν ἀξιόπιστος*? — Qualis vero Scriptor, qua praeditus vir indole Porphyrius ipsi, haud minus quam Theodoreto, fuerit visus, mox erit spectandum. — Sed aliud est fidei haud optimae argumentum, de quo cum Alexandrino Antistite expostulemus. — Porphyrium describens, Theodoretus haec nobis praebet illius verba: *Λέγωμεν περὶ τοῦ Σωκράτους, τὰ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις μνήμης κατηξιωμένα· τὰ μὲν, πρὸς ἔπαινον αὐτοῦ καὶ ψόγον, πολλαχῶς ὑπὸ τῶν λογίων ἀνδρῶν* ΜΕΜΥΘΕΥΜΕ΄ΝΑ *ἐπ' ὀλίγον φιλοκρινοῦντες, καταλιπόντες δὲ ἀνεξέταστον κ. τ. λ.* Idcirco, ipso judice Porphyrio, fuerunt plura, quae de Socrate a prioribus, ab Aristoxeno praecipue, referebantur, inventa ac conficta ad laudem aut vituperationem et ignominiam: *πρὸς ἔπαινον καὶ ψόγον μεμυθευμένα.* Necesse itaque erat, ut fides narrationum inde multum labefactaretur. Quid igitur, id probe intelligens, fecit Cyrillus? Dum Porphyrium testem nobis laudat, qui multum studii ac diligentiae posuerit in describendis veterum Philosophorum Vitis, *ὃς πολλῆς ἠξίωσε τὸ χρῆμα σπουδῆς*, — dum eum producit tanquam dictorum auctorem, cui nemo facile obloquatur, (*οὐ μὴν ἔτι καὶ τοῖς Πορφυρίου γράμμασί τις ἀντερεῖ,*) — dum, inquam, nihil praetermittit, quo scriptis ab illo fidem faciat, ista verba de *μεμυθευμένοις εἰς ψόγον* prorsus omittit, locumque Porphyrii mutilum atque exsectum adfert hoc modo: *Τούτων* (13) *δὲ οὕτω σαφηνισθέντων, λέγωμεν περὶ Σωκράτους, τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοις μνήμης κατηξιωμένα ἐπ' ὀλίγον φιλοκρινοῦντες, καταλιπόντες δὲ ἀνεξέταστον κ. τ. λ.* Quod qua de caussâ, studio an casu, malâ fide an negligentiâ, fecerit Cyrillus, alii judicent.

Sectio II. §. 31.

Alterum malae fidei in Cyrillo *argumentum.*

(12) Vid. No. VI. paginâ nostra 251.

(13) Vid. supra No. VI. pag. 251.

SECTIO II. §. 31. *Theodoreti levitas et parum tuta fides.*

At vero, ut in hoc argumento paulisper subsistamus, quid, ab alterâ parte, de Theodoreto dicemus? Noverat ille, plura fuisse de Socrate *εἰς ψόγον μεμυθευμένα.* Verba Porphyrii, (quae adversarius Theodoreti et aemulus, Alexandrinus Antistes, silentio presserat,) ipse in libello Porphyriano legerat, atque inde fideli curâ descripserat. Noverat porro (res ipsa loquitur) Porphyrium, Socrati inimicum, sic fuisse *φιλοκρινοῦντα*, ut, quemadmodum *Vitam Pythagorae* ex fabulosis centonibus, ad extollendum ultra omnem fidem hunc Philosophum, olim consarcinaverat, *Vitam Socraticam* contra sine ullo judicio consueret ex centonibus maxime illius, cujus invidentia aut malignitas erga Socratem Veteres, Panaetium aliosque, Plutarchum saltem, non latuerat. Doctior erat et perspicacior Cyrensis Episcopus, quam ut haec omnia aut ignoraret aut non perspiceret: Et tamen ista *εἰς ψόγον μεμυθευμένα* tam confidenter descripsit, ac si fidissimos et veracissimos eorum habuisset auctores: Qua certe in re Cyrillus cautiorem se praestitit. Quaeso enim? qualia sunt ista, Socratem fuisse *ἀπαίδευτον περὶ πάντα, σχεδὸν δὲ οὐδὲ γράμματα πάνυ τι ἐπίςασθαι, ἀλλ' εἶναι γελοῖον, ὁπότε τὸ δέον ἢ γράψαι ἢ ἀναγνῶναι, βατταρίζοντα ὥσπερ τὰ παιδία*? Tum qualis est illa fabula de duabus uxoribus propter calvum maritum inter se rixantibus, depugnantibus, tandemque pariter in ridiculum Socratem ruentibus? Ista nimirum erant ejusmodi, ut iis prudenter abstinuerit Cyrillus, memor *τοῦ μηδὲν ἄγαν*, Hieronymo quoque Stridonensi hac parte oculatior. Aliam tamen culpam cum Theodoreto communem habuit: Nam, si ejusmodi fuit hujus in admittendis *εἰς ψόγον μεμυθευμένοις* levitas, quid existimabimus de utroque, qui ea in virum ac senem conjecerint probra, quae de juvene Aristoxenus et Porphyrius, uno certe alterove loco, retulerant? Et SYNESIUS quidem (14), dum Aristoxeni memorat de aspero, iracundo, atque inverecundo Socrate narrationes an calumnias, illas ad ejus adolescentiam aut juvenilem refert aetatem; " si quis „ autem tales de sene habuisset sermones, risum omnibus debuisse ait, „ quandoquidem Socrates aetate provectior omnium hominum erat mitissi- „ mus atque humanissimus:" *ὡς αὐτός ἐςιν ὁ τῶν πώποτε πεφιλοσοφηκότων πρᾳότατος.* Quin ne ipse quidem hoc ignorabat Theodoretus, quippe qui ejusdem morum in Socrate emendationis Porphyrium testem laudat, ex ipso fortassis *Historiae Philosophicae* loco, quem prae oculis habebat Synesius: Quippe ut

Alia Theodoreti cum Cyrillo communis culpa.

(14) Vid. supra No. X. pag. nostrâ 259.

SECTIO II. §. 31.

Cyrenensis hic Antistes et Rhetor paucis annis Theodoreto Cyrensi, item Cyrillo Alexandrino, major fuit, ita isthac aetate Porphyriani libelli, *Vitae* maxime *Philosophorum* ab illo descriptae, frequenter in manibus fuisse videntur Antistitum Christianorum, eorum saltem qui, Alexandriae eruditi, in AEgypto regionibusque vicinis purioris Religionis disciplinam cum cognitione veteris doctrinae conjungebant. Quum vero Porphyrius in comportandis contra Socratem calumniis nihil admodum egisset nisi Aristoxeneum librum describere, hinc factum, ut, quod de Aristoxeno Synesius, id de Porphyrio dicat Theodoretus (15). *Καὶ γὰρ τὸν Σωκράτην τὸν Σωφρονίσκου φησὶν ὁ Πορφύριος εἰς ἀκολασίαν, ἡνίκα νέος ἦν, ἀποκλίναντα, σπουδῇ καὶ διδαχῇ τούτους μὲν ἀφανίσαι τοὺς τύπους, τοὺς δὲ τῆς φιλοσοφίας ἐκμάξασθαι.* Et tamen alibi Cyrensis Episcopus, haud minus quam Alexandrinus Praesul, de Philosophi nostri jam viri, imo senis, *ἀσχημοσύνῃ* loquitur, item de illius vitâ voluptariâ, tanquam qui esset *πρὸς τὴν τῶν ἀφροδισίων χρῆσιν σφοδρότατος*, et quae sunt plura ejusmodi. An id autem ex fide bonâ actum sit, an secum ipse consentiens reperiatur Theodoretus, penes aequos arbitros judicium esto. Quin pronuncient iidem, quid de illo, quid de Cyrillo censendum sit, qui, ut Gentilium Philosophiam oppugnent, famam Socraticam Theonino dente circumrodendam sibi sumserint, quum, ferente sic caussâ, alio iterum tempore et loco Socratem extollant laudibus, ut qui *hominum sapientissimus* (16) ab ipso Oraculo fuerit judicatus. Antea (17) scripserat Theodoretus: *Σωκράτης δὲ ὁ Σωφρονίσκου, τῶν φιλοσόφων ὁ ἄριστος, οὐδὲ παρὰ γυναικῶν μαθεῖν τι χρήσιμον ὑπέλαβε φιλοσοφίας ἀνάξιον·* Mox, sui oblitus (18), *ἐδείξαμεν*, inquit, *τὸν Σωκράτην, τῶν φιλοσόφων τὸν κορυφαῖον, τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας ἀμύητον·* Igitur omnis institutionis ejusque doctrinae, quam alii haud ignorabant Graecorum sapientes, expers fuit et rudis Sophronisci filius, quem idem ille Cyrensis, a se ipso iterum diversus, (19) ex Platone refert egregie de Providentiâ philosophatum, studioque sapientiae ac rerum divinarum ita usum, ut disceret mortem non timere; — quem

CYRILLUS et THEODORETUS de Socrate sibi ipsis contrarii.

(15) Vid. supra No. VIII. pag. 255.

(16) THEODORETUS Θεραπ. Serm. II. pag. 24. 16.

(17) Serm. I. pag. 6. 30. Pariter Serm. I. pag. 8. 8. *Τὸν γάρ τοι Σωφρονίσκου Σωκράτην ὁμολογεῖτε δήπου καὶ ὑμεῖς τῶν Ἑλληνικῶν φιλοσόφων ἄριστον γεγενῆσθαι.* Denique Serm. IV. pag. 61. 13. Socratem atque Xenophontem *τῶν Ἑλλήνων* vocat *τοὺς ἀρίστους*.

(18) Serm. I. pag. 11. in f. (19) Serm. IV. pag. 95. 32.

Sectio II. § 31.

alio item loco (20) observat Numinis naturam cognovisse nullius rei indigentem. --- Quo, precor, modo haec omnia inter se cohaerent? aut quo judicio absurdissimas in Socratem calumnias recepit atque retulit Ecclesiae Pater, qui testimonia calumniis adversa mox prodit? Tantumne apud eum, apud Cyrillum, apud Hieronymum Stridonensem, valuit Porphyrii fides; ut *παιδείας ἀμύητον*, *ἀπαίδευτον*, *βατταρίζοντα* illum fuisse adfirmarent, qui, Anaxagorae et Archelai discipulus, *παρ᾽ ἐκείνων* (21) *μεμάθηκεν*, *ἃ περὶ τοῦ ὄντος ἐδίδαξε*, — qui porro *περὶ τοῦ ὄντος* sic dissereret, ut vanam demonstraret eorum disciplinam, qui non adeunda menti humanae arcana Naturae se docere profiterentur, de contrariis ac repugnantibus sententiis acriter inter se decertantes (22); illos, qui se propterea Physicos dicerent magistros, suaviter derideret, omnem vero suam doctrinam ad emendandos mores (23) referret? Quid, quaeso, haec omnia de uno eodemque homine in unam disputationis molem, rudem fere dixerim atque indigestam, relata, --- quid sunt nisi

Non bene junctarum discordia semina rerum?

Tantumne, inquam, apud Theodoretum valuit Porphyrii fides, cujus *ἀκόλαστον γλῶτταν* ipse et agnoscit et accusat? Namque hac ego parte et illum et Alexandrinum Antistitem maxime vitupero, quod, quem ipsi in caussâ Christianorum pro homine habebant improbo, perfidioso, fallace, cujus os impurum manifestae calumniae capax esset, eundem illi hominem in re Socraticâ ut testem laudaverint omni exceptione majorem, cujusque fides ne in suspicionem quidem vocari posset. *Πορφύριος μὲν οὖν*, uno loco (24) inquit CYRILLUS, *ὁ πικροὺς ἡμῶν καταχέας λόγους, καὶ τῆς Χριστιανῶν θρησκείας μονονουχὶ κατορχούμενος*; et alio iterum (25), *Πορφύριος τοίνυν ὁ αὐτοῦ κοινωνὸς, καὶ τῆς καθ᾽ ἡμῶν*

CYRILLUS *et* THEODORETUS *omnem Porphyrio fidem abrogarunt ipsi.*

(20) Serm. VII. pag. 109. 47.

(21) Serm. II. pag. 29. 17. Conf. pag. 24. in f.

(22) Serm. II. pag. 22. in f. *Διά τοι τοῦτο καὶ Σωκράτης ὁ Σωφρονίσκου κωμῳδῶν αὐτοὺς διετέλει, ὅτι, τοῖς ἀνθρώποις οὐκ ἐφικτὰ εἰδέναι λίαν ἰσχυριζόμενοι, πρὸς ἀλλήλους ἀεὶ διεμάχοντο, καινῶν προστατεύοντες καὶ ἐναντίων δογμάτων.*

(23) Serm. IV. pag. 60. 20.

(24) *Contra Julianum* Lib. I. pag. 28. A.

(25) Ibid. Lib. III. pag. 87. A.

ἀθυροστομίας πατὴρ, *τὸν Πυθαγόρου βίον ἐξηγούμενος*. Ridet ibi Cyrillus et salse exagitat Porphyrii de Pythagorâ credulitatem atque in narrandis illius miraculis levitatem. — Quid? si in unâ *Historiae* suae *Philosophicae* parte tam credulus fuit, tam levis, in alterâ gravior fuerit et testis veracissimus? Pariter THEODORETUS (26): *Πορφύριος, τῆς ἀσεβείας γενόμενος πρόμαχος*, — *ὃς κατὰ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων τὴν ἀκόλαστον ἐκίνησε γλῶτταν*. — Quid? istane *ἀθυροστομία*, istane *ἀκόλαστος γλῶττα*, in solâ se exseruit contra rem Christianam *rabie*? Nam *rabiosus* et in *veritatem* mordax canis eidem Cyrensi nostro audit Bataneotes. *Ὁ Πορφύριος, ὁ κατὰ τῆς ἀληθείας* (27) *λυττήσας*. Quare cum summo contemtu alibi (28) ait: *Πορφύριος ἐκεῖνος, ὁ τὸν πρὸς ἡμᾶς ἐκθύμως ἀναδεξάμενος πόλεμον*. — Non quaerimus jam, an tale tantumque vitium, qualis quantusque est rabido in veritatem furor et canina mordacitas, excusari possit dicto Platonico: *Αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι καὶ τὰς κακίας*. Nos istam excusationem HOLSTENIO (29) lubentes relinquimus, eosque Vatiniano odio prosequimur, qui, quia se *τίνας* putant, — quia in se *magnum* inesse *Virum* existimant, — propterea verum et falsum susque deque habent, dummodo adversarios dejiciant aut in odium adducant ac contemtum: Sed id jure quodam nostro postulare nobis videmur, ut, qui *Bataneotes et sceleratus ille* HIERONYMO STRIDONENSI (30) dicitur, *Porphyrius* eidem Hieronymo non sit Scriptor idoneus, quem in re Socraticâ auctorem sequatur; ut *ἀθυροστομία* ista, ista *ἀκόλαστος γλῶττα, λύττα* ista *κατὰ τῆς ἀληθείας*, a Cyrillo et Theodoreto hodie agnoscatur, cras in eodem homine sit fides optima et veritatis amor, quia, scilicet! caussa est diversa, et de Socrate, Philosopho Gentili, agitur. Non iste Eusebii mos fuit: Nam, ut eruditissimus hic disciplinae Christianae vindex moderatius de Porphyrio loquitur, quamquam ille suâ ipsius aetate Celsi vestigia premebat, sic etiam omni in Socratem calumniâ abstinuit, sibique cavit, ne Tyrio calumniatori, in veterem sapientiam testi, crederet, cujus testimonium in rebus Christianorum repudiasset. — Neque est, quod quis dicat, optimâ tamen fide judicium Porphyrii, Aristoxenum describentis, secutos esse Cyrillum et Theodoretum, quippe qui nullam caussam haberent,

SECTIO II. §. 31.

item HIERONYMUS *Stridonensis.*

EUSEBII *modestia et fides.*

(26) Serm. II. pag. 28. 8. (27) Serm. I. pag. 6. 11. (28) Ibid. pag. 10. 19.

(29) *De Vitâ et Scriptis Porphyrii* Cap. XI. pag. 273.

(30) In *Prooemio Comment. ad Epist. Pauli ad Galatas*. Vid. HOLSTENIUM d. l. Cap. XI. pag. 274.

Sectio II. §. 31.

cur Philosopho Gentili non crederent de Viro, qui Ethnicae Philosophiae parens celebrabatur: Satis enim constat, doctiores, qui inter Patres Ecclesiae fuerunt, et moderatione magis insignes, quales censentur Eusebius, Augustinus, Gregorius Nazianzenus, alii, Aristoxenéa ac Porphyriana in Socratem probra plane neglexisse et silentio praeteriisse, quia, nimirum, cognitum iis erat, quod deinceps totidem verbis prodidit Annalium Christianorum auctor Socrates (31), *φιλοσκώπτην* fuisse *τὸν Τύριον γέροντα, ὃς τοῦ κορυφαιοτάτου τῶν φιλοσόφων Σωκράτους τὸν βίον διέσυρεν ἐν τῇ γεγραμμένῃ αὐτῷ Φιλοσόφῳ Ἱστορίᾳ, καὶ τοιαῦτα περὶ αὐτοῦ γράψας κατέλειπεν, οἷα ἂν μήτε Μέλιτος, μήτε Ἄνυτος, οἱ γραψάμενοι Σωκράτην, εἰπεῖν ἐπεχείρησαν.* —

§. 32. *De auctoritate* Theodoreti *universe in Historiâ Philosophicâ.*

§. XXXII. *De auctoritate* Theodoreti *in iis, quae ad Historiam Philosophicam pertinent.*

Atque haec erant, quae de Cyrillo Alexandrino ac Theodoreto, utrique communia, de Hieronymo item Stridonensi, quantum ad rem nostram, observanda videbantur: Sunt pauca alia; quae Theodoretum propius spectant, non negligenda, si quis illius in oppugnandâ Veterum sapientiâ sollicitam de veritate curam ac candorem aequâ lance perpendere velit: Fuit sanequam Theodoretus, si illum cum Cyrillo contendamus, me quidem judice, vir longe melior et eleganti doctrinâ magis expolitus: Nec quisquam facile erit, qui illius modestiam ac mansuetudinem in famosâ istâ contra Nestorium lite et fastidiosâ de Virgine *θεοτόκῳ* controversiâ non laudet prae immoderatâ hujus intemperantiâ ac vehementi (pene dixerim) feritate: Nemo, inquam, erit, qui non malit Theodoreti in isto bello (1) partes egisse, quam cum Cyrillo in Concilio Ephesino triumphasse, et cum jacturâ ejus existimationis, quam vir bonus et honestus appetit, errantium Theodori Mopsuestensis et Nestorii (si illi re verâ erraverint, viri sanequam egregie cordati) — ad-

Theodoretus Cyrillo melior et doctior.

(31) d. l. *Hist. Eccles.* Lib. III. Cap. 23. pag. 201. quem Gesnerus in *Socr. sancto Paed.* §. 2. minus considerate, certe immerito, *contra Porphyrium praeter rem declamasse*, ait.

(1) Hujus belli historiam, post alios *Historiae Ecclesiasticae* Scriptores, absolutissimâ, uti solet, operâ enarrat Cl. J. M. Schröckh *Christliche Kirchengeschichte*, Periodo II. Lib. 4. De triumpho Cyrilli parum laudando vid. inprimis Tom. XVIII. pag. 240. seqq. de mansuetudine et aequitate Theodoreti ibid. pag. 363. seqq. Conf. Moshemii *Hist. Eccles.* Saec. V. Parte 2. Cap. 5. pag. 221. seqq.

versariorum igitur sententiam profligasse. Fuit item Cyri Antistes Alexandrino longe magis eruditus et disertus; interque omnes, quos post Constantini Magni aetatem Patres Graeci scripserunt, Libros vix alius reperietur bonae frugis magis plenus, quam est Theodoreti *Graecorum malorum Curatio*. Sunt quidem in istis *Sermonibus* complura non incognita iis, qui Clementem Alexandrinum et Eusebium legerint, item Justinum Martyra, Theophilum Antiochenum, atque Origenem: Namque solet Cyrensis noster Eusebium frequenter sequi, non appellato auctore: Illos tamen Scriptores, qui post Constantini Magni vixerunt aetatem, Porphyrium inprimis, ipse diligenter legisse inque suos usus convertisse videtur; quare lubens adsentior MOSHEMIO (2), cui Theodoretus dicitur *Scriptor disertus, copiosus, eruditus, cujus in omnem eruditionem sanctiorem non contemnenda exstant merita*. Neque tamen justa haec laus efficit, quo minus in *Sermonibus* hisce, profecto jucundissimis et utilissimis, saepius tum curam in describendo ac judicando, tum candorem atque aequitatem desideremus, quae certe postrema virtus in oppugnandâ Graecorum sapientiâ illos frequenter nimis Patres Graecos Latinosque deseruisse videtur, quorum animos Celsi, Porphyrii, Juliani, Libanii, aliorumque Rhetorum Sophistarumque Gentilium Libri, calumniis referti, (uti supra jam diximus) exacerbaverant. — At vero non nostrum tantum, sed summi RICHARDI BENTLEJI (3), de Theodoreto judicium paucis exemplis confirmemus.

SECTIO II. §. 32.

Judicium de THEODORETI *Sermonibus.*

Ac primum insignis error est, praecipitis in describendo studii indicium (nisi corruptissimum locum dicamus,) quando, Porphyrium describens, ipsum Aristoxenum ait cum Socrate versatum, quod non tantum temporum rationibus repugnat, verum et a Porphyrio non fuit traditum, secundum quem non Aristoxenus fuit sed Spintharus, Aristoxeni pater, cujus fidem filius sit secutus, quando ait, Socratem tam fuisse iracundum suique impotentem, ut nullo opprobrio abstinuerit, dictis factisque frena laxans animi impotentiae: *Λέγει δὲ ὁ Ἀριστόξενος, ἀφηγούμενος τὸν βίον τοῦ Σωκράτους, ἀκηκοέναι Σπινθάρου τὰ περὶ αὐτοῦ, ὃς ἦν εἷς τῶν τούτῳ ἐντυχόντων.* — Haec Cyrillus Alexandrinus. Theodoretus contra (4): *Πορφύριος, Ἀριστοξένῳ μάρτυρι κεχρημένος, τὸν Σωκράτους βίον ξυγγεγραφότι*

Minus exacta THEODORETI *in* Sermonibus *cura.*

(2) *Hist. Eccles.* Saec. V. pag. 208.

(3) In *Epist. ad Millium* pag. 13. *Dissert. de Epist. Socr.* §. XIV. pag. 78.

(4) Supra sub No. IX. ubi vide notata pag. 256.

Sectio II. §. 32.

ἔφη γὰρ μηδενὶ ἑτέρῳ ἐντετυχηκέναι κ. τ. λ. quasi Aristoxenus fuerit, qui haec ipse retulerit testis oculatus et auritus. At vero si hunc errorem Librariis, non ipsi Theodoreto, tribuamus, alia sunt, in quibus non majorem quidem curam, sed meliorem fidem, animum veri magis studiosum, cupiditatemque in reprehendendo minus acerbam minusque (ut ita dicamus) coecam, ab Antistite pietatis Christianae requirimus. Postquam Porphyrii verbis retulisset, " Socra-„ tem (5) tam ineptum fuisse, tam disciplinae omnis rudem, ut risum de-„ buerit, quotiescunque aliquid vel scriberet vel legeret, quin ut infantem „ balbutiisse;" --- postquam igitur haec non prius audita retulisset, mox illa confirmat loco Platonis in *Apologiâ*, ubi is Socratem ad Judices dicentem facit: *Οὐ μήν τοι, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κεκαλλιεπημένους γε λόγους ῥήμασίν τε καὶ ὀνόμασιν, οὐδὲ κεκοσμημένους, ἀλλ' ἀκούσεσθε εἰκῇ λεγόμενα τοῖς ἐπιτυχοῦσι ὀνόμασι.* Quid itaque? Qui simplici oratione utatur, ut innocentiam tueatur suam; -- qui existimet, veritatem caussae ornamentis oratoriis non indigere; qui a Lysia scriptam pro se defensionem recusaverat, quod ea, ex arte facta ad movendam misericordiam, infra dignitatem viri justi ac constantis esse videretur; --- ille propterea fuerit (uti ait Cyrensis noster) *ἀμαθὴς τὴν γλῶτταν καὶ ἀπαίδευτος*? Siccine, Theodorete, ignorabas Euripidéum istud,

Theodoretus *Platonis verbis abutitur, sibi ipse contrarius.*

Ἁπλοῦς γ' ὁ μῦθος τῆς ἀλήθειας ἔφυ?

Profecto non ignorabas! Sed tua te abripuit atque transversum egit occoecata cupiditas! Quin a te rogo, an ipsa illa, quam ex Platone adfers, *ῥῆσις* tibi tam inculta, tam omnis videatur artis oratoriae expers? Neque hoc profecto dices! --- Sed aliud est, quod itidem a Theodoreto aut a Theodoreti defensore quoquam quaesitum velim. Numne cuncta illa, quae Plato scripsit in *Apologiâ*, sic a Socrate crediderit in judicio pronunciata? Ipsum audiamus. *Ἐγὼ δὲ οἶμαι*, (6) inquit, *καὶ Σωκράτην τὸν Σωφρονίσκου τὸν ἀλεκτρυόνα θῦσαι κελεῦσαι, ἵνα τὴν κατ' αὐτοῦ γεγενημένην διελέγξῃ γραφήν· ἐγραψάτην (ἐγραψάσθην) γὰρ αὐτὸν Ἄνυτός τε καὶ Μέλιτος, ὡς εἶναι θεοὺς οὐ νομίζοντα· ὅτι γὰρ ἀνενδεὲς τὸ θεῖον ἠπίςατο, σαφῶς ἐν ἑτέροις δεδήλωκεν· αὐτοῦ γὰρ δὴ καὶ ταῦτα, εἴπερ δὴ ἄρα ὁ Πλάτων τὰ ἐκείνου ξυνέγραψε δόγματα·* post quae Socratis e Platone verba sequuntur. Ergo, quae egregia exstat

(5) Vid. supra No. VII. pag. nostrâ 253.
(6) Serm. VII. pag. 109. 47.

siat disputatio de summo Numine, per se beato ac nullius rei indigente, illa Theodoretus dubitat an re ipsâ a Socrate sit habita, an vero sub illius personâ a Platone sit conficta: Verum, quando ait in *Apologiâ*, simplici se, non fucato, ac pene rudi sermone ad sui defensionem usurum, tunc modesta nimis atque humilis (ut Theodoreto quidem videbatur, quamquam alii nobiscum aliter judicabunt) haec Platonis non fuit oratio, sed Socrati tribuenda tanquam indicium ipsius in dicendo infantiae et rusticitatis. — Sic malevolentia sibi saepe contraria est, aliter atque aliter de eâdem re pronunciat, prouti animi impetus jubet: Sic conjuncta separat, repugnantia conjungit. Narrat nobis ex Porphyrio Theodoretus (7), "Socratem, quum „ juvenis esset, in intemperantiam vitamque libidinosam fuisse proclivem; „ sed aetate provectiorem studio ac doctrinâ eo profecisse, ut vitiosae indo- „ lis vestigia deleret, sapientiae vero amorem animo imprimeret:" *Καὶ γὰρ τὸν Σωκράτην τοῦ Σωφρονίσκου, φησὶν ὁ Πορφύριος, εἰς ἀκολασίαν, ἥνικα νέος ἦν, ἀποκλίναντα, σπουδῇ καὶ διδαχῇ τούτους μὲν ἀφανίσαι τοὺς τύπους, τοὺς δὲ τῆς φιλοσοφίας ἐκμάξασθαι.* Atque talia re verâ de juvene Socrate ab Aristoxeno scripta, quem Porphyrius secutus est, antea jam observavimus. Mox vero, sui immemor aut sibi ipse contrarius, Cyrensis Episcopus eodem Porphyrio teste utitur, ut demonstret (8), eum per totam vitam voluptarium fuisse ac meretricibus deditum, *καὶ ἄλλα δὲ τοιαῦτα διεξελθὼν δείκνυσιν αὐτὸν καὶ ταῖς ἡδυπαθείαις δεδουλωμένον.* Neque enim, si et Aristoxenus et Porphyrius sic male cohaerentia probra, et repugnantia sibi dicta, ad posteros propagarunt, haec penes me pro Theodoreto, non magis quam pro Cyrillo, valet excusatio, quorum officium fuerat, falsitatem testis vel inde arguere, quod in testimonio sibi ipse suo non constaret. SECTIO II. §. 32.

At vero non in solum Socratem iniquus fuit Theodoretus, ut per latus principis Philosophorum ipsam Philosophiam Graecorum letifero vulnere prosterneret. De aliis quoque Philosophis et in aliis Historiae Philosophicae partibus aequitatem ejus et fidem desideramus. Uno exemplo defungamur. Aristoteli haud magis parcit quam aut Socrati, aut Platoni. Ἀριστοκλῆς, inquit, ὁ Περιπατητικὸς (9) *Λύκωνα φάναι τὸν Πυθαγόρειον ἔφη, ὡς Ἀριστοτέλης ὁ Νικομάχου* THEODORETI in Aristotelem iniquitas.

(7) Vide supra No. VIII. pag. nostrâ 255.
(8) Vide supra No. IX. pag. nostrâ 256.
(9) Serm. VIII. pag. 116. 45.

Sectio II. §. 32.

θυσίαν τετελευτηκυίᾳ τῇ γυναικὶ τοιαύτην εἰώθει προσφέρειν, ὁποίαν Ἀθηναῖοι τῇ Δημητρί. Et alio iterum (10) loco. Καὶ οἱ Περιπατητικοὶ δὲ λόγῳ μὲν εὐφήμουν τὴν ἀρετὴν, ἐκύδαινον δὲ ἔργῳ τὴν ἡδονήν· καὶ ταῦτα αὐτῶν οὐκ ἄλλοι κατηγοροῦσιν, ἀλλ' αὐτοὶ περὶ τοῦ σφῶν διδασκάλου ξυγγράφουσιν. Ἀριστοκλῆς γὰρ πού ὁ Περιπατητικὸς, Λύκωνα, ἔφη, τὸν Πυθαγόριον περὶ Ἀριστοτέλους φάναι, ὅτι, ἐν ἐλαίῳ θερμῷ λουόμενος, τοῦτο ὕστερον ἀπεδίδοτο· καὶ, ἡνίκα δὲ εἰς Χαλκίδα ἀπῄει, τοὺς τελώνας, ἔφη, διερευνωμένους τὸ πλοῖον, εὑρεῖν αὐτῷ λοπάδια [χαλκᾶ] τέτταρα καὶ ἑβδομήκοντα· ἄλλους δέ τινας εἰρηκέναι, τριακοσίας αὐτὸν ἐσχηκέναι λοπάδας. Καὶ οἶμαι αὐτοὺς μὴ παντάπασιν ψεύδεσθαι· ἐν τούτοις γὰρ δὴ ἐκεῖνος τὴν εὐδαιμονίαν ὡρίζετο· εἰώθει γὰρ λέγειν, οὐκ ἄλλως εὐδαίμονα τινὰ γίγνεσθαι, ἢ διὰ τῆς τοῦ σώματος εὐπαθείας, καὶ τῆς τῶν ἐκτὸς περιουσίας· ὧν ἄνευ μηδὲν τὴν ἀρετὴν ὠφελεῖν. Καὶ τοῦτο [δὴ] σαφῶς Ἀττικὸς ὁ Πλατωνικὸς, ἐν οἷς πρὸς Ἀριστοτέλην γράφει, δεδήλωκεν· κ. τ. λ. — Itane vero, Theodorete? An bonâ fide agis; anne, pravo carpendi studio abreptus, sciens fallis, atque imprudentes in errorem inducere conaris? Quid? *ipsi Peripatetici* praeceptorem suum accusarunt, eaque, tanquam si iis fidem haberent, scripserunt, quae refers, et de sacrificiis vitâ functae uxori Pythiadi ab Aristotele oblatis, qualia sacra Cereri facere Athenienses solebant, et de oleo vendito, postquam eo se ipse lavasset, et quae caetera sunt hujusmodi? Certe, si hisce probris Lycéi auctorem onerassent ipsius discipuli et asseclae, te oportuerat idem sentire, quod sentiebat, quem mox laudabimus, Eusebius, quando vir bonus et modestus, ipso, quem prae oculis habebas, loco, ait: ἐμοὶ δ' οὐ φίλον ἄνδρα οὐδ' αὐτοῖς ἀκοαῖς ἀνέχεσθαι κακῶς πρὸς τῶν οἰκείων ἀγορευόμενον· Et illi tamen *οἰκεῖοι* non erant discipuli Aristotelis, sed Philosophi ex aliis scholis profecti, Epicurus, Alexinus Eristicus, Lycon Pythagoréus, tum Oratores aliique Philosophiae et Lycéo adversi, Demochares, Cephisodorus, et Eubulides; neque alius est, qui in hunc calumniatorum censum isto loco referatur, Peripateticus, nisi unus Aristoxenus, homo asper ac maledicus, ingratusque in praeceptorem discipulus: Tu vero, Theodorete, nobis fingis Aristoclem aliosque talia de auctore disciplinae suae, tanquam explorata et probata, narrantes! Tum certe *οἰκεῖοι* fuissent, *οἳ κατηγόρουν ταῦτα τοῦ σφῶν διδασκάλου*, eamque omnes meruissent censuram, quam nos uni Aristoxeno debitam existimamus. At vero neque illi principem Lycéi sic sunt calumniati, neque tu id adfirmare potuisses, si egisses, uti inter bonos bene agier oportet! Nimirum neque Aristoclis

(10) Serm. XII. pag. 173. 10.

Peripatetici *de Philosophiâ* Libros ipse legeras, neque Attici Platonici *Disputationem adversus Aristotelem*; sed, quae ex illis convertis in rem tuam, ea omnia, ipsis etiam verbis, descripsisti ex EUSEBII, Pamphili Episcopi, *Praeparationis Evangelicae* Libro decimo quinto, uti tu et Cyrillus, et alii item Patres, qui tuâ et proximâ vixerunt aetate, vestram, qua splendidi fulgetis, Philosophiae Graecae notitiam, non ex ipsis hausistis fontibus, sed ex Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, atque Eusebio. Eusebii autem Commentarios describis, tacito illius (11) nomine, quo silentio et tu majorem doctrinae atque eruditionis gloriam consequi videreris, et Veterum, quae ex illis sumis, loca difficilius dijudicarentur. Id vero in hac nostrâ caussâ evénit. Tu ais: *Καὶ ταῦτα αὐτῶν* [*τῶν Περιπατητικῶν*] *οὐκ ἄλλοι κατηγοροῦσιν, ἀλλ'* ΑΥΤΟΙ *περὶ τοῦ σφῶν διδασκάλου ξυγγράφουσι:* Quinam, quaeso, isti sunt *αὐτοί*? Non certe Lycon, quem ipse appellas *τὸν Πυθαγόρειον*, diversus adeo a Lycone Peripatetico (12). Igitur testis, quem contra *τὸν αὐτῶν διδάσκαλον* citas, est Aristocles; qui reverâ Peripateticus fuit. Sed an Aristocles narrationi aut fabulis Lyconis aliorumque de Aristotele fidem habuit? Tu pulchre noveras, eas ab illo tanquam putidas calumnias repudiatas ac rejectas fuisse: Etenim in Fragmento Aristoclis apud EUSEBIUM (13) haec illius legeras verba. *Πάντα δ' ὑπερπαλαίει μωρίᾳ τὰ ὑπὸ Λύκωνος εἰρημένα, τοῦ λέγοντος εἶναι Πυθαγορικὸν ἑαυτόν· Φησὶ γὰρ θύειν Ἀριστοτέλη θυσίαν τετελευτηκυίᾳ τῇ γυναικὶ τοιαύτην, ὁποίαν Ἀθηναῖοι τῇ Δημητρὶ, καὶ ἐν ἐλαίῳ θερμῷ λουόμενον, τοῦτο δὴ πιπράσκειν,* --- tum caetera de ollis, quas publicani, dum Aristoteles Chalcida navigaret, in navi repererint, quae ipsis pene verbis ex integro Aristoclis fragmento apud Eusebium descripsisti: Et, quum Peripateticus ille ait, Lycona Pythagoricum, talia narrantem, supra omnes Aristotelis calumniatores, quos eodem loco refert et refutat, delirasse, tu, quasi ista ipsius Aristoclis (14) fuisset narratiun-

SECTIO II. §. 32.

THEODORETUS *Eusebii non nominati scriptis usus.*

(11) Ad EUSEBII Libros *Praeparationis Evangelicae* semel THEODORETUS lectorem suum, qui plura scire velit, ablegat, Serm. II. pag. 35. 22. caeterum, quamvis hosce Libros ubique fere in usus suos adhibuerit, de illis tacet, omniaque, velut ex suâ ipsius penu, depromit.

(12) De hoc Lycone Peripatetico nonnulla diximus hujus Sectionis §. XIX. pag. 203.

(13) *Praep. Evang.* Lib. XV. Cap. 2. pag. 792.

(14) Ad DIOGENEM LAËRTIUM Lib. V. Segm. 16. ubi eadem haec Lyconis in Aristotelem calumnia, sed breviter, narratur, ISAACUS CASAUBONUS eandem, quam nos in Theodoreto,

SECTIO II. §. 32. cula, vel illum *κατήγορον* producis *κατὰ τὸν ἑαυτοῦ διδάσκαλον*, vel Lycona Peripateticum imperite confundis cum altero Lycone calumniatore, mendace, et

culpam reprehendit in *κακοήθει* quodam: " Falsum est igitur (inquit) quod ait *κακοήθης*, ,, qui ausus est scribere, *duos* celeberrimos Peripateticos Aristotelem avaritiae accusasse, ,, Lyconem et Aristoclem: In quo multipliciter fallitur, fallitque: Quod enim a *duobus Peripateticis* factum esse dicit, id *ne de uno quidem* verum est; si quidem solus Lyco ,, hoc objecit, qui fuit (voluit quidem certe videri) Pythagoricus: Aristocles autem tantum ab eo abfuit, ut id objiceret, ut ne crederet quidem; (quod ex ejus verbis, quae ,, hodieque supersunt, intelligere cuivis licet:) Eos insanire extremâ lineâ, putavit Aristocles, qui haec adversus Aristotelem confinxissent. Sed, ut intelligat Lector, quam ,, *parum candide* fecit, qui se *duorum Peripateticorum*, ut ait, celeberrimorum auctoritate adversus Aristotelem armare voluit, primum ejus verba apponam, deinde ,, Theodoreti locum proferam, cujus ille auctoritate non utitur, sed improbissime abutitur." — Κακοήθης iste, quem hic, ut alibi, tacito nomine, haud leniter tangit Casaubonus, non alius est nisi Franciscus Patricius; et verba, quae mox ille refert, leguntur in hujus *Discussionibus Peripateticis*, Tom. I. Lib. 1. pag. 11. in f. Sed, ut aequi simus, fatendum est, nimis inclementer cum Patricio agere Casaubonum, ac paululum iniquiorem fuisse in eum, cujus acerrimum contra Aristotelem ac Peripateticos odium *κακοηθείας* notâ ipsi ulciscenda videbatur: Namque Patricius, Theodoretum testem producens, simpliciter eum secutus est, nihilque adfirmavit, quod non antea adfirmaverat Cyrensis Antistes: Igitur, si qua illius culpa est, magis ea ignorantiae fuit quam malae fidei, quod, scilicet, nesciverit, quaecunque ex Aristocle se habere Theodoretus prae se ferat, ea omnia sumta esse ex Eusebii *Praeparatione Evangelicâ*, ita autem esse desumta, ut error Patricii inde sit natus. Prius quidem non latuit Casaubonum, qui pro excellenti doctrinâ suâ id animadvertere non neglexit. Itaque non in immerentem Patricium haec faba erat cudenda, sed in Theodoretum, quandoquidem ille nihil plane scripsit, quod apud hunc non reperiatur. At vero Casaubonus, qui Aristoteli emendando ac corrigendo haud levem curam impenderat, ut Aristotelis osorem reprehenderet, " *videamus nunc*, ,, inquit, *quid dicat Theodoretus:* Ἀριστοκλῆς γὰρ πού ὁ Περιπατητικὸς Λύκων κ. τ. λ. —" Sed, dum ab istis verba Theodoreti orditur, omittit praecedentia: *Καὶ οἱ Περιπατητικοὶ δὲ λόγῳ μὲν εὐφήμουν τὴν ἀρετήν, ἐκύδαινον δὲ ἔργῳ τὴν ἡδονήν· καὶ ταῦτα αὐτῶν οὐκ ἄλλοι κατηγοροῦσιν, ἀλλ' ΑΥΤΟΙ περὶ τοῦ σφῶν διδασκάλου ξυγγράφουσι*: Quae certe verba, casu an studio praetermissa, Casaubonum et a tam severâ censurâ in Patricium, Theodoreti vestigia tantummodo secutum, et a laudando praesertim contra Patricium Theodoreto, debuerant retinere. Verum ita agitur in rebus humanis, quando cupiditas aut iracundia animum occupavit: Et tamen in Casaubono, viro sanequam optimo, mansuetudinem alias non desideramus. — Haec in transitu observanda videbantur.

maledico, quem ipse appellas *Πυθαγορικόν*. Quin tu de ollis istis in navigio repertis simpliciter dicis, " Lycona retulisse, septuaginta quatuor illas nu- „ mero fuisse, alios trecentas:" *ἄλλους δέ τινας εἰρηκέναι, τριακοσίας αὐτὸν ἐσχηκέναι λοπάδας.* Dissimulas vero aut silentio premis, ex varianti et contrariâ ejusmodi narratione Aristoclem falsitatis et calumniae argumentum petiisse, atque adjecisse, " nonnisi contemtu vindicandam calumniosam ejusmodi ma- „ ledicentiam:" De Epicuro, Timaeo, Aristoxeno Musico loquitur, item de Alexino Eristico, Eubulide, Demochare, Cephisodoro, denique de illo, qui omnes mendacibus nugis superârat, Lycone Pythagoréo: *Καὶ σχεδὸν οἱ μὲν πρῶτοι*, inquit, *διαβαλόντες Ἀριστοτέλην τοσοῦτοι γεγόνασιν, ὧν οἱ μὲν κατὰ τοὺς αὐτοὺς ἦσαν χρόνους· οἱ δὲ, μικρὸν ὕστερον ἐγένοντο· πάντες δὲ σοφισταὶ, καὶ ἐριστικοὶ, καὶ ῥήτορες, ὧν καὶ τὰ ὀνόματα καὶ τὰ βιβλία τέθνηκεν τῶν σωμάτων μᾶλλον. Τοὺς μὲν γὰρ μετὰ ταῦτα γεγονότας, ἢ τὰ ὑπὸ ἐκείνων εἰρημένα λέγοντας, παντάπασιν ἐᾷν δεῖ χαίρειν, καὶ μάλιστα τοὺς μηδ' ἐντετυχηκότας τοῖς βιβλίοις αὐτῶν, ἀλλ' αὐτοσχεδιάζοντας· ὁποῖοι εἰσι καὶ οἱ λέγοντες, τριακοσίας ἔχειν λοπάδας αὐτόν· οὐδεὶς γὰρ ἂν εὑρεθείη περὶ αὐτοῦ τοιοῦτον οὐθὲν εἰρηκὼς τῶν τότε ὄντων, ὅτι μὴ Λύκων· οὗτος μέντοι, καθάπερ ἔφην, εἴρηκεν εὑρῆσθαι λοπάδια πέντε καὶ ἑβδομήκοντα.* --- Haec omnia, et plura quae omittimus, ad defensionem praeceptoris ab Aristocle scripta, a Theodoreto reticentur, qui contra persuadere nobis conatur, Lycéi principem ab ipsis discipulis asseclisque suis accusatum fuisse. Nos vero in tali dissimulatione ac reticentiâ bonam fidem requirimus. — Sed Theodoretum, quem solus fortassis excusat rei Christianae qualibuscunque etiam armis defendendae ardor, solumque Porphyrii, Juliani, similiumque odium, — Theodoretum, inquam, tandem mittamus, unâ tantummodo observatione adjectâ, illum, scilicet, hac quoque arte adversario suo, Cyrillo Alexandrino, supparem fuisse: Nam, uti ille scripsit, " ipsos, qui Socratem admirabantur, de ejus libidine, mulierosi- „ tate, iracundiâ, caeterisque vitiis (15) fuisse testatos," --- hi autem Socratis (ut ita dicam) admiratores non alii fuerunt nisi unus Aristoxenus, quique Aristoxenum descripsit, Porphyrius, acerrimi uterque et infensissimi ejus adversarii; similiter illi, qui Aristotelem probris apud posteros onerârunt atque infamârunt, si Theodoreto credamus, ipsi fuerunt Stagiritae discipuli, -- *αὐτοὶ περὶ τοῦ σφῶν διδασκάλου ξυγγράφουσι.* — Atqui vero non alii iterum fuerunt nisi unus Lycon, non Peripateticus ille, suavitate morum ac sermonum

SECTIO II. §. 32.

CYRILLI et THEODORETI eadem ars minus ca- qua.

(15) Vid. supra §. XXX. pag. 288. seq.

SECTIO II. §. 32. notissimus, sed Pythagoreus maledicentissimus et mendacissimus, tum Aristocles, Peripateticus quidem, sed qui a calumniatorum injuriis, ipsiusque adeo Lyconis mendaciis, praeceptorem suum candide vindicaverat. — Plura hîc addere supervacaneum foret.

§. 33. *De fide Patrum Ecclesiasticorum in Historiâ Philosophicâ.*

§. XXXIII. *Parum tuta Patrum Ecclesiasticorum fides, in Historiâ Philosophicâ, praesertim in caussâ Socraticâ, novo exemplo demonstratur.*

Ex iis, quae hactenus disseruimus, manifesto constare existimamus, in omnibus illis accusationibus, quas tum Hieronymus Stridonensis, tum Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus, aliique, qui post eos fuerunt, Scriptores veteres Christiani, contra Socratem retulerunt, nihil prorsus esse, quod non ex fontibus impuris, a calumniantibus nimirum Aristoxeno Porphyrioque, sit derivatum; neque optimam illorum Patrum in repetendis ejusmodi calumniis fuisse fidem. Paulo autem plenius hanc disputationem nostram instituimus, quia inter Scriptores, unde cognitio Historiae Philosophicae haurienda est, Patres Ecclesiae Christianae merito sunt censendi; scituque adeo opus est, quantum pretii tum omnibus universe, tum singulis sit statuendum. Singulos dicimus, nam (uti antea jam declaravimus) procul absumus ab eâ sententiâ, omnium eandem esse caussam, omnibus idem ingenium, idem judicium, omnibus eandem (piam, si quis velit, minus tamen aequam) in reprehendendis Gentilium Philosophis cupiditatem. Etenim, ut hoc iterum utamur, Aristoxeni calumniae aetate Justini Martyris, Athenagorae, Tatiani, Theophili Antiocheni, Clementis Alexandrini, contemtae jacuerant, neque iis fidem habuisse quisquam videtur. Illas, vivente ac florente Eusebio, recoxit Porphyrius: Et Aristoxeni tamen, haud minus quam Porphyrii, auctoritatem, seu potius malevolentiam in Socratem, suspectam habuit et sprevit Caesaréae Antistes doctissimus: Sed deinceps, oppugnante cum Rhetoribus suis rem Christianam Juliano, haec arma, utpote ex ipsis hostium castris direpta, in Philosophos Graecos, in immerentem praesertim Socratem, vertere se posse censuerunt illi, quibuscum nobis res fuit, item Basilius, Lactantius, alii, tam praecipiti saepe judicio tantâque cum cupiditate, ut nescias, an istâ in accusando confidentiâ ac levitate caussae ipsi suae ne-

Inter fontes Historiae Philosophicae Patres Ecclesiae merito censendi.

Patres Ecclesiae Saec. IV. in Philosophos Graecos fuerunt iniquiores.

Sectio II. § 35. *Ante illos pauci ex hoc Scriptorum ordine, inter quos* TERTULLIANUS.

euerint magis, quam illam adjuverint. Ante illos pauci tantum alii ejusmodi culpam admiserant, inter hos TERTULLIANUS, vir a judicandi facultate sanequam non paratissimus. Unum ab illo petitum exemplum adferamus, quo simul pateat, quantum fama, in calumniis quoque, eundo crescat, quantâque cum cautione aut etiam cum diffidentiâ testimonia Patrum de Veterum sapientibus sint excutienda. Isto autem exemplo utemur eo lubentius, quod cum disputatione nostrâ de Socrate conjunctissimum reperietur. — Haec itaque in *Apologetico* (1) TERTULLIANI sunt verba.

Exemplum e Tertulliani Apologetico.

" *Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostrâ fraternitate tragoedia exclamat, vel quia ex substantiâ familiari fratres sumus, quae penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque, qui animo animâque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, praeter uxores. In isto loco consortium solvimus, in quo solo caeteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed et sua amicis patientissime subministrant; ex illâ (credo) majorum et sapientissimorum disciplinâ, Graeci Socratis et Romani Catonis, qui uxores suas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant, liberorum caussâ et alibi* (2) *creandorum, nescio an invitas: Quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facile donaverant? O! sapientiae Atticae, ô! Romanae gravitatis exemplum! Lenones, et Philosophus, et Censor!*"

Gravis certe et acerba haec in Socratem censura est Tertulliani, mitis tamen, placida, et paucis verbis proposita vituperatio, si cum acerrimâ multumque amplificatâ SALVIANI increpatione comparetur. Hujus quippe Presbyteri Massiliensis sequens est oratio Libro septimo *de Gubernatione Dei* (3).

Exemplo Tertulliani accedit SALVIANUS.

Scio quia intolerabilia quibusdam videantur ista quae diximus: Sed ratione rerum agendum est, non libidine voluptatum. Dicat mihi quis-

(1) Cap. XXXIX. pag. 327. seq. ed. Havercampi.

(2) Legendum videtur: *Liberorum caussâ et alii creandorum.*

(3) Pag. 159. ed. Rittershusianae anni 1688. cujus lectionem sequimur. Editionis Pithoeanae anni 1617. est pag. 274.

Sectio II. §. 33.

quis ille est, qui indignatur me ista dicere, nunquid non sapientissimus omnium Socrates semper existimatus est? testimonio scilicet etiam Delphici daemonis, qui quasi princeps philosophorum, sicut daemoniorum, erat. Videamus ergo, quas Socrates de pudicitiâ leges sanxerit, et quas illi, de quibus loquimur. Uxorem, *inquit Socrates*, propriam nullus habeat : matrimonia enim cunctis debent esse communia : Sic namque major erit concordia civitatum, si omnes viri feminis sine discretione omnibus misceantur, omnes se feminae omnibus viris sine distinctione substernant; ac sic fiant omnes viri omnium mulierum mariti, omnes feminae omnium virorum uxores. *Nunquid ullum unquam aut phreneticum, aut daemoniacum, variâ insaniarum labe furiosum, tale aliquid locutum esse cognovimus? Tu dicis, maxime Philosophorum, hac ratione omnes viros esse feminarum omnium maritos, et omnes feminas virorum omnium uxores, et parvulos omnes omnium filios. At ego hac ratione dico, neque ullum virum ullius feminae maritum, neque ullam mulierem ullius masculi uxorem, neque ullum pignus ullius parentis filium. Ubi enim promiscua omnia et confusa sunt, nemo est qui suum possit aliquid vindicare. Nec sufficit sapientissimo, ut quidam ajunt, Philosopho docere hoc, nisi ipse fecisset: uxorem enim suam alteri viro tradidit. Scilicet sicut etiam Romanus Cato, id est, alius Italiae Socrates. Ecce quae sunt et Romanae et Atticae sapientiae exempla; omnes penitus maritos, quantum in ipsis fuit, lenones uxorum suarum esse fecerunt. Sed vicit tamen Socrates, qui de hac re et libros condidit, et memoriae haec pudenda mandavit. Plus habet, unde gloriari sibi praeceptis suis possit. Quantum ad doctrinam suam pertinet, lupanar fecit e mundo. Injuste damnatus dicitur a judicibus: et verum est. Rectius enim eum haec talia praedicantem genus damnaret humanum, sicut absque dubio damnavit. Nam, cum in hac re doctrinam ejus omnes repudiaverint; omnes eum non solum sententiae auctoritate, sed, quod multo magis est, vitae electione damnaverunt, et recte. Conferantur enim cum iis, quae ille constituit, illa quae statuerunt ii, quos dominari Africae Deus jussit. Statuit ille, ut nullus penitus suam haberet uxorem; isti, ut nullus penitus non suam; Ille, ut omnis femina viris*

omnibus subjaceret; isti, nulla femina alium quam virum suum nosceret; ille generationem mixtam atque confusam, isti puram et ordinatam; ille omnes domos scortari voluit, isti nullam; ille in cunctis habitaculis lupanaria aedificare conatus est, isti etiam e civitatibus sustulerunt; ille prostare voluit omnes virgines, isti castas facere meretrices. Atque utinam hic Socratis tantum error fuisset, non et complurium Romanorum, ac pene omnium; qui etsi nequaquam Socratis vitam in caeteris, in hac re tamen Socratica instituta sectantur: quia et complures viri uxores plurimas singuli, et innumerae mulieres viros complures singulae habent. Omnes denique civitates nunquid non lustris plenae sunt, ac lupanaribus foetent?" —

Quam severa, quam vehemens, quam aspera ista est Salviani oratio, quâ in Catonem, praecipue vero in Socratem invehitur! *Lupanar fecit e mundo sapientissimus Philosophus. Omnes viros esse omnium feminarum maritos, et omnes feminas virorum omnium uxores esse voluit: Nec sufficit hoc illi docere, nisi ipse fecisset: Uxorem enim suam alteri viro tradidit: Et Romanae et Atticae sapientiae exempla lenones se uxorum suarum fecerunt. Haec talia praedicantem recte damnavit genus humanum.* — Ego vero, dum sic insultantem, et bonâ quidem fide (ut existimo) insultantem Socrati optimum video Salvianum, ac velut triumphantem, non possum non recordari caussae Curianae apud CICERONEM, (4) ejusque exempli, quo in celeberrimo isto judicio Centumvirali contra Q. Scaevolam, juris peritissimum, usus est L. Crassus, disertissimus orator, cum is adversarium suum similem esse diceret *adolescenti delicato, qui in litore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem aedificare navem concupivisset.* Profecto Presbyter Massiliensis ex scalmo navem aedificavit, uti antea a Presbytero Carthaginiensi ex arundine cymba fabrefacta fuerat. Nos, si istum scalmum istamve arundinem quaeramus, non aliam reperiemus nisi confictos a Platone sermones, ac male a Tertulliano intellecta, aut quae male retulerit, ab alio accepta, Aristoxeni verba. — Ac primum quidem, ut hinc ordiamur, (nam de Catone disserendi (5) hîc non est locus) quis unquam fando ac-

(4) *De Orat.* Lib. II. Cap. 32. Conf. Lib. I. *de Orat.* Cap. 39. et 57.

(5) Et tamen plura hac de re dici possent, quibus vanitas accusationis Tertullianéae, ut et de-

SECTIO II. §. 33. cepit, vel Myrtonem vel Xanthippen usurariam uxorem an concubinam a marito Socrate cuiquam mortalium concessam? Non Satyrus hoc dixit, non

clamatic 's Salviani in Catonem, non Censorium (ut illi existimant) sed Uticensem demonstretur: Nam primum, quod Marciam uxorem petenti Hortensio in matrimonium concesserit vir gravissimus, non suâ ipsius auctoritate, sed auctore patre Marciae Philippo, obsecutus est seu veteri Numae Pompilii Legi, si fides PLUTARCHO in *Comparatione Lycurgi et Numae* Tomo I. Opp. pag. 76. E. seu antiquae Romanorum consuetudini, secundum quam, teste STRABONE Lib. XI. pag. 515. (pag. 783. B. ed. Almeloveni), si quis idoneum liberorum numerum ex foecundâ conjuge suscepisset, illam, tanquam fertilem agrum, serendo aptum, cedebat alteri viro, qui orbus esset et prolem habere cuperet. Nos quidem nec Numae Legem, quae nusquam alibi (quod sciamus) memoratur, nec consuetudinem antiquam, si illa vere Romanis fuerit, uti ait Strabo, defendere conabimur, ne cum Plutarcho quidem, qui illam tanquam Reip. utilem et sapientiae consentaneam, satis aperte probare videtur: Sed Romani a Tertulliano et Salviano accusandi erant, non solus Cato, qui mores gentis suae, probante Marcio Philippo socero, pluribusque viris gravissimis non vituperantibus, sit secutus. Quin accusandi erant plures populi, non soli barbari Tapyri, de quibus eandem consuetudinem refert Strabo, sed continentissimi ac castitatis studiosissimi Spartani, ipse ante omnes alios prudentissimus Spartanorum Legislator, Lycurgus. Illi enim, re ipsâ, id facere solebant, quod nec ferebat Lex Numae, si qua fuit ejusmodi, neque admisit Uticensis: Illi, nimirum, uxores suas usurarias praestabant aliis viris bonis, earum usum, prolis procreandae caussâ, cupientibus, et quidem domi suae, sub conspectu atque in toro geniali benignorum et patientissimorum maritorum. At vero, quod petenti Hortensio dedit Cato, non hoc fuit, ut unam alteramve noctem cum Marciâ transigeret, sed ut eam legitimo sibi matrimonio jungere liceret, utque a Catone dimissam pater Philippus Hortensio desponderet, desponsam pro uxore daret, liberorum quaerendorum caussâ. Ergo verum divortium fuit, quod bonâ gratiâ (quae tum temporis frequens erat Romanorum consuetudo) cum Marciâ Cato fecit. Rem narrat PLUTARCHUS in *Catone Uticensi* Tomo I. Opp. p. 771. Increpet itaque quisquam, qui cum Tertulliano faciat, licentiam divertendi, et bonâ quidem gratiâ divertendi, quae isthac aetate invaluerat, apud Romanos; increpet importunam Hortensii cupiditatem; facilem nimis dicat Catonem, qui hujus petitioni cesserit, non sponte quidem suâ, sed ex arbitrio soceri Philippi, in cujus manu ac potestate filia adhuc Marcia erat, et ad quem judicium de ejusmodi petitione Cato rejecerat: Sed abstineat a maledictis ac probris, cogitans simul atque in mentem revocans, Marciam non fuisse ex earum matronarum numero, quae viris conveniebant in manum, sed *uxorem tantum* fuisse, ex illâ nimirum conjugum specie, quarum solummodo *usum* mariti habere videbantur, quaeque, in patriâ manentes potestate, hunc *usum*, jusque adeo usucapionis, dum per trinoctium abessent, interrumpere aut intervertere consueverant, quo facilius istiusmodi matrimonium dissolveretur. —

Hieronymus Rhodius, non Aristoxenus aut Aristoxeni sarcinator Porphyrius, qui certe, si vel rumor de isto lenocinio in vulgus exiisset, tam probrosum dedecus inter reliquas vituperationes ac calumnias referre non neglexisset. Quid itaque? Unde demum *μαστρωπὸν* alterutrius conjugis suae Socratem fuisse, — unde, inquam, istud accusationis portentum venatus est Scriptor Afer? — utrum ex tellure Jubae, an ex aliquo Scriptore Graeco? — A nemine id accepit, nisi tum ex ingenio, tum fortassis a male fidâ memoriâ suâ. De uno Tertulliano loquimur; longam enim istam Salviani declamationem, quis non videt, totam ex *Apologetico* Tertulliani manasse? Sic quippe solebant Patres, in istis praesertim, quas pro Religione Christianâ scribebant defensionibus, priorum argumenta, exempla, universam denique eruditionem vertere in rem suam, ut sine delectu ea omnia repeterent, amplificando saepius et exaggerando: Atque (ut hoc utamur) quis in Arnobio Clementem Alexandrinum, quis in Lactantio Arnobium non inveniat et agnoscat? Et Salvianus quidem noster tam pulchre Socratis ipse doctrinam et fata didicerat, ut optimâ fide adfirmaverit, Socratem de communicando uxorum toro et *libros condidisse, et memoriae haec pudenda mandasse.* Haec, scilicet, Socrates literis prodidit, a quo neque ullos unquam scriptos fuisse libros, SECTIO II. §. 33.

· Imo neque Marcius Philippus illud divortium, consentiente Catone, factum, pro turpi facinore habuit, quod indignum esset viro gravi, neque pro castitatis suae nocumento Marcia, quae, defuncto fatis Hortensio, ad pristinum maritum rediit, quem apud LUCANUM Lib. II. v. 341. hoc adloquitur sermone.

——— *Da foedera prisci*
Inlibata tori: Da tantum nomen inane
Connubii: Liceat tumulo scripsisse, Catonis
Marcia: *Nec dubium longo quaeratur in aevo,*
Mutârim primas expulsa an tradita taedas.

——— Quae idcirco, licitâ apud Romanos divortiorum consuetudine, et transeunte in stabile cum Hortensio matrimonium Marciâ, — quae, inquam, hic *lenocinii* est umbra? Et quam vana sunt ista Tertulliani? *O! sapientiae Atticae! o! Romanae gravitatis exemplum! Lenones Philosophus et Censor!* — Si quempiam ex veteribus sapientibus in scenam hac in caussâ traducere voluisset Tertullianus, Lycurgus ipsi hisce salibus erat perfricandus. Sed splendida erant et *Philosophi* et *Censoris* nomina, hinc magis opportuna, quae in turpe exemplum proponerentur.

SECTIO II. §. 33. nec memoriae quicquam mandatum constat! Platonis nimirum ignorabat esse de *Republicâ* Libros! — Sed, cum Salvianus nihil habeat, quod non a Tertulliano sumserit, quo hic auctore nitatur, videamus.

Duo sunt Socrati objecta a Tertulliano crimina: Alterum, quod *uxorum consortium esse* voluerit, seu (ut Salviani verbis utamur) " quod uxorem „ propriam a nullo habendam docuerit, sed matrimonia cunctis communia „ esse debere; alterum, quod uxorem suam amicis communicaverit, leno- „ que adeo conjugis suae fuerit Philosophus." De priore crimine, quod alterius velut fundus esse videtur, primo loco agamus. Socratem nihil scripsisse, quod modo dicebamus, satis certum est; et quae ipse senserit vel docuerit, ab illius discipulis Xenophonte et Platone, tum etiam ab AEschine, qui Socraticus dicitur, esse petenda. Quaerimus igitur, an illa de *indiscretâ* virorum ac feminarum conjunctione, communicandisque uxoribus, sententia apud Xenophontem, tanquam Socratica, reperiatur. At vero tantum abest, ut Xenophon talia et tam indecora de praeceptore suo retulerit, ut contra, secundum hunc testem fide dignissimum, Socrates, " maritale conjugium laudaverit, quod sic comparatum sit naturâ suâ, ut non „ solum jucundissima, verum etiam utilissima vitae societas iniretur." — Igitur is matrimonii laudator, is qui ζεῦγος esse dixerit, ad mutuam utilitatem ac felicitatem conjungendum, ex qua benevolâ conjunctione tum alia nascerentur vitae commoda, tum liberi senectutis solatium, — ἔπειτα τὸ γηροβοσκοὺς κεκτῆσθαι ἑαυτοῖς ἐκ τούτου τοῦ ζεύγους τοῖς γοῦν ἀνθρώποις πορίζεται, — idem ille Socrates docuerit, communes esse debere uxores, ut, quod ait Salvianus, *nullum pignus ullius parentis esset filius, et generatio mixta atque confusa!* — Sed, quae de laudibus matrimonii uniusque viri cum unâ feminâ individuâ conjunctione, a Socrate magnifice celebratâ, verbis Xenophonteis supra (6) retulimus, hîc non sunt repetenda. — Quid itaque? — Ad unum Platonem res redit; et praeter Platonem nemo mortalium unquam opiniones ejusmodi aut Socrati tribuit, aut sub illius personâ literis consignavit. — At enim, an illa omnia, quae praeceptorem suum in Dialogis disserentem facit Plato, vere a Socrate fuerunt dicta, et rationibus, quales adfert Plato, confirmata ac stabilita? --- Hîc autem in re satis cognitâ, quia sic postulat disputatio nostra, paulisper est morandum. Quis ignorat, Socra-

(6) Sect. I. §. 12. pag. 65. 66.

tem, audito Lysidis Dialogo, quem ipsi praelegerat Plato, mox adjecisse, *quam multa mihi mendacia adfinxit hic adolescens*, " nam, (inquit, ista „ ex sermone (7) hominum referens DIOGENES LAËRTIUS) non pauca Vir „ ille literis mandavit, quae nunquam dixerat Socrates:" Quemadmodum et ex Veteribus refert ATHENAEUS (8), " Gorgiam, lecto Platonis Dialogo, qui „ a se nomen haberet, iis, qui aderant, dixisse, se eorum, quae isto col- „ loquio, quale Plato scripserat, continerentur, nihil neque audivisse, ne- „ que locutum esse." Quare et Sillographus Timon a *fingendo* Πλάτωνα appellatum joco adfirmabat: SECTIO II. §. 33.

Ὡς ἀνέπλαττε Πλάτων, πεπλασμένα θαύματα εἰδώς.

Et certe cuique, qui veritatem amet, necesse est, ut dubium saepius videatur, an plus famae praeceptoris sui incremento fuerit discipulus egregiis disputationibus, quae de Deo, de Providentiâ Numinis, de animo immortali, de praemiis virtutis, de officiis pietatis, reliquisque ejusmodi argumen-

(7) Lib. III. Segm. 36.

(8) Lib. XI. Cap. 15. pag. 505. Verba ATHENAEI haec sunt: Ἄλλοι δέ φασιν, ὡς ἀναγνοὺς ὁ Γοργίας τὸν Πλάτωνος διάλογον πρὸς τοὺς παρόντας εἶπεν, ὅτι οὐδὲν τούτων οὔτε εἶπεν, οὔτε ἤκουσε παρὰ Πλάτωνος· ταὐτά φασι καὶ Φαίδωνα ἀναγνόντα τὸν περὶ ψυχῆς· διὸ καὶ καλῶς ὁ Τίμων περὶ αὐτοῦ ἔφη·

Ὡς ἀνέπλαττε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς.

IGNATIUS ROSSIUS *Commentationum Laërtianarum* §. XVII. pag. 44. jure ac merito ad ista παρὰ Πλάτωνος haesit. Neque illa, quae isto Gorgiae Dialogo referuntur, a Platone hic Rhetor audiverat, quippe cujus nullae ibi sunt partes. " Nam (inquit Rossius) certe „ οὔτε ἤκουσε intelligit is παρὰ Σωκράτους, *a Socrate*, vel ab iis, quibuscum colloquens „ inducitur in eo Dialogo a Platone Gorgias. Abjiciendum igitur est παρὰ Πλάτωνος, — „ quae profecto verba (paulo ante dixerat Rossius) non sunt ab Athenaeo, sed ab inficeto „ Librario, cui post ἤκουσε quiddam deesse visum est." Nos viro acutissimo plane adsentimur, ita tamen ut leniori remedio sanandum esse locum existimemus. Quippe verba παρὰ Πλάτωνος non ejicienda censemus, sed a prioribus separanda, et cum sequentibus conjungenda, hoc modo: ὅτι οὐδὲν τούτων οὔτε εἶπεν, οὔτε ἤκουσε· Παρὰ Πλάτωνος ταὐτά φασι καὶ Φαίδωνα, ἀναγνόντα τὸν περὶ ψυχῆς, subintellecto scilicet εἰπεῖν, quod ex praecedentibus est repetendum: ταὐτά φασι καὶ τὸν Φαίδωνα (εἰπεῖν) περὶ Πλάτωνος. *Eadem referunt et de Platone dixisse Phaedonem, postquam illius, qui est de immortalitate animae, perlegisset Dialogum.*

Sectio II. §. 33. tis, vere ac magnifice scriptae exstant in Phaedone, Alcibiade secundo, Critone, Euthyphrone, nonnullisque aliis Dialogis; anne vero plus nocuerit fabulis ac figmentis, quae ingenium Platonis prorsus poëticum, summâ fingendi licentiâ, in Libris *de Republicâ*, in Gorgiâ, in Convivio, caeterisque, de Socrate invénit, descripsit, ornavit. Haec facilis, quippe, fuit rumorum semper in majus auctorum, fabularum, mendaciorum ansa; haec ferax calumniarum seges: Quas calumnias cum mordax arripuisset Comicorum atque irrisorum natio, inde celebrata ista et in triviis ac quadriviis decantata παιδεραςία, et Luciani similiumque hominum sales: Παιδεραςής εἰμὶ, καὶ σοφὸς τὰ ἐρωτικά. Inde denique tot ac tanta probra, quae de Socrate complures referunt, alter alterum describentes, Patres Ecclesiae: Inde praesertim haec quoque Tertulliani ac Salviani accusatio, quasi " omnes ut se ,, feminae omnibus viris sine distinctione substernerent, omnes viri feminis ,, sine discretione omnibus miscerentur," voluisset Socrates, quem tali de portento nunquam, ne per somnium quidem, cogitasse, non tantum maxime probabile est, sed ex *Xenophontéis Oeconomicis* (9) propemodum certum: Et tamen *maximus Philosophorum* (ut ipse ait) propterea crudelissime a Presbytero Massiliensi vapulatur. " Numquid ullum unquam aut ,, phreneticum (inquit) aut daemoniacum, variâ insaniarum labe furiosum, ,, tale aliquid locutum esse agnovimus?" — At, mi Salviane, bona verba, quaeso! *Tu dicis* (ut tuo disserendi utar modo) " ut lenones suarum uxo-,, rum essent mariti, voluisse Socratem, qui de hac re et libros condidit, et ,, memoriae haec pudenda mandavit." Quin cavendum tibi fuerat, ne sic risum et doctioribus tuae aetatis hominibus et posteris deberes. Lucianus, homo nequam, sed te sanequam in veteribus Literis Graecis multo magis versatus, neque Socrati libros exprobravit eâ de re scriptos, qui nullos scripserat, neque tam inclementer cum eo egit, sed ridendo rem ridiculam, omnium virorum promiscuam cum omnibus feminis, tetigit levique morsu vellicavit societatem. Ἄκουε (10) δὴ τὸ μέγιςον, ὃ περὶ τῶν γυναικῶν μοι δοκεῖ· δοκεῖ μηδεμίαν αὐτῶν μηδενὸς εἶναι μόνου, παντὶ δὲ μετεῖναι βουλομένῳ τοῦ γάμου. — Quid vero factum? Non nesciebat Lucianus, ista omnia Platonis, non Socratis, esse

(9) Cap. 7. ed. Bachii (pag. 487. ed. Stephan.)

(10) In *Vitarum Auctione* Cap. 17. Tomo I. Opp. pag. 556. ubi vid. omnino est Moyses Solanus.

somnia: Sed, uti omnes omnium locorum et temporum Philosophos in scenam traducere, ac Satyrico sale perfricare, ad suam pertinere laudem, sui saltem esse arbitrii existimabat (quâ res divinas humanasque ridendi voluptate unice trahebatur,) — Lucianus igitur, caninâ hac mordendi intemperie actus, Socrati parcere noluit, et, quas praeceptori discipulus supposuerat, sententias, in illius opprobrium vertit hoc tantum animo, ut luderet atque illuderet, tam manifestâ quidem calumniâ, tam perspicuâ injuriâ, ut nonnulli putaverint, Platonis nomen in isto Dialogo Lucianeo, temporis aut describentium culpâ, excidisse: Verum rectissime animadvertit Moyses Solanus, unam illatam ambobus injuriam, et Socrati et Platoni, quum hic sub illius personâ suam proponere sententiam consuevisset; quae fingendi licentia an laudanda in Platone fuerit, penes aequos rerum arbitros judicium (11) esto. Magna certe hinc nomini Socratico conflata est invidia: Nam, quae Lucianus similesque, tacito Platonis nomine, jocose scripserant et ridendi gratiâ, illa nonnulli e veteribus Christianae disciplinae vindicibus pro seriis habuerunt, ac mirifice auxerunt, amplificarunt, exaggerarunt. Ita locus iste Platonicus (12) de nocte, quam sub iisdem stragulis cum formoso Alcibiade transegisse fertur a Platone Socrates, quot jocis non tantum Lucianeis (13) sed et tragoediis apud Patres Christianos, quamquam ipso refragante Platone, ansam non praebuit? quot non item censuris et vituperationibus conficta illa ab eodem, sub Socratis personâ, Respublica? Inter illos tamen tanto aequior ac prudentior, quanto erat doctior, Lactantius (14) Socratem vanitatis quidem errorumque accusat, sed communitatem istam, quae hominis parum sani fictio esse videatur, Platoni imputat, non praeceptori. *O miram*, inquit, *Platonis aequitatem! Ubi est igitur virtus castitatis? Ubi fides conjugalis? quae si tollas, omnis justitia sublata est.* --- Oportuerat itaque et Tertullianum et Salvianum, Platoni probrum absurdae et spurcae sententiae objicere, non Socrati: Oportuerat illam exprobrare Diogeni Sinopensi, oportuerat Stoicis, Zenoni Cit-

SECTIO II. §. 33.

(11) Vid. Fabricii *Bibl. Gr.* Lib. II. Cap. 23. Vol. I. pag. 826. Brucker. *Hist. Phil.* Parte II. Lib. 2. Cap. 2. Vol. I. pag. 523. item pag. 556.

(12) In *Convivio* Tom. III. Opp. pag. 217. Conf. Corn. Nep. in *Alcib.* Cap. 2.

(13) In *Vit. Auct.* Cap. 15. Tomo I. Opp. pag. 555. in *Eunucho* Cap. 9. Tom. II. Opp. pag. 357. atque saepius alibi.

(14) *Div. Instit.* Lib. III. Cap. 21. §. 4. seqq.

SECTIO II. §. 33. tiéo, Chrysippo, aliis: Nam, si LAËRTIO (15) fides, dixit Cynicorum princeps, *κοινὰς εἶναι δεῖν τὰς γυναῖκας, γάμον μηδὲν ὀνομάζων, ἀλλὰ τὸν πείσαντα τῇ πεισάσῃ* (vel, ut legendum censet (16) IGNATIUS ROSSIUS, *τὸν πάντα τῇ πάσῃ*) *συνεῖναι· κοινοὺς δὲ διὰ τοῦτο τοὺς υἱέας.* Idemque (17) de Stoicis refert, *ἀρέσκει δ' αὐτοῖς καὶ κοινὰς εἶναι τὰς γυναῖκας δεῖν παρὰ τοῖς σοφοῖς, ὥστε τὸν ἐντυχόντα τῇ ἐντυχούσῃ χρῆσθαι, καθά φησι Ζήνων ἐν τῇ πολιτείᾳ, καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ Πολιτείας.* Quid ergo Platonis magis quam Zenonis reprehenditur Reipublicae institutio? Quid Socrates censurâ magis vexatur, quam aut Diogenes, aut Stoae auctor, aut Chrysippus? Verbo dicemus: Splendidum erat Socratis nomen, ut Graecorum sapientissimi: Splendido nomini invidia erat conflanda: Cadente Socrate, occumbebat Philosophiae caput. Non alia acerbissimarum in Socratem declamationum fuit caussa, quasi hominum consortionem in *publicum lupanar* vertendam docuisset. Nam summa quaeque ferire solent calumniae fulgura. Ex calumniâ vero identidem repetitâ, auctâ, atque (uti fit) exaggeratâ, publica tandem nascitur fama et communis hominum opinio, quam serior aetas, re ad examen nunquam revocatâ, incautius sequitur, ac de qua tandem ne illi quidem dubitant, a quibus vitae ac studiorum ratio major in adhibendâ fide cautio atque provisio jure postulari potest. AGATHIAE, scriptori Byzantino, literarum peritissimo, recentiori tamen ac leviori, facile condonamus, si is, Cavadem, Persarum Regem, legem tulisse narrans, ut feminae omnibus viris promiscue se permitterent, Socratem cum Platone jungat (18): *λέγεται δὲ, ὡς καὶ νόμον ἔθετο, κοινὰ τοῖς ἀνδράσι προκεῖσθαι τὰ γύναια, οὐ κατὰ τὸν Σωκράτους, οἶμαι, καὶ Πλάτωνος λόγον καὶ τὴν ἐν τῷ λόγῳ κεκρυμμένην ὠφέλειαν,*

(15) Lib. VI. Segm. 72.

(16) *Commentationum Laërtianarum* pag. 76. Quo minus autem hanc emendationem recipiamus, facit locus PLUTARCHI, quem supra laudabamus, in *Comparatione Lycurgi et Numae*, ubi de instituto Spartanorum, uxores suas aliis ad quaerendam sobolem validam ac formosam commodantium (Tomo I. Opp. pag. 76.) ait: Ὁ δὲ Λάκων, οἴκοι τῆς γυναικὸς οὔσης παρ' αὐτῷ, καὶ τοῦ γάμου μένοντος ἐπὶ τῶν ἐξ ἀρχῆς δικαίων, μετεδίδου ΤΩ͂Ι ΠΕΙΣΑΝΤΙ τῆς κοινωνίας εἰς τέκνωσιν. Antea itidem verbo πείθεσθαι usus erat de marito, conjugem suam alteri in matrimonium concedenti: Ἀλλ' ὁ Ῥωμαῖος μὲν ἀνὴρ, ἱκανῶς ἔχων παιδοτροφίας, ὑφ' ἑτέρου δὲ πεισθεὶς, δεομένου τέκνων κ. τ. λ.

(17) Lib. VII. Segm. 131.

(18) *De Imperio et rebus gestis Justiniani Imperatoris* Lib. IV. (*in Corp. Byzantino*: pag. 138. ed. Paris. pag 197. A. ed. Venetae.)

κείαν, ἀλλ' ὥςε τῷ προστυχόντι ἐξεῖναι πρὸς ἣν ἂν ἐθέλοι χωρεῖν, καὶ τῆς εὐνῆς μεταλαγχάνειν, εἰ καὶ ἑτέρῳ τῳ συνοικοῦσα καὶ ἀποκεκριμένη ἐτύγχανε. Sed Virum in rebus Atticis summâ industriâ versatum miramur, quando, quaestionem, de geminâ Uxore Socratis, in medio intactam relinquens, addit: (19) ,, Seu Polygamia ,, Legibus Atticis unquam licita fuerit nec ne, plures tamen communesve ,, habere Uxores ab ingenio Scholae Socraticae alienum non fuisse." Nos hîc minime jam quaerimus, an cuncta illa, quae Plato in Libris *de Republicâ* aut *de Legibus* disputat, ab illius in Scholâ discipulis, ut totidem receptae in Academiâ sententiae, tradita fuerint ac propagata, (quod non facile quis adfirmet:) Sed id constanter et omni cum fiduciâ negamus, ejusmodi ingenium, in quo fingendi licentia magis elucet quam veri studium, ipsi Socrati ac germanae illius disciplinae tribui posse. Xenophontem sequimur; et a BRUCKERO (20) vere scriptum arbitramur: "Incaute egerunt, qui, in ,, describendâ Philosophiâ Socratis, Platonis auctoritatem ante alios secuti ,, sunt, dogmata ita nobis Socratica construentes, de quibus Socrates nun- ,, quam cogitavit. Nos ad Xenophontem potissimum recurremus, quem sin- ,, ceras nobis ex fontibus Socraticis aquas propinavisse, praeter unum Plato- ,, nem, invidiâ commilitonis ductum, concedunt Veteres tantum non om- ,, nes: Cui si concordat Plato, vel recentiorum temporum alius, eo certius ,, aliquid Socrati adscribi potest."

Sectio II. §. 33.

Plura disserere ad repellendam a Socrate invidiam, quasi is communicandum promiscue genialem lectum docuisset, supervacaneum existimamus. Restat altera accusatio, absurda etiam magis ac, fere dixerim, ridicula, *Socratem uxores suas* (alteram saltem earum) *amicis communicasse*, ut Tertullianus ait, vel (ut Salviani quoque verbis utamur) *Socratem suam alteri viro tradidisse uxorem.* — Audita non prius virginibus puerisque cantabant, talia scribentes, uterque Ecclesiae Pater. Et RITTERSHUSIUS quidem (21), ad istum Salviani locum, *utram*, inquit, *harum uxorum*, (Xan-

(19) *But this we know at least, that, if this Polygamy was ever licenced by the Laws of that State (Athens) a number or community of Wives was not at all contradicted by the genius of that School.* J. TAYLORS *Elements of the Civil Law*, pag. 341. in f.

(20) *Hist. Phil.* Parte II. Lib. 2. Cap. 2. Tomo. I. pag. 556.

(21) Pag. 104. ubi de Catone Censorio, qui Hortensio uxorem suam Marciam utendam dedes

SECTIO II. §. 33. thippen an Myrtonem) *concesserit alteri in matrimonium Socratês*, *jam non succurrit.* Nec mirum! Non succurrebat Viro, etsi Juris ac Literarum peritissimo, vel unus e Veteribus locus, in quo levissimum etiam talis lenocinii, a Socrate commissi, exstet vestigium. Id tamen potius dicendum erat, *nusquam id a se lectum*, nec de Xanthippe, nec de Myrtone, nec de ullâ quaecunque demum fuerit, uxore Socratis. Certe id Rittershusius neque apud Cyrillum Alexandrinum, nec legerat in Theodoreti *Sermonibus:* Namque illud neque Aristoxenus scripsisse memoratur, nec Porphyrius. Unde igitur fabula? Paucis dicemus et primum quidem Salvianum mittemus, quam ampla etiam et propemodum enormis illius sit declamatio: Etenim aliud hujus declamationis fundamentum non esse, nisi solius verba Tertulliani, nobis est persuassimum. Ad unum igitur hunc testem redit accusatio. Unde vero crimen repetiit Tertullianus? Ex eodem fonte, unde repetiit vituperationem, innocentissimi ab ejusmodi quidem facto, Censoris Romani, — a parum fidâ memoriâ, ab ignorantiâ personarum ac rerum, quae saepe nimis Carthaginiensis Presbyteri imbecillitas est mentisque vitium. *O! sapientiae Atticae! O! Romanae gravitatis exemplum! Lenones Philosophus, et Censor!* Naeniae, nos nostrâ dicimus vice, et inania verba! Telum acumine caret. De Catone Uticensi agitur, et *Censorem* appellas! Quod autem de *Philosopho* ais, aut nihil est, aut error! Et errorem esse, facile credimus, ne Tertulliani fidem accusemus. Legerat, scilicet, in ARISTOXENI Libro *de vitâ Socratis* (22), aut ab alio lectum acceperat, *δύο δὲ ἔσχεν γυναῖκας ἅμα· Ξανθίππην μὲν πολῖτιν καὶ κοινοτέραν πως, Μυρτὼ δὲ Ἀριστείδου θυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου, καὶ τὴν μὲν Ξανθίππην περιπλακεῖσαν λαβεῖν* (vel *προσπλακεῖσαν λαβεῖν,*) *κ. τ. λ.* Id autem *κοινοτέραν πως*, quod non aliter interpretandum fuerat nisi Xanthippen mulierem fuisse *de vulgo*, ex inferiori civium ordine, neque nobilem aut illustri loco natam, uti fuerat Myrto, Aristidis neptis, — vocem *κοινοτέραν*, inquam (23), Tertullianus intellexisse videtur de prostratâ ejus pudicitiâ, quasi

rit, Vir multarum licet literarum, Tertullianum secutus, eundem quem ille (quod valde miramur) errat errorem.

(22) Haec Aristoxeni verba pro more descripsit sarcinator Porphyrius, atque ex Porphyrio desumserunt CYRILLUS ALEXANDRINUS et THEODORETUS. Vid. supra N°. V. pag. nostrâ 249. et N°. IX. pag. nostrâ 256.

(23) Κοινὸς vel *κοινότερος λόγος*, *rumor vulgaris*, et caetera hujusmodi, usûs etiam sunt At-

ita fuisset κοινοτέρα, ut Socrates eam, quae ipsum περιπλακεῖσα ἔλαθεν, *communem* habuisset cum amicis, nec castitatem curasset conjugis, quae clandestino antea amore ei juncta fuerat. Neque jocularis magis hic Tertulliani error fuerit, quam quando hoc eodem loco idem Ecclesiae Pater Catoni Censorio factum tribuit, quod Uticensis fuit, duosque adeo confundit Catones. Et iste tamen error scalmus fuit, quem cum apud Tertullianum Salvianus reperisset, inde integram navem aedificare coepit, uti ex arundine Platonicâ ipse antea Tertullianus accusationis suae cymbam fuerat fabricatus. SECTIO II. §. 33.

§. XXXIV. *Conclusio disputationis de auctoritate Historiae Philosophicae, praesertim in caussâ Socraticâ.*

Diutius forsitan, quam ipsa res poscere videbatur, haesimus in refellendâ criminatione, cui tamen, quod sciamus, pauci fidem habuerunt, quasi eo turpitudinis atque infamiae delapsus esset Socrates, ut, cum ipse duabus simul junctus esset uxoribus, illas amicis usurarias praebuisset, domumque suam lupanaris velut sordibus inquinasset: sed hoc etiam exemplo demonstrandum erat, quam caute et circumspecte scriptores veteres Christiani in tradendâ Philosophiae Historiâ sint adhibendi: Neque alia nobis caussa fuit, cur in censurâ eorum, quae de Socrate scripserunt Cyrillus Alexandrinus et

tici. Quin ipsa vox Latina *coenum* verbumque inde ductum *inquino* satis probant κοινὰ veteribus Graecis etiam illa dicta, quae ita sunt *vulgaria*, ut *vilescant*, *vilia*, *sordida*, *obscoena*. Fatendum tamen est, hunc usum apud scriptores Graecos esse rariorem, nec facile reperiundum nisi apud Alexandrinos, unde abiit in sermonem Judaeorum Graeciensium Scriptorumque Sacrorum. Vid. JOANNIS ALBERTI *Observ. Philol.* pag. 242. Fatendum quoque est, κοινὰς usu Attico dictas feminas, quae *corpus vulgarent.* Sic est apud ISAEUM *de Haered. Pyrrhi* pag. 39, 31. ὡς μὲν τοίνυν ἦν κοινὴ τῷ βουλομένῳ· et pag. 46. 38. τὴν οὕτω κοινὴν τοῖς βουλομένοις γεγενημένην. Igitur, his consideratis, in istam quis incidat opinionem, ab ingenio et malevolo Aristoxeni in Socratem animo non alienum fuisse, ut κοινοτέραν πῶς Xanthippen fuisse dixerit eâ sententiâ, quâ significaverit, "tam vilem ex infimâ plebe sordidamque fuisse mulierem, ut et corpus vulgasse censeretur." Neque tamen, si et hoc sensu dicta Aristoxeni accipiamus, inde Tertulliani caussa juvatur, quasi Socrates, inito matrimonio, uxorem ipse suam κοινοτέραν habuisset et cum amicis *communicasset.*

SECTIO II. §. 34. Theodoretus Cyrensis, operosius simus versati. Jam ut finem huic disputationis nostrae parti imponamus, et temporis et instituti ratio jubet: Quippe, nisi nimiâ nobis spe blandiamur, id peregimus, quod sectionem primam claudentes, in nos susceperamus, ut ipsis rebus factisque, scriptorumque veterum testimoniis, probaremus, dissentientibus inter se ac discordibus antiquis Philosophis, Peripateticos in his litibus mutuisque calumniis praecipuas egisse partes; isti autem insectandi ac calumniandi proposito maxime inserviisse *πολυϊστορίαν*, quâ Aristotelici ante alios insignes fuerunt, praesertim illi, qui aetate Ptolemaei Philadelphi et deinceps floruerunt; inter eos vero *πολυΐστορας* et ***vitarum scriptores*** quum fuerint Aristoxenus, Hieronymus Rhodius, ac Satyrus, his potissimum *Triumviris*, erga Socraticos malevolis atque invidis, deberi omnes calumnias, quae de Socrate ad posteros sunt propagatae; quod nostrum de iis judicium indole illorum in universum, maledicentiâ, et moribus confirmavimus. Ostendimus porro, quantum fuerit odium Porphyrii in Socratem, quam mala fides; quanta Hieronymi Stridonensis, Cyrilli et Theodoreti, in illo ad testimonium adhibendo seu credulitas seu levitas; quam incerta denique, periculosa etiam Patrum Christianorum in omni caussâ veteris Philosophiae auctoritas, quam infirmum testimonium: Atque, hac operâ haud cursim defunctis, ad tertiam laboris partem jam erat transeundum, ut sententiam, quam de totâ hac causâ prodidimus, latius explicaremus; quae sententia haec est, " non tantum Digamiam nullo tempore Athenis, uti nusquam in Grae-
,, ciâ, licitam fuisse, sed ne verba quidem Legis Atticae, quam Hierony-
,, mus Rhodius, ut fidem dictis faceret, protulisse perhibetur, a viro bono
,, ad probandum istiusmodi mendacium adferri potuisse, quippe ad aliam
,, prorsus caussam, ad civitatem cum Nothis communicandam, pertinentia."
Hoc autem argumentum sic persequi nobis fuerat animus, ut, exposito jure Connubiorum apud Athenienses, quantum praesertim quidem attinet ad legitimos natales ac cum iis conjunctum jus Civitatis Atticae, demonstraremus, quae fuerit conditio Nothorum in eâdem Civitate, quique dicti fuerint *Nothi*, ex stabili quidem contubernio, sed cum muliere peregrinâ nati: Mox, enarratis eâ de re antiquis moribus ac legibus, enumeratisque iis, qui, quamvis sic Nothi fuissent ac muliere peregrinâ nati, ad summam tamen in Republicâ escenderunt dignitatem, ostenderemus, veterem Legem a Pericle fuisse renovatam, " ut, qui matrem civem Atticam non habuisset, is, tan-
,, quam nuptiis minus legitimis natus, in Nothorum numero censeretur;"

illi autem accidisse, quod pluribus Legum latoribus, ut suâ ipse Lege inter primos teneretur, ejus poenis aut severitati obnoxius; namque, amissis filiis legitimis Paralo et Xanthippo, quos pestis absumsit Belli Peloponnesiaci anno secundo, unicum superstitem illi fuisse filium, patris nomine insignem, eundemque deinceps iniquo Civium Decreto cum reliquis ducibus, qui ad Arginusas pugnaverant, damnatum, genitum ex Periclis contubernio cum celebratissimâ Aspasiâ; hic itaque junior Pericles cum renovatâ a patre Lege Nothus haberetur, Populum Atheniensem, ut Pericli gratificaretur, Legem condidisse, quae universe quidem scripta videretur, unius tamen Periclis caussam maxime spectaret, ut fas esset, *γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας* (seu ex *ἑταίρας*.) Illius vero Psephismatis cum nec Thucydides meminerit, horum temporum scriptor, nec Diodorus Siculus, nec quisquam veterum Historicorum Graecorum, probare animus erat, illud tamen revera exstitisse videri, atque novam hanc et a multis merito damnatam Legem saepius Euripidi fuisse obversatam, uti patet ex pluribus Fragmentis Tragoediarum, Phryxi, Antigones, praesertim Andromedae, tum ex integris, quae hodieque supersunt, Tragoediis, non tantum ex *Andromache*, quod pulchre jam vidit HARDIONIUS, sed maxime etiam ex *Jone* et *Hippolyto coronato*, quas tres Fabulas Euripides hoc potissimum proposito in scenâ exhibuisse videtur, ut doceret, duram quidem, injustam, ipsique Naturae adversam esse Legem, quae Nothos ab omnibus Reipublicae familiarumque honoribus ac juribus arceret, nec propterea tamen aut pro legitimo censendum Viri, qui uxorem jam haberet, cum concubinâ contubernium, aut legitimarum nuptiarum jus, inductâ pellice, esse violandum; ex quâ nimirum duplicatâ societate vel gemino contubernio odia nascerentur domestica, mala familiarum innumera, novercarum ac nothorum aemulatio, invidia, calumniae, veneficiae, caedes: Eâque occasione datâ, allatis in medium exemplis, monuissem, Euripidi frequenter in more positum fuisse, ut de Legibus aut factis, quae recenter Athenis accidissent, quin universe de Republicâ, qualis tum erat, sub personarum scenicarum larvâ, sententiam diceret, hunc morem AEschylo item non insolitum fuisse, sed Sophocli rarissimum, apud quem unum tantum alterumve ejus exemplum reperiatur. Istud porro Psephisma postquam vim Legis temporibus Anarchiae habuisset, testimonia protulissem, quibus appareret, illud, finito Bello Peloponnesiaco, fuisse abrogatum, ac rogatione Aristophontis, post sublatam Anarchiam, prisca legitima- Sectio II. §. 34.

SECTIO II. §. 34. rum nuptiarum jura, cum ipsâ Republicâ, fuisse restituta. Denique expositis sic omnibus, quae ad rem nostram faciunt, tum ad Historiam Philosophiae, tum ad Remp. Atticam pertinentia, inde collegissem, non aliter δίγαμον fuisse Socratem, quam fuerint Euripides aliique plurimi, scilicet, ut duas, has post illas, contraxerit nuptias, et priores quidem, florente aetate cum Myrtone, Aristidis ex filiâ nepti, quâ nulli nati liberi memorantur; alteras, annis provectiorem, cum Xanthippe, ex quâ tres susceperit filios, quorum duo juniores in primâ adhuc essent pueritiâ aut infantiae proximi, cum septuagenarius Socrates cicutam biberet; ejusmodi autem nuptiae Philosophi, senilem aetatem jam ingressi, quum jocis invidorum atque irrisorum Philosophiae ansam dedissent, hinc, auctâ postmodum calumniâ, a Peripateticis praesertim, fabrefactam fuisse fabulam, ab Aristoxeno literis consignatam, de duabus Uxoribus, quas simul eodemque tempore domi Socrates habuerit; quam fabulam quum nonnulli, ut deinceps fecit Panaetius, mendacii arguerent, hac potissimum usi ratione, διγαμίαν Athenis nunquam licitam fuisse, Hieronymum Rhodium, qui Aristoxeni vestigia in calumniando Socrate premebat, ut se extremis angustiis, (quod pro sagacitate suâ vere scripsit RICHARDUS BENTLEJUS) expediret, utque cum suam tum praeceptoris famam ac fidem tueretur, ad consuetam artem, quâ et olim contra Isocratem usus fuerat, confugisse, et quo contradicentibus fucum faceret, pro Lege διγαμίας venditasse Psephisma, cujus non ea erat sententia, " ut geminas eodem tempore habere liceret uxores legitimas," verum haud alia nisi " ut ex nuptiis minus legitimis fas esset liberos quaerere, ,, utque adeo, qui muliere peregrinâ nati essent, illi jus Civitatis Atticae ,, consequerentur." — Haec igitur enarrare, eâdemque ratione, quam in duabus prioribus sectionibus secutus sum, argumentis atque testimoniis, quae mihi ad manum sunt, demonstrare propositum erat: sed adversa valetudo ac deficiens praesertim, imbecillibus nervis, oculorum acies pedem hîc interim figere jubent, si fortassis labantis corporis vires aliquando mihi reddantur: Id vero an unquam, favente Numine, contingat, inchoatumque opus, alia etiam, quae affecta habeo, perficere, continuatis studiis, queam, Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

FINIS.

EMENDANDA.

Pag. 1. Not. 1. v. 1. παντα, leg. πάντι.
Pag. 2. Not. 6. v. 3. τῆς δε, leg. τῆσδε.
Pag. 11. v. 4. πολίτην, leg. πολίτιν.
Pag. 19. Not. 1. v. 1. certc, leg. certe.
Pag. 51. v. 19. προσπηλακίζων, leg. προπηλακίζων.
Pag. 60. Not. 21. v. penult LEO PARDO, leg. LEOPARDO.
Pag. 77. v. 13. Disputation is, leg. Disputationis.
Pag. 83. v. 11. — leg. *Vitae Aristotelis.*
Pag. 91. Not. 8. v. 2. nuitilitur, leg. inutiliter.
Pag. 104. v. 25. cujuscunqne, leg. cujuscumque.
Pag. 121. Not. 18. v. 2. D. UHNKENIUS, leg. D. RUHNKENIUS.
Pag. 145. v. 21. copiosi, leg. copiose.
Pag. 149. Not. 1. v. 1. πεπανουργουμέναις, leg. πεπανουργημέναις.
Pag. 158. Not. 23. v. 16. κιθαρ'ξονεε σκαὶ, leg. κιθαρίζοντες καὶ.
Pag. 164. v. 20. Οἶός, leg. Οἶος.
Ibid v. 22. nullum, leg. nullam.
Pag. 179. v. 15. illuis, leg. illius.
Pag. 208. v. 12. Ξενιῳ, leg. Ξενίῳ.
Pag. 214. in margine. ieronymus, leg. Hieronymus.
Pag. 225. v. ult. qui, leg. quem.
Pag. 230. v. 19. hunc, leg. hanc.
Pag. 291. v. 7. describere, leg. descripsisset.
Pag. 294. Not. 31. v. 2. *Parphyrium*, leg. Porphyrium.

Pag. 299. v. 3. EUSEBII, Pamphili, leg. EUSEBII Pamphili,

Pag. 310. v. 18. vapulatur, leg. vapulat.

Pag. 312. v. 6. Πολιτειας, leg. Πολιτείας.

Ibid v. 17. a quibus caet. errorem esse operarum video: cujus tamen corrigendi perditâ autographi particulâ copia non fuit.

Pag. 316. v. 28. demonstrare mus, leg. demonstraremus.

Pag. 317. v. 27. veneficiae, leg. veneficia.

In Epistola ad Temminckium:

* Pag. 2. v. 18. elicuisse, leg. elucuisse.

* Pag. 5. v. 4. accideret, leg. acciderat.

** Pag. 1. v. 17. audeamid, leg. audeam id.

**** Pag. 1. v. 2. liberos carissimos, quosque, leg. liberos, carissimos quosque.

Si qui praeterea ex hoc genere errores nostram diligentiam effugerunt, aequi Lectoris veniam humanitatemque imploramus.